

V
B
J
C



EXPEDITA
Salutis via

Collegij Cracoviensis Per Societatis JESU ad S Petrum

EXERCITIA SPIRITUALIA
à S. PATRE IGNATIO
MONSTRATA

Ex meditationibus, sensũ eorundem Exercitiorũ declarantibus.

Usui cujusvis statûs hominum. pro animo, per octo dies excolendo Ac etiã fidelibus, per Concionatores instituendis accommodata.

à P. Adriano Miaskowski
Societatis IESU

Hæc est via, ambulate in ea, non declinetis neque ad dexteram neque ad sinistram Jsaiæ 30.



SANDOMIRIÆ
Typis Collegij Societatis JESU Anno 1718

In avitum Illustrissimæ MIERZEWSCIORUM Domûs Insigne.



Cũ vacuũ præcelsa Domus Tibi struxit acervũ,
Hunc implere Nepos Celse valebis, ait.
Fecerunt promissa fidem, nec patria tecta,
Totaque Regna valent claudere mentis opes
Hinc licèt assiduò censum depromat egestas,
Continuòque suus grex alimenta ferat.
Quæ dantur, cumulantur opes: fortuna recondi hæc
Cùm nequeat terris, est nisi digna polô.

JLLUSTRISSIMO
REVERENDISSIMO
D. DOMINO FRANCISCO
LESZCZYC
MIERZEWSKI
Scholaſtico Gneſnenſi
Archidiacono Sremenſi
&c.
D. Mecænati Munificentiſſimo.

Liber hic quòd expeditum ad Cœlorum adyta monſtret tramitem, Tuo Jlluſtriſſime Mecænas, in frontem repoſito nomine ſatìs edocet. Legitur abundè ex Te uno, quidquid integro opere, rectè vivendi præceptis inſtructo comprehenditur, & quidem compendioſior

 per

per exempla ad Cœlos via, eſt Tua illimis vita. Nec primùm hodie laudatam ejusmodi decurris Appiam, grandes pridem feciſti paſſus, omnigenæ probitatis normâ prædu- ce Illuſtriſſimo STANISLAO LIPSKI *Gneſnenſi ſimul ac Chocenſi Præpoſito, in Cleri Ideam, ab eodẽ jam tunc ex honeſti regula, ætatem tranſigendi, vivam ex Te palæſtram, cum addiſceres, effeciſti Canonicus & Chocenſis Cuſtos. Suſpexit pro tunc non ſine geſtientis animi ſenſu, jam Prælatus, canitie, & in Eccleſiam meritîs venerandus, jam totum Inclytum Canonicorum Collegium, Avitũ* MIERZEWSCIORUM *Acervum, etiam in juventæ flore, adultâ non niſi rectèfactorum impleri meſſe, & ipſâ ditari maturitate. Suſpexit inquam*

morum

morum gravitatem memoratus vir sedatissimus, & suo senio mentis canos in Te simillimos gestiens amavit tenerius, coluit singularius. Movisti dehinc ad majora gressum. Illustrissimo Posnaniensi, Gnesnensi adlectus Capitulo, propriô duntaxat commodô sanctius vivere non contentus, nisi praeires cunctis & salutis monstrares semitam in Archicathedrali Basilica Ecclesiastes Zelosissimus. Intulisti sacratiores in Exedras, unà famam per Regni totius Dioeceses, vocalissimã, Gnesnensem à sacris Oratorem sanctis horam implere dictis, factis vitam, utrisque ultra censuram ad plausus & motum perorare. Nec grandiores curae tantùm poterant, nec possunt hactenus, ut zeli restingvant ardores, & sacratiorem flammam

sopiant

ſopiant exortam in incendia. O diem Ignatii plùs quàm feſtum! ô ultimam lucem Iuliam, non Tuâ minùs ſacerrimâ facundiâ, quàm annuâ Divi Parentis noſtri pompâ celebrem! velut in criminum ſimul fatum decretorium, ſimul in virtutum, & pridem Cœlô donatæ Sanctitatis commendationem deputatus fuiſſes, aſcendiſti Macieiovia-ni Templi Roſtra, tam oris diſertiſſimi eminens majeſtate, quàm dignitatis Judiciariæ: ea ſudiſti oracula, quæ Sanctum fecerant Lojolam, niſi inveniſſent. Utcunquè ille ſuarum Auditor laudum parciſſimus, promiſit tamen ab aſtris Caput, & ideo amavit encomia, quòd Tu Orator, Tu Panegyris nobiliſſima contigiſſes. Ibit ergò in faſtos memores: vel ſuperos eloquiô creviſſe

Tuô

Tuo vel igneum Societatis Patrē, terris ampliùs inclaruisse, V-Præsidentis Tribunalitij sermone Illustrissimo. At Lublinensis exedra, quæ non meminit digniùs aliquando se locutam, diu similem svadam exspectabit, nostri verò homines ultra pectus & manum Tuam, oris quoque pretiosi beneficia computabunt. Allaboras Divis immortalibus; at, nequè mortalium portio, Tuæ vilior facundiæ, dum Ivanoviensi in parochia, exemplo sanè rarissimo, ac seculis memorando, assidua vigilantissimi Pastoris sui voce, cōmissus curæ grex animatur, & viriles resumit animos, ut Cælos arietet, qui compunctus ac victus, toties pulchrā de se lauream tanto concessit Oratori. Adeò non solitarius salutis incedis viam! ita concione florentissima

ſima, & numeroſis virtutum copijs ſtipatus, cum pompa graderis, ut inter lateris probra non reponas, etiã comite beneficiorum egeſtate ambiri. Hæc illa eſt, quam ſolers pietas conquirit undique, porrigit manum auream, Tuam ſcilicet, ne pauper jaceat, calamitatem in pretium, lacernas in melioris fortunæ cultum diſſingit, ipſas deploratæ ſortis lacrymas transfundit in ſolatia. Sequuntur præterea ſuum Apoſtolum nobiles animæ, à Calvini erroribus in planiſſimum Cælorum reductæ callem. Latalſciorum Twardowſciorum, Domus *quantùm de Cœlo Te Duce merentur? poſtquam præclara quæque de Patria meruiſſent. Vegetantur hactenus à Te, reſumpto ſpiritu, & quem hauſerunt orthodoxæ fidei amorem, hæredibus inſpirant*

id

id eſt ab Gentilitio Mierzewſcio-rum *inſigni, ſupernis frugibus, ſemper divite, acceptam ſementem jaciunt in uberius germen proruptur ã. Quodſi plures viæ & vitæ glorioſiſſimè exactæ hactenus progreſſus Tuos memorem, conſtat ſemper, quòd à recto neutiquam deflexeris, vincendo ardua, merendo ſumma. Impleverat horror Gneſnenſem Metropolim, quà repentinis, graſſante lue, excitus mortibus, quà hoſte Eccleſias, reditibûs, auro, & gemmîs aras ſpoliante: ergo dilabentibus univerſis, Tu unus Achilles contra, cujus infracto robori ſuperatæ mortes palmam, eluſi ferocientis militiæ aſſultus donant lauream. Erepti fatis Primatialis Templi Accolæ, ſuum Te ſervatorem prædicant, ſimulque graſſante cũ peſtibus fame*

ſatis

satìs superque habiti, suum plùs quàm Patrem. Integrum Archicathedrale Capitulum, stupendæ dexteritati debet plurimum, & quòd inter afflictissima tot injuriis tempora, subditos vidit incolumes, & quòd vastantem cuncta, inter belli licentiam, extremam bonorum jacturam haud vidit. Debet Sanctissimus quoque Gnesnensis Archi-Præsul Adalbertus, cujus Sacerrima Lypsana, tutiori loco concredita, quòd ipsa securitate non perierint, Tuus Prælate Dignissime ingeniosus labor fecit. Hæc videlicet Tua Curarum fuit maxima, post servatos & mortibus ereptos homines, servare Cælites. Sic, ubi in rem Archidiœceseos egisti grandia, simul vicinæ Diœcesis Supremum Caput, non ita pridem vitâ duntaxat, sed

non

non rectè factorum functum memoriâ Illustrissimum Bartholomæum Tarlo *Posnaniensem Antistitem, Sanctâ Tui ipsius torsisti invidia. Tentavit ille vir Sanctus omnia, ut Episcopales reditus felicissimis concrederet manibus, è quibus liberaliùs perciperet, quàm speraret. Miratus brevì & Colonorum augmentum & proventum; credidit, Gentilitium Domus Tuæ acervum, in Templorum fortunam, in egentium subsidia vacuari. Hinc, quæ illa in meritissimo Antistite ad* Te *æstimatio? amor quantus? priùs nec semel Tuum nomen impressit pectori, quàm illius vultum exprimeres Posnaniensis Cancellarius, simulque in tribuendo ejusmodi officio prælusit, utinam sensu augure! Metropolitanas manibus his concre-*

di

di ceras, quæ posthac Regni totius aquilas sint gestaturæ. Neque verò Sacrorum tantùm Reges, at Sarmatici etiam Throni Coronata Gloria Augustus 2dus, eum candore notabilem animum in Te suspexit, qui militaris licentiæ adnotator, & ultra Romanum illum longè melior, ut pote sine supercilio, Cato, afflictos, Posnaniensem Calissiensemque Palatinatus obires, civium damna horrida colligeres in numerum fortunæ, lacrymas in sinum Principis referres. Ivisti collegisti, retulisti. Cecidit, Te publici luctûs quasi Referendario, Rege Judice, insolens causa, nomen, que Tuum extulit cadendo, ut Palatinæ felicitatis Assertor dici merueris: audires etiam titulos istos, si in accepto referre, saltem glo-

riam

muneris velles, cui institutum est non ad auram vivere popularem, studere terrarum sorti citra laureâm, quia orbem Lechicum in Tui cultum trahunt, & amorem, prope est tamen ut minora dixerim, si ad summa in facie Regni ad prima Areopagi Poloni subsellia conferantur. Toties Te excipiunt quà reorum, quà actorum plausus, quoties Tribunalis Regni V-Præsidens, Cælorum dono, meritorum adminiculo constitueris. Statuum acclamatio una omnium, supremam Lechiæ Themidem tunc non auro venalem, cum Illustrissimus FRANCISCUS MIERZEWSKI, *proximè supremo admovetur Curiæ gubernio, Judex ex toto Aureus. Pulsant Coelos etiam nocentium vota, cum quibus partiris*

men-

menſas, & vinculatos liberali devincis manu, ut ſuæ dejectæ ſortes ſi triumphare non poſſunt, cadant mitiùs, & per exquiſitam Digniſſimi Archi-Judicis pietatem, à crudeliori, omnibus lanienis, inedia eximantur. Tantis pro DEO, *Eccleſia, Regno, Patria, benemeritis vel* Te Uno MIERZEWSCIORUM Domus *locuples, in Colligatas quoq; proſapias* PIGŁOWSCIORUM KARSCIORUM, GNINSCIORUM, BOIANOWSCIORUM &c. *diſpenſat jubar, & diu tritas à Majoribus Purpuras, cum publico plurium omine, Digniſſimis lacertis Tuis promittit innovandas. Novis interim auctus honoribus Scholaſticum Gneſnenſem, Sremenſem Archidiaconum ita geras, ut ad Tui Sanctos ponè ac politos, mo-*

mores Clerum instruas, & plures ad Infulas, & Sacratiores trabeas debebit tibi Patria Candidatos. Mihi unicum, illudque Religiosum Votum superest ut ea, quam, inoffenso pede decurris, virtutum semita, post incolumem diutissimè vitam, sacris Coronatus vittis Beatorũ, terminum comprehendas. Id ex corde voveo.

ILLUSTRISSIMÆ REVEREN
DISSIMÆ Dominationis,

Devotissimus Servus.
ADRIANUS Miaskowski S. I.

REINHOLDUS GERT.
Viſitator & V. Provincialis Soc. JESU per Poloniam.


CUm opus, quod inſcribitur: Expedita ſalutis via &c. á Patre ADRIANO Miaskowski Societatis JESU Theologo, aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, poteſtate mihi factâ ab A. R. P. Noſtro Michäele Angelo Tamburino Societatis Noſtræ Præpoſito Generali, facultatem concedo, ut typis mandetur, ſi iis, ad quos pertinet, ita videbitur: Cujus rei gratiâ, has literas, manu meâ firmatas, ſigilloque munitas dedi Sandomiriæ 1717. 20 Junii.

Reinholdus Gert.

APPROBATIO
JLLUSTRISSIMI & REVERENDISSIMI LOCI ORDINARII;

Imprimatur in utroque idiomate
Joan. Caſimirus Epiſcopus Premiſlienſis
Cancellarius Regni
Jaroſlaviæ 15. Martij
1718.

Intentio Authoris & Finis operis.



Xpeditam Salutis Viam per suæ Exercitia Spiritualia, Christi fidelibus, qui ipsis uti voluerint, S. Ignatium Lojolā Societatis JESU, Fundatorem mōstrâsse; & ex summorum Pontificum Oraculis, & ab experientia plurimorum, maximisquè hinc perceptis fructibus spiritualibus, satis superque constat.

Paulus III. *Supremus Christi in terris Vicarius, in Bulla approbationis prædictorū exercitiorum, quæ incipit: Pastoralis officij, quid de his exercitijs senserit, & quem sensum Christi fidelium esse voluerit, ex verbis ejusdem facilè intelligitur. Dicit ille: Nos igitur qui documenta hujusmodi, & exercitia examinari fecimus, & quæ testimonio, ac relatione nobis desuper facta; pietate & Sanctitate, plena & ad ædificationem & spiritualem*

profectum fidelium valde utilia esse & fore cōperimus, debitū etiā respectū habentes, ad fructus uberes, quos Ignatius, & ab ipso instituta Societas producere non cessant, & ad maximum adjumentum, quod ad id prædicta Exercitia attulerunt, exercitia prædicta ac omnia, & singula in eis contenta approbamus, collaudamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus, hortantes plurimùm in Domino, omnes & singulos utriusque sexus Christi fideles, ubilibet constitutos, ut tam pijs documentis, & exercitijs uti, & illis instrui devotè velint. Alexander verò VII. Summus pariter Pontifex in bulla : *Cum sicut nobis*, non solùm commendat eadem ipsa Exercitia, sed etiam concessâ plenariâ indulgentiâ ad ea per 8. dies peragenda excitat & invitat in hæc verba: *Nos qui probè scimus, quantopere conducant Exercitia spiritualia, à S. Ignatio Societatis JESU Fundatore instituta, dirigendis in viam Domini, & confirmandis in illa, Christi fidelium mentibus, devotionem eorum, qui operi adeo pio & salutari vacaverint, cælestium Ecclesiæ thesaurorum elargitione, magis incitare volentes: omnibus, & singulis Christi fidelibus, qui in Domibus memoratæ Societatis, exercitia prædicta, juxta laudabilem ejusdem Societatis consvetudinem, per octidui spatium, quandocunque peregerint, & interea temporis, verè pænitentes & confessi, sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, quoties id egerint, plenariam omnium*

nium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, misericorditer in Domino concedimus.

Quosnam verò, & quantos spirituales fructus, Christi fidelium animabus usurpata afferre soleant? spectamus in conversione tot peccatorum, qui per hæc Exercitia ritè peracta, in viros prorsus alios mutati, verè pœnitentes, sanctam deinceps egerunt vitam. Spectamus item, in sublimi, & magna Sanctitate, tot virorum Sanctorum, ad quam hoc usi medio pervenerunt. Quales sunt S. Carolus Borromæus, S. Franciscus Salesius, S. Teresia de IESU; S. Maria Magdalena de Pazzis. Omnes etiam è Societate Sancti, & viri virtutum laude celebres, hac & non aliâ viâ, ad magnæ Sanctitatis culmen conscenderunt. Per hæc in Anglia, Iaponia, & alibi pro Christi fide Martyres disposuerunt se, ad tormenta, pro Christo, fortiter perferenda.

Per hanc salutis viam, ut fideles ad DEUM dirigantur, non solùm S. Ignatii cura singularis, & solicitudo fuit: sed etiam filiorum ejus, & universæ Societatis, ab ipso institutæ, hic ipse labor, hoc studium est, & esse debet. Illud à Sancto Fundatore, habemus singulariter commendatum, Constit. par. 4. Cap. 8 § 1. ubi dicitur: Ad exercitia spiritualia alijs tradenda, postquam quisque ea in se expertus fuerit, assvescant, & dent operam omnes, ut in hoc armorum spiritualium genere, dexteritatem

habere possint. Iisdem tradendis, ut etiam ego indignus, Sanctissimi hujus Patris filius asvescerem; & officij mei ratio, quod ex superiorum meorum voluntate obivi, & occasiones aliquot, tradendorum hujusmodi exercitiorum, diversi status personis, aliquam fecerunt opportunitatẽ: quæ quia non solum ad spiritualem fuisse profectum eorum, qui ipsis exculti fuêre, visa sunt, sed sperantur insuper, etiam alios adjutura, pro usu plurium, ea luci pubilcæ, Superioribus annuentibus danda esse censui.

Quia verò Directorium Exercitorum monet Cap. 1. num. 6. Opinionem hanc, eripiendã esse hominibus, quâ putant, solis religiosis, aut ijs, qui religiosi fieri volunt, convenire exercitia: Quæ opinio falsa omnino est: Cum enim omnes salutis suæ, curam habere debeant; omnesque non solum religiosi, sed etiam sæculares, egeant gratiâ DEI, propter pericula, in quibus assiduò vivunt, debentque & ipsi adjumenta quærere ea, quibus ad hanc gratiam, hauriendam, quam maximè disponuntur: Tale adjumentum ut habeant, cujusvis status homines, utque non solum religiosi, sed etiam quicunque alij, finem suæ creationis agnoscant, impedimenta, & pericula excidendi ab hoc fine, cognita habeant; adjumenta etiam, & media ad eundem finem consequendum, conducentia, benè nôrint; viamque salutis, & ipsi intelligant, & alios quos possunt, aut tenentur, in veritate doceant; meditationes quæ hoc oper,

pro-

proponuntur, omni hominum statui accomodatas esse volui.

Et imprimis, in prima operis, parte Meditationes pro octiduo Excitiorum tales & eo modo proponuntur, ut ab omnibus etiam à non religiosis, nec ad hunc finem aspirantibus, fructuosè, & cum spirituali ipsorum profectu, & solatio, peragi possint.

In secunda parte, adduntur Meditationes quæ inter octiduanas primæ partis inseri, &, substitui, possunt: expunctis quibusdam earum quæ in prima parte habentur, pro exigentia & circumstantia Personæ, quæ exercitijs hujusmodi, vacare volet. Et sic quia aliqui egere, vel optare possunt: ut in via purgativa, diutius excolantur, propter concipiendum, majorem peccati mortalis horrorem: proponuntur in hunc finem, in parte 2da, Meditationes novem, de peccatis: quæ, vel aliquæ ipsorum, assumi poterunt. Addantur deinde, de Purgatorio, & de Beatissima, quæ pro devotione cuiusque, utiliter ab omnibus fieri poterunt. Quia verò, ulterius possint non nulli, sub tempus exercitiorum, de eligendó, determinato vitæ statu, deliberare ipsáque electionem; perficere velle, proponuntur tres Meditationes, in ordine, ad faciendam electionem, quarum prima præliminaris est, respondetque præludio, ad electionem faciendam, in Exercitijs, S. Patris Ignatii proposito, & introductioni, ad eandem rerum electionem. Per 2dam, & tertiam Meditationem, proponuntur

prior

prior, & posterior Electionis modus: & præcipua quævis, ad electionem spectantia. Ex his tribus Meditationibus, potest proponi quibuscunque de eligendo statu deliberaturis, imò etiam; in certo vitæ statu constitutis, si illi, circa aliarum rerum, etiam mutabilium electionem, deliberare voluerint. Et sic, possunt hac Meditatione exerceri, qui aliquod beneficium Ecclesiasticum, sunt accepturi, vel dimissuri: qui deliberant de condendis testamentis, de pijs aliquibus operibus, eligendis, & faciendis: circa vitam, sanctius & perfectius instituendam: sæculares etiam, in sæculo mansuri, possunt exerceri, ut adversùs pericula, in quibus versantur, sint magis muniti, & præparati. Meditationes, modum priorem, & posteriorem electionis proponentes, non omnibus dandæ sunt, ex præscripto Directorij: sed ut cuipiam dentur, ad duo hæc adverti debet: nimirum ut is, cui darentur, per mores suos, & indolem, sit capax perfectionis, per electionem assequendæ: cujus non videtur esse capax, qui adverteretur, esse naturâ levis, & inconstans. Deinde, ut quis electionem facere velit, modosque ipsos, faciendæ eiusdem desideret, & postulet: non petenti enim nullatenus dari, multominùs ingeri, & obtrudi debent non cupienti. Tandem in 2da parte, proponuntur Meditationes, diversis hominum statibus, propriæ, & accomodatæ, Quales sunt, de reformanda vita hominis, in statu sæculari, vel etiam matrimoniali constituti. Meditatio

ditatio de fine, medijs ad eundem finem, & Obligatione hominis religiosi. Meditatio de Vocatione, ad statum Sacerdotalē, & Meditatio, de Vocatione ad Beneficium Ecclesiasticum maximè illud, quod curam animarum, annexam habet. Quæ Meditationes præparatæ sunt, conformiter ad ea, quæ S. Pater Ignatius proponit, puncto 3. introductionis, ad eligendarum rerum notitiam: ac etiam sub Titulo, de reformatione, circa vitæ statum, cuivis facienda.

Quando verò, in octiduo Exercitiorum, aliquæ Meditationes 2dæ partis assumentur, poterunt, tunc expungi, & omitti Meditationes, 1mò de Creatione & modo Creationis. 2do de Incarnatione Verbi Divini. 3. de fine hominis Christiani, & medijs ad eundem finem. 4. de conformitate cum voluntate Divina. Sunt tamen aliquæ Meditationes, in octiduo Exercitiorum positæ, quas R. P. Ignatius Diertins Societatis nostræ, in sua explanatione, Exercitiorum S. Patris Ignatij, capitales appellat, & quasi animam, exercitiorum, quas nullatenus, prætermittere fas est. Tales sunt: Meditatio, quæ à S. Patre, appellatur Fundamentum, de fine hominis, & medijs ad hunc finem. Meditatio de Regno Christi. De duobus vexillis. De tribus hominum classibus. De tribus humilitatis gradibus. quibus etiam adjungendas censet, Meditationem de peccatis, & Meditationem, de amore DEI excitando. Quod si quis, per 10. dies, exercitia S. Ignatij, agere voluerit, ut

cuique liberum, ac etiam laudabile est; non multis, vel etiam nullis Meditationibus, primæ partis exclusis, poterunt pro placito assumi, 6. Meditationes ex illis, quæ in 2da parte habentur.

In Meditationibus ferè omnibus utriusque partis, hæc observatur praxis. Unicuique meditationi, vel etiã singulis earum punctis, præfiguntur aliqui, sacræ scripturæ tèxtus; aut quæpiam, SS. Patrum sententiæ. ex quibus deinde eruuntur doctrinæ, quas S. P. Ignatius, in suis exercitijs proponit, vel quæ conformiter: ad mentem ipsius, proponi existimantur, ac etiam reflexiones, materiæ accõmodatæ. Quod factum est 1mo ex eo: Ut pateat, Exercitia S. Patris, quæ, & ipse S. Pater, & summus Pontifex Paulus III. appellant, documenta ex sacris scripturis, & vitæ spiritualis experimentis, elicita; ut inquam pateat, ex quibus, probabiliter, scripturis sacris, & Patrum sententiis singula eorum, sunt eruta. 2do quia multùm hac ratione, consulitur memoriæ facientis Exercitia, dum ad sacræ scripturæ textum, revocantur, & applicantur doctrinæ, quæ, in una quaque Meditatione, & singulis ejus punctis, opportunæ proponuntur.

3tio Quia, dum ex sacris Scripturis, & Patrum sententijs, deducuntur aliquæ veritates, ad vitam rectè instituendam servientes, Intellectus convincitur facilius, ad agnoscendum verum. Clare autẽ cognita veritate, citius permovetur

vetur voluntas, ad amplectendum bonum, & fugiendum malum.

4to Quia principia vitæ spiritualis, ex sacræ scripturæ doctrina eruta, rudioribus etiam fidelibus, in concionibus facilius, & commodius proponi, & instillari, cum ipsorum fructu possunt. Etiamsi enim hi, ad exercitia spiritualia, facienda, invitari, & admitti, sine delectu non debeant, cum plerique, nec capaces etiam sint, ut ijs excolantur; tamen cum nec ipsi debeant destitui, vitæ Christianæ principiis, & ad finem suum consequendum adjumentis, multa etiam illis, ex his, quæ in Exercitijs dictis continentur, per partes, in Concionibus instillari, & proponi debent, quod vix commodius præstari potest: quàm præstetur, dum sacræ Scripturæ ipsis explicantur; & ex explicatis, eruuntur doctrinæ, & veritates, ad vitam Christianè agendam, conducentes.

Pleræque Meditationes, afferuntur prolixiores, ex his rationibus. 1mo; Quia licet S. Patris Ignatij, exercitia, & documenta, sunt brevissimè proposita; tamen ut loquitur Directorium Exercitiorū, Cap. 5. num. 7 multa in Exercitijs ijsdem, sunt brevissimè dicta, quæ magnum pondus habent; & ignorata ac prætcrita, damnum afferunt. Sunt nuces, quæ frangi debent, ut nucleus habeatur; sunt granum sinapi, quod non nisi contritum, vim suam & efficaciam exerit. Quare visum est hæc proponere enucleatius, & singulas pænè voces, sive scripturarum

 sive-

ſive Exercitiorum, quibus hæc à S. Patre Ignatio proponuntur expendere. 2do Quia etiamſi his, qui in rebus ſpiritualibus, aliquantùm verſati, & exercitati ſunt, qui item, cum magno ſpiritus fervore, & ſingulari animi contentione, ad facienda S. Ignatij exercitia accedunt, juxta annotationen 2dam ejuſdem, Meditationes proponi debeant, percurſis obiter punctis, & adjectâ brevi declaratiunculâ; ut is, qui meditaturus eſt, accepto veritatis hiſtoricæ primùm fundamento, diſcurrat poſtea, & ratiocinetur per ſe ipſum, idque propter guſtum delectabiliorem, & fructum uberiorem percipiendum, tamen his, qui in rebus ſpriritualibus, exercitati non ſunt, non cum magno etiam fervore accedunt; ſed hic primùm in ipſis, per exercitia excitandus eſt, nec præterea ſpes eſſe poſſit, ut illi, per ſe ipſos, fructuoſe diſcurrere, valeant: ſed timeri potius debeat, ne propter materiæ ariditatem, mente vagentur, per diſparata objecta: His inquam, conveniens eſt, proponi ſingula Exercitia claré, plené, & ſufficienter: Ut ex ijs, modum & normam diſcant, quomodo deinceps meditaturi, Divina & ſpriritualia, quæ ipſi, pro ſuo arbitratu, aſſument; poſſint circa illa, fruſtuoſe diſcurrere. Quare, cum Meditationes præſentes, proponantur, pro uſu varij ſtatûs, & conditionis hominum, inter quos, plures futuri ſunt, parum verſati, & exercitati, in rebus ſpiritualibus, multi etiam minus ferventes, & rebus terrenis immerſi, debebant illa dilucidè &

dè &

dè, & accomodatè, ad captum ipsorum & faciliorem convictionem intellectûs, adeo-, que fusius, & prolixius proponi.

3tio Quia cum non sit necesse, ut integræ Meditationes, prout proponuntur, decurrantur per horam, imò etiam cum non sit possibile: aliquas, intra hoc tempus, decurri, & absolvi, nullusque, aut exiguus hinc fructus, proveniret: sedcum unum punctum, imò quandoque pars etiam aliqua puncti, possit esse materia sufficiens horariæ meditationis; unusquisque, accepto hinc fundamento, poterit adhuc, perse ipsum discurrere, & ratiocinari, uberemque fructum inde percipere, quod annotatione 2da, intenditur. Siquidem satis breviter, & succinitè, plures particulares doctrinæ, insinuantur; circa quæ intellectus, diutius discurrendo, potest immorari, et puncta, per hoc frequenter, prolixa sunt quod multas doctrinas, & veritates, complectantur, Reflexiones quoque, & affectus sæpius, leviter non nisi attinguntur; ex quibus tamen, cum potissimus fructus esse debeat, aliquantûm iisdem indulgeri, & plus temporis, impendi debet. In hoc verò casu, in quo unum punctum, vel ejus aliqua pars, pro materia integræ Meditationis, assumetur reliquum meditationis, locò libri spiritualis vel tempore libero re legi poterit: & si attentè, ac consideratè legatur, fructus hinc singularis referetur. Punctum 3tium meditationis, juxta priorē modū electionis, non unius diei, multo minùs unius horæ, sed aliquot dierū labor, et negotiū esse

esse debet, idque non intra sed extra meditationem, expediendum ita, ut omissis plerisque, alijs actionibus, huic uni operi vacetur.

4to Meditationes hæ proponuntur longiores, ex eo, non solum ut usui sint, dum exercitijs spiritualibus, per 8 vel 10. dies, vacabitur sed etiam, ut extra hoc tempus, materia, quotidianarum Meditationum, hinc desumatur. Inter alios enim fructus, qui ex peractis, vel semel, hujusmodi exercitijs referri debent, hunc etiam unum esse convenit, ut tales usum habeant, quotidie meditandi, Divina, per mediam aut etiam si fieri potest, per integram horam, alium verò, quotidianarum Meditationum, si quæ materia, videtur consulenda; maximè materia, spiritualium, S. Ignatij Exercitiorum. Ita enim facilius, fervor Spiritus, in his exercitijs acceptus, per eadem principia conservatur: & proposita sancta, in exercitijs concepta, memoriæ facilius, occurrunt; ut ad eadem exequenda, magis obfirmetur animus.


PAR-

PARS I.

In Qua,

Proponuntur Meditationes, Usui communi, cujuscunque status hominum, pro octiduo, Exercitiorum Spiritualium, accomodatæ.

PRI-



PRIMÆ DIEI.

Meditatio. I.

Præmittenda octiduanis Collectionibus.

Præludium I. Imaginare te á DEO vocari, & duci ad ſolitudinem, ut in hac, DEUS ad cor tuum loquatur.

Præludium 2. Poſtula à DEO gratiam, ut hoc Sancto Exercitiorum Spiritualium tempore, ad cor tuum loquatur.

Loquere Domine, quia audit ſervus tuus.

PUNCTUM I. Audi DEUM dicentem: Oſeæ 2, Ducam eam; (id eſt animam,) in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus. Et conſidera, Exercitia Spiritualia, S. Patris Ignatij, quibus vacaturus es, eſſe ſolitudinem illam ſanctam, ad quam DEUS, te ducit, per ſuam internam motionem, ſegregando te, a negotijs, & hominibus, & ſecedere faciendo, ut in hac ſolitudine, loquatur ad cor tuum.

Hæc conſiderans concipe pretium, & æſtimationem, quàm maximam, exercitiorum horum ſpiritualium, tuique, in hanc ſolitudinem ſeceſſûs, Magni ſane, æſtimandum eſt, tempus illud, quo ſoli DEO vacamus, cum DEO converſamur, DEUM nobis

nobis loquentem, auscultamus. secessus ille Moysis, quo secesserat in montē Horeb, ut cum DEO, per 40 dies loqueretur, ab eoque præcepta Decalogi acciperet, res erat omnium judicio sancta, & maximè æstimanda, ac in magna fuit admiratione, toti Israëli.

Ad tale pretium, & æstimationem majorem, adhuc, sacri hujus secessus concipiendum, considera, quod DEVS, in hac sacra solitudine, loqui soleat verba legis, verba salutis, verba vitæ æternæ. Loquitur verba legis. Quia in hoc secessu, per sanctas, intellectus nostri illustrationes, ostendit nobis, quæ sit hominis obligatio, DEO serviendi, ipsū amandi, a vitijs quibuscunque abstinendi, ex illis consurgendi, in virtutibus, & perfectione Christiana, proficiendi. Loquitur etiam DEUS animæ in solitudinem ductæ, verba salutis, verba vitæ æternæ; dum eam dirigit, in viam salutis, dum docet, quâ ratione, vita hæc, sanctè & Christianè, sit instituenda, dum modos & media proponit, ad salutem, & vitam æternam consequendam. Tale DEI alloquium, quis non libenter habeat? quis pro documento, specialis Divinæ benevolentiæ, non accipiat, nulli certe tædium, nulli fastidium afferre debet. Apostoli à Christo avelli non poterant, ex eo, quod verba vitæ æternæ, ex ore ipsius, audirent. Quo ibimus, verba vitæ æternæ habes.

Excita in te, desiderium, audiendi verba legis, verba salutis, verba vitæ æternæ, quæ DEVS, Optimus, tibi loqui dignabitur. Age DEO tuo gratias, pro tanta dignatione, & beneficio, quod tibi præparavit, quòd te alloqui, suamque voluntatem, tibi manifestare velit. Indignum te reputa, divinâ hac gratiâ. Protestare animi tui præparationem, ad audiendam vocem Domini, appromitte omnem facilitatē, ad ea facienda & exequenda, quæ tibi hoc tempore, DEUS inspirare & ad quæ te movere, & excitare dignabitur.

Punctum II. Conſidera quod Deus, in hac ſacra ſolitudine, loqui velit, non ad aures, ſed ad cor tuũ; & ad cor, ſe locuturum promittit, *Imo* ex eo, quia, quæ ad te loquetur, cordi bene imprimi debent. Quæ ad aures dicuntur, facilè tranſvolant, cum ſono vocis deſinunt. Quæ verò Deus tibi loquetur, ad cor tranſmitti, cordi inſculpi, corde conſervari debent. Talia ſiquidem Deus, in hoc ſeceſſu, loqui conſuevit, quæ ulteriori vitæ ſpirituali, ſubſervire debent, juxta quæ, vitam te deinceps, inſtituere oportet. Hìc tibi, diſcenda principia vitæ Chriſtianæ, vitæ perfectioris, dictamina illa practica, ſancta, quibus regulandæ ſunt, omnes totius vitæ, actiones, ut ſanctè, & laudabiliter vivas.

2do ideo Devs, ad cor tuum loquetur, Quia non ſolum, inſtruet, Sanctiſque ſuis illuſtrationibus, illuminabit intellectũ tuũ, ſed etiam, voluntatem tuam flectere, ad bonum proſequendum inclinare, tuumque affectum, & cor ſibi devincire, ad ſe atrahere, ſibique indiſſolubiliter conjungere, volet. Illos Oratores, ad cor loqui dicimus, qui non ſiſtant in eo, quod doceant, quod res novas, inexpectatas, ingenioſas, & eruditas afferant, ſuiſque auditoribus proponant: qui non ſunt contenti, quod curioſè, paſcant intellectum, eundem etiam rationibus, ſubindè efficacibus convincant; ſed inſuper progrediuntur, ad inflammandum affectũ, acres admovent ſtimulos ad excitandam, & permovendam voluntatem, conanturque vi & efficaciâ ſingulari, diverſos animi motus, & effectus in cordibus humanis, excitare, idque miro artificio, facilè conſequntur. Talem Oratorem, hoc octiduo Deus vult agere, vult ille non ſolum per ſanctas illuſtrationes, mentis tenebras diſpellere, tuumque Intellectum illuminare; ſed etiam, per pias affectiones, ad id, quod ſibi placitum fuerit, te excitare. Ita tecum aget, ut non ſolum cognoſcas, ea, quæ ſunt neceſſaria, ad

ſalutem

ſalutem & perfectionem tuam, ut non ſolum diſcas principia altiſſima, rationes æternas, juxta quas vitam inſtituere debeas, ſed inflammabit voluntatem tuam, ut velit ea facere quæ, intellectus à DEO illuſtratus proponet facienda, tanquam recta, & legi æternæ, rationibuſque, & principijs altiſſimis conformia, imò acribus te ſtimulis gratiæ ſuæ urgebit ad ea noniſi volenda, quæ cum gloria ipſius ſunt futura. Utinam verò talem adhibeat ſtimulum contra quem ſit tibi durum calcitrare.

3tiò Ex eo adhuc DEUS ad cor tuum loquetur, quia quæ loquetur, cor tuum maximè petent, ad cor dirigentur. Ita tibi & ea loquetur DEUS, per quæ cor tuum molliat, illudque, conterat & in lacrymas ſolvat, per quæ cor tuum mundet & totaliter immutet, ut non ampliùs de corde tuo prodeant cogitationes malæ, & illa peccata quibus Divinam Majeſtatem offendere ſolitus fueras. Per hæc quæ loquetur volet efficere ut cor tuũ ſit dignum Sanctiſſimæ Trinitatis, Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ ſæpius ad te venientis, & gratiæ Divinæ habitaculum, ut ſit templum DEI vivum, donis cæleſtibus, & ſanctis virtutibus exornatũ.

4tò Tandem loquetur DEUS ad cor tuum, quia cor à te maximè exiget, illudque a te petet, Fili præbe mihi cor tuum. Non petet autem cor diviſum, cor partitum inter DEUM & creaturas, ſed cor totum, cor integrum. Ideoque vult ad cor tuum loqui in ſolitudine, ut ſolus DEUS cordi tuo loquatur, & aures cordis tui, ſoli DEO pateant. Abſit, ut hoc tempore ad cor tuum loquatur mundus, caro, diabolus. Non loquatur tibi concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, unum cor cedat uni DEO. Vult DEUS cor tuum, cor totum, ut ad illud loquatur, vult enim, ut magno & liberali animo exercitia hæc peragas, totumque ſtudium & arbitrium tuum Creatori

offeras, ut de te, rebusque tuis omnibus statuat juxta sanctum beneplacitum suum. Vult Deus, ut ne tu quidem ipse in corde tuo partem habeas, sed ab amore tui ipsius & à cujusvis proprij commodi affectione totum te abstrahas, fortiter persvasus, tantùm te ex hac Divina ad cor tuum locutione profecturum in spiritu, & rebus ad animæ tuæ bonum conducentibus, quantùm ab amore tui ipsius, & commodorum tuorum affectione te abstraxeris.

Præbe itaque Deo cor tuum, cor totum, perfectum, velis illi servire corde perfecto, ama illum ex toto corde tuo, amplia, & dilata cor tuum, nec pone modum, ac terminum donis ipsius, & sanctis ejus illuminationibus, & motionibus, procul sit à te cor ita arctatum, ut ad quosdam non nisi, & determinatos limites illuminari, & juvari velis, ut illa tantùm à Deo loquente audire exoptes, ad quæ ipse propendes, & quæ ex rationibus humanis, statuta & prædefinita habes, non verò omnia quæ tibi Deus optimus loqui dignabitur.

Erumpe in affectus: Loquere Domine, quia audit servus tuus. Paratum cor meum Deus: paratum cor meum, Deus cordis mei es, cordi meo loquere: cor meum in manu tua quocunque volueris, flecte illud, compelle ad te Domine quantũvis rebellem voluntatem meam ut tibi serviam corde perfecto ut te in vita, & æternitate toto corde amem.

Punctum III. Expende illa verba ad Roman. 2. *Non Auditores sed factores, legis justificabuntur.* Et considera, non hunc unicè debere esse finem præsentis recollectionis tuæ, nec hunc nonnisi fructum ex exercitijs S. P. Ignatij te referre debere, ut in hoc secessu Deum ad cor loquenten audias, ut voluntatẽ, & beneplacitum Divinum circa te, & tua omnia cognitum & perspectum habeas, ut per illustrationes Divinas edocearis, quomodo te

vitam instituere oporteat, ut multa bona, & sancta proposita concipias, illa in cor tuum altê de mittas, & corde percipias, ac intelligas, quæ tibi loquitur ac inspirat Devs. Plus à te exigitur, amplior, et uberior fructus esse debet sancti hujus secessûs, non satis est, quod sis auditor legis, sed factorem legis te esse oportet, ut justificeris. Illustrationes sanctæ & lumina à Patre luminum liberaliter in te effundenda, in pænam tibi sunt futura, nisi, ea, quæ facienda hîc cognoveris, ad effectum deduxeris; servus sciens, & non faciens voluntatem Domini sui, plagis vapulabit multis. Fructus præsentium exercitiorum non debent esse solæ consolationes, quas per locutionem suam Devs cordibus immittere consvevit, sed talis fructus debet esse vitæ in melius reformatio, & emendatio, ut veterem exuas, & novum induas hominem, ut ex his exercitijs novus deinceps homo, & per omnia immutatus prodeas, ut ulteriorem vitam tuam, juxta rationes æternas, & principia tuæ saluti maximè opportuna instituas, & per omnes tuas actiones, Dei gloriam quæras, ipsique præstes obsequium.

Aggredere ex nunc hoc sanctum reformationis vitæ tuæ opus, ad quod faciendum excitat te, & excitabit gratia Divina, fac citò, & quæ corrigenda, Divino lumine illustratus, adverteris, statim corrigere stude. Seriò obfirma animum tuum, contra omnes difficultates, quæ te retrahere conabuntur ab executione beneplaciti Divini, & sanctorum tuorum propositorum. Protestare illis Psalmistæ verbis: Juravi, & statui custodire judicia justitiæ tuæ. Illis item verbis Apostoli: Quis me separabit à charitate Christi? an tribulatio? an angustia? Certus, sum quia neque mors; neq; gladius &c. neque ulla alia creatura poterit me seperare.

Colloquium ad Patrem æternum, cui suppli-

ca humillimè, ut ita ad cor tuum loquatur, ut illud in se planè transformet, tuamque voluntatem per resignationem perfectam ejusdem, suo Sanctissimo conformet; beneplacito, & ad quod volendum suâ gratiâ te excitabit, ad illud explendum & perficiendum, uberem gratiam, misericordissimè largiatur. In fine

Suscipe Domine universam libertatem meam, accipe memoriam, intellectum, atque voluntatem omnem. Quidquid habeo, vel possideo, mihi largitus es, id tibi totum restituo, ac tuæ, prorsus voluntati trado gubernandum, Amorem Tui solum cum gratia tua mihi dones, & dives sum satis, nec aliud quidquam ultra posco.

Meditatio II.

De fine hominis & medijs ad hunc finem consequendum.

Meditationem hanc S. P. Ignatius vocat Principium seu fundamentum.

Præludium 1. Imaginare DEUM formantē hominē de limo terræ, eidemq; animā & vitā inspirantē.

Præludium 2. Pete gratiam, quâ illuminatus cognoscere possis finem Creationis tuæ, & media ad hunc finem consequendum tibi a DEO benignissimè concessa.

PUNCTUM I. Audi illa verba Deuteronomij 26. *Creavit DEVS omnes gentes in laudem, & gloriam suam.* Audi item verba S. Patris Ignatij, in suo Exercitio, quod appellavit fundamentum. Creatus est homo, ut Dominum DEVM suum laudet, revereatur, eique serviens, tandem salvus fiat. Et considera, DEVM, cùm prudentissimè & sapientissimè condiderit hoc universum, sicut unicuique creaturæ, ita & homini certum finem præfixisse, ut eum intenderet, & studeret consequi. Porro cum

cum, finis (ut Scholæ loquuntur) alius ſit objectivus, qui eſt ipſum objectum, quod propter ſe, & gratiâ ſui intendi & appeti debet, alia verò, propter illud. Et alius finis formalis, qui conſiſtit in actibus potentiarum intentionalium, intellectûs, & voluntatis tendentium in ipſum finem objectivum, finis objectivus hominis eſt, ipſe Deus, in quem homo omnibus ſuis actionibus tendere& collimare debet, taliſque finis intelligitur eſſe Devs, dum dicitur, quod propter ſemetipſum Devs ſit operatus omnia. Finem formalem hominis expreſſum habes tum adductis Deuteronomij verbis, tum verbis Sancti Patris Ignatii. Qui ipſe ulterius finis prout proponitur à Sancto Patre Ignatio, complectitur duplicem finem formalem: Finem immediatum, qui ipſe ulteriùs ad alium finem ordinatur, & finem formalem mediatum, ac ultimatum, qui ad ulteriorem finem non refertur, ſed in ipſo tanquam in poſſeſſione perfecta finis obiectivi quieſcit. Finis formalis immediatus hominis, eſt cognitio, & notitia DEI, partim ex creaturis, partim per fidem habita, laus, glorificatio, & Amor DEI cogniti, reverentia ejuſdem, ac etiam obſequium, & ſervitium DEO exhibitum. Finis mediatus, & ultimatus hominis, eſt ſalus ipſius, & vita æterna. Eſt ergo creatus homo propter Deum, tanquam propter finem ſuum objectivum. Jam veró creatus eſt, tanquam propter finem formalem immediatum, ut Deum in hac vita mortali ex creaturis, & per veram fidem cognoſcat, amet, laudet, revereatur, eiq; ſerviat; propter finem autem formalem mediatum, & ultimatum, creatus eſt, ut ſalvus fiat.

Expende ulterius ſingula. *1mo.* Creatus eſt homo propter DEUM, tanquam propter finem ſuum objectivum. DEUS eſt principium tuum,

quia est Creator tuus, ab ipso habes esse tuum. DEUS est conservator tuus, ab ipsius conservatione, quovis momento dependet vita tua. ipse est in te summé beneficus, quidquid es, quidquid habes, vel habiturus es, à munifica DEI manu habes. Hic igitur DEUS, qui est principium tuum, ipse est & finis tuus, ipse enim est principium, & finis, Alpha & Omega. DEUS seipso, te summè beatum, & felicem, potest et vult reddere, tuum appetitum plenè explere, et satiare. Ut DEUS sit finis tuus, exigit summa illius excellentia, ac perfectio, cum enim sit summum, & perfectissimū bonum, illi soli convenit, quod plenè explere, & quietare possit appetitum rationalem. Exigit & ipsa hominis natura, & conditio. Homo enim secundùm animam est immortalis, spiritualis, intellectivus, capax Beatitudinis, & æternæ felicitatatis. Igitur finis objectivus ipsius, debuit esse objectum summè necessarium, & indefectibile, debuit esse objectum spirituale, inter objecta intellectu perceptibilia nobilissimum, & præstantissimum, deniq; debuit esse tale objectum, quod possessum redderet hominem summè beatum, summè: felicem, adeoq; finis objectivus debuit esse Deus, cui soli enumerata conveniunt prædicata. Unde, clarum ulteriùs est, finem hominis non esse nec posse esse voluptates, opes, & divitias, honores, & vanitates, non ipsummet hominem, non ullam creaturam, non mundum totum, nec omnium creaturarum universitatē

Expende 2dò. Creatus est homo, tanquam propter finem formalem immediatum, ut DEUM suum cognoscat, amet, laudet, revereatur, eiq; serviat. Hoc consequens est: si DEUS finis tuus objectivus est, finem formalem immediatum, debere esse ipsius cognitionem, amorem, laudem, reverentiam & obsequium: si enim DEUS finis tuus objectivus est, antequam ad ejus perfectam pervenias possessionem

& in

& in ipſo plenè conqvieſcas, debes in ipſum ferri & tendere, in eumq; collimare, non ſecus atque lapis fertur, & tendit ad centrum terræ. quia hoc eſt centrum lapidis, & omnium gravium, & quodammodo finis ejuſdem. Idq; debes tendere non motu locali, ut per præſentiam localem DEO conjungaris, hic ſiquidem propter ſuam immenſitatem, ubicunque exiſtis, præſens tibi adeſt, ſed debes tendere motu proprio potentiarum tuarum intentionalium, nimirum Intellectûs, & voluntatis, ſeu debes moveri in Deum, & tendere per cognitionem ipſius, curando, ut Deum, quoad fieri poteſt, quàm perfectiſſimè cognoſcas. Debes ferri in Deum per amorem ipſius, ac etiam deſiderium perfectæ unionis, & conjunctionis cum Deo. Si Deus finis tuus objectivus eſt, ſupremum, & maximum bonum tuum eſt: adeoq; debes in Deum tendere ut in ſummum bonum, eumq; ut ſummum bonum, & ſuper omnia, amare. Ut autem taliter Deum ames, debes illum cognoſcere, ejuſque cognitionem comparare, qualis hæc, in vita mortali haberi poteſt, nimirum ex creaturis, & per fidem, nihil ſiquidem volitum, niſi cognitum, & quo perfectiùs bonum aliquod cognoſcimus, eò perfectiùs illud ipſum amamus. Si verò Deum amas, & amas ſuper omnia, convenit, ut illum laudes, glorifices, quæ enim ſingulariore affectu proſequimur, ea laudamus, extollimus, magnificamus, imò etiam ab alijs laudari, & extolli optamus. Amoris, quo in Deum voluntas tua fertur, indicium & argumentum eſt, & eſſe debet laus, gloria, & æſtimatio DEI. Debes etiam revereri Deum, hoc eſt, præcepta ipſius ſervare, & voluntatem exequi, debes illi ſervire, ad id enim teneris non ſolùm ratione ſubjectionis, quam Creatori, & ſupremo tuo Domino debes; ſed etiam ratione amoris, & tendentiæ quâ in Deum, ut finem tuum

ferri teneris. Si enim Deum non revereris, si illi non servis, si mandata DEI transgrederis, nec ejus voluntatem exequeris, in amore finis tui deficis, jam non tendis in Deum, ut finem, sed ab eo deflectis, & rationem finis in creatura constituis. Idq; laus DEI, reverentia, & servitium debent esse finis formalis immediatus hominis: quia per hæc homo ita tendit in Deum tanquam finem suum objectivum, ut hæc non sint perfecta consecutio, & possessio DEI, sed sint medium, ad finem formalem, ulteriorem & perfectam possessionem finis objectivi, quatenus disponunt hominem, & faciunt, ut finem formalem ultimatum consequatur. Sunt enim merita, in quorum præmium, homo accepturus est perfectã possessionem finis objectivi, adeoq; finem formalem ultimatum consecuturus.

Expende. tertiò Hominem creatum esse tanquam propter finem mediatum, ultimatum, ut salvus fiat, hoc est, ut post vitæ hujus mortalis ærumnas, DEO æternaliter fruatur, ipsumq; possideat per claram, & intuitivam visionem ejusdem, & amorem beatificum DEI, ita cogniti, in quibus duobus, æterna salus hominis sita est. Finis formalis ultimatus hominis est, summa ejusdem felicitas, nihil enim magis desideramus mortales, quàm ut semper felices simus. Summa nostra felicitas futura est visio DEI, ejusque clara intuitio. Si plures mortalium suam felicitatem in eo constituunt, quo creata pulchritudine oculos corporis exsatiare possint, frequenterq; ab hujus conspectu abstrahi, & avelli nequeunt, quantò magis, maxima Sanctorum felicitas est futura, quia mentis oculum in summa, & increata pulchritudine defigent, quia conspectu DEI, conspectu pulchritudinis indeficientis, immutabilis, infinitè quascunque creatas pulchritudines excedentis, quâ major clari, & cogi

& cogitari non poteſt, totâ æternitate perfruentur, de ea gaudebunt, eamque puro, & perfecto amore complectentur. O increata pulchritudo, & quando tandem velamen ex oculis meis detrahes, quando intellectui meo, taliter, ùt es in Te, manifeſtaberis? Quando facie ad faciem Te intuebor, Te plenè, & perfectè diligam, ac in *Te* conquieſcam.

PVNCTVM. II. In explicato fine hominis conſidera I*mò*. Sublimitatem; & excellentiam ejuſdem. Finis hic (intellige objectivus) idem ipſe eſt, qui & finis ipſius DEI. DEUS enim non alium finem reſpicit, niſi ſeipſum, in ſe ipſo per cognitionem comprehenſivam ſui, ſuiq; amorem ultimò quieſcit, ac ſe ipſo ſummè felix, ſummè Betus eſt. Cum ergo citra omne dubium finis DEI ſublimiſſimus, & præſtantiſſimus ſit, cum DEO nihil ſublimius, nihil excellentius eſſe poſſit, ſequitur finem quoq; hominis talem eſſe.

Conſidera 2dò Quòd inter creaturas corporeas, ſoli homini, finis hic ſit proprius. Cùm enim ſolus homo, uſu rationis polleat, capax etiam ſit beatitudinis, nimirum viſionis intuitivæ DEI, & amoris ipſius beatifici, ſolus homo propter hunc finem creari potuit, ut Deum laudet, revereatur, eiq; ſerviens, tandem ſalvus fiat.

Conſidera 3tio. Quòd finis hic ſit plenè expletivus & ſatiativus cordis humani, ſeu appetitûs rationalis. Poteſt quidem pro ſua liberate varios intendere fines, ab hoc, propter quem creatus eſt, diverſos, nullus tamen ſatiabit appetitum ipſius, niſi hic unicus, juxta illud Auguſtini: creaſti me Domine ad Te, inquietum eſt cor meum donec requieſcat in Te.

Conſidera. 4to Quo hic finis ejuſq; conſecutio ſit ultima, & totalis perfectio hominis. Sicut enim nulla res eſt perfecta, niſi quando conſequi-

ſequitur finem ſuum, ita & homo tunc nonniſi futurus eſt perfectus, dum finem ſuum conſequetur.

Conſidera 5to Hominem eſſe obligatum, ut in hunc finem tendat. Aliæ qvævis creaturæ corporeæ, â natura ſua ſunt neceſſitatæ ad tendendum in ſuum finem, nec à tali tendentia impediri poſſunt, niſi cum illata ſibi violentia; homo verò ſiquidem ex prædicato creaturæ rationalis, & liberæ, non debuit â natura ſua neceſſitari ad tendendum in ſuum finem, defectum talis neceſſitatis a natura ſibi non inditæ, ſupplere debuit obligatio ejuſdem ad tendendum, in prædictum finem.

His conſideratis, reflecte te ſupra ſtultitiam hominum, qui finem ſuum conſtituunt in creaturis, qui pro fine, ſuaq; beatitudine conſtituunt fædas voluptates, divitias, honores? ô qualis hæc ipſorum eſt beatitudo? quæ ipſos brutis viliores, miſeros, inquietos, ſollicitos reddit, quæ ipſorum appetitum minimè explere, contentare poteſt. Reflecte te item ſupra te ipſum, vitamq; tuam antecedentem: Quem finem, hactenus quæſieris? an adverteris, te, ad tam ſublimem finem creatum eſſe? Alium forte, finem, tibi præfixeras? forte finis tuus hucusq; fuit tu ipſe, tua ſenſualitas, vanitas, quam quærebas, commoda temporalia, tranſitoria, oblectationes, ſenſuales. Confundere, quod tuis actionibus ad tam viles fines collimaveris, confundere, quod omnes creaturæ viſibiles naturali inclinatione in ſuos ferantur fines, ſuntq; in continua tendentia ad finem, ita ut non poſſint niſi violentè impediri à conſecutione ejuſdem; tu verò toties à fine tuo deflexeris, tam facile à tendentia in ipſum retrahi te permiſeris. Poteras per ſublimes intentiones tuis actionibus præmiſſas, omnibus illis in finem tuum, laudem ſcilicet

licet, & gloriam DEI collimare: & quid, oro, te impedivit à tali in finem tuum tendentia: non aliud certè nisi vel prava tua voluntas alium sibi præfigens finem, vel certè tua desidia, & neglecta salutis tuæ cura.

Statue firmiter, per intentiones sanctas sæpius renovandas, per frequentes mentis ad Deum elevationes, unicè te spectaturum finem tuum, ad quem creatus es, scilicet gloriam, & obsequium DEI, dicens toto cordis affectu: Dignus es, Domine accipere gloriam, & honorem, & virtutem, quia Tu creasti omnia.

Punctum III. Audi verba illa Psalmi 8. de homine dicentis: *Constituisti eum super omnia opera tua: omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Audi item verba S. P. Ignatij, in præsenti exercitio dicentis: reliqua verò super terram sita, creata sunt hominis ipsius causâ, ut eum ad finem creationis suæ prosequendum juvent: Et Considera Imo. magnam DEI bonitatem, & benevolentiam erga hominem. Parum fuit Deo, quòd se pro fine hominis statuerit, quòd Dominus hominis esse voluerit, cui homo serviret, & quem revereretur, ipsum insuper hominem voluit esse Dominum, & finem aliarum visibilum creaturarum.

Considera 2dò Dignitatem & excellentiam hominis, ex tali, in creaturas visibiles dominio, & plena potestate disponendi de omnibus, & singulis earum. Magna dignitas regum, & principum terræ est, quod uni vel aliquot regnis & provincijs præsint, quanta dignitas erit hominis; quòd totum orbem sub pedibus habeat, suumque Dominium ad omnes creaturas, & ultimos orbis fines extendat.

Considera 3tiò. Omnimodam omnium irrationalium creaturarum subjectionem homini. quomodo cælum, & terra serviant ipsi. Serviunt

cælum

cælum, sol luna & omnia sidera, influendo in corpora sublunaria, medioq; hoc influxu, producendo herbas, frumenta olera, aliaq; necessaria ad sustentandam vitam hominis, intra terræ viscera elaborando aurum, argentum, æs, ferrum, aliaq; metalla, & mineralia: Servit sol in illuminatione diei, oriendo æquè super bonos, & malos, serviunt luna, & stellæ in illuminatione noctis, servit terra, sustentando hominem, calcari se sinendo, ad omnes hominis usus, se formando, quæcunq; germinat, non in suum commodum, sed in bonum hominis producendo. serviunt omnia elementa suarum qualitatum productione, serviunt omnia animantia; leones, elephantes, equi, boves &c. idq; serviunt ad defatigationem, serviunt non solum suis actionibus, sed etiam totâ suâ vitâ, & suo esse, dum serviunt cum jactura, & dispendio vitæ propriæ, & esse sui.

Considera 4to. Omnes easdem creaturas ita tibi servientes, & obsequentes, creatas esse ut juvent te ad prosequendum finem tuum. Creatæ enim sunt, ut te ducant in cognitionem existentiæ Creatoris rerum omnium DEI. Toto suo esse eundem prædicant: ipse fecit nos, & non ipsæ nos. Prædicant suis perfectionibus, perfectiones Divinas, & dicunt cum Bernardo: quid miraris in sole spendorem? in flore pulchritudinem, in pane saporem, in terra fæcunditatem, A DEO hæc universa dona sunt, nec dubium, quin multò ampliùs, reservaverit sibi, quam dederit creaturis. Hæ ipsæ creaturæ ad amorem DEI te excitant, ad Deum laudandum, gloriam ejus quærendam, serviendum ipsi, te provocant. Quod aliquando audivit S. Augustinus, & tu, si attenta aure mentis auscultare volueris, facilè audies: Omnia clamant ad me, ut amem te Domine. Enarrant cæli gloriam DEI, laudant Creatorem suum astra matuti-

na

na, ut & tu laudes ipſum, ut enarres mirabilia ejus, ut promoveas gloriam DEI. Exequuntur promptè omnes creaturæ, voluntatem Divinam, ut & tu facias voluntatem Patris, qui in cælis eſt, ut ſerves mandata ipſius. Serviunt illæ tibi, ut & tu ſervias illi, à quo & propter quem factus es.

Conſidera 5*tò* Si reliqua omnia ſuper terram ſita, creata ſunt hominis cauſâ, ſequi hinc, eatenus licitum eſſe uſum creaturarũ, quatenus juvant hominem ad conſequendum finem ſuum. Earum item non niſi creaturarum, uſum licitum eſſe, quæ, ad eundem finem conducunt, & juvant; quæ verò, ab aſſequendo fine impediunt, ab illarum uſu abſtinendum eſſe. Deinde, cum omnia alia creata ſuper terram, debeant eſſe homini, media, ad finem ipſius conſequendum, non debere in creaturis aliam bonitatem æſtimari, & amari, niſi quam habent per hoc, quod conducant & juvent hominem ad finem ſuum conſequendũ. Debent enim media unicè amari, propter finem, & propter ſuam quam habent aptitudinem, ut per illa obtineatur finis. Infert hinc, S. Pater meus: quapropter debemus abſq; differentia nos habere circa res omnes creatas (prout libertati noſtræ ſubjectæ ſunt, & non prohibitæ) ita ut quod in nobis eſt, non quæramus ſanitatem magis, quàm ægritudinem, neque divitias paupertati, honorem contemptui, vitam longam, brevi præferamus, ſed conſentaneum eſt ex omnibus, ea demum, quæ ad finem ducant, eligere ac deſiderare.

His conſideratis fac reflexiones, ſupra te ipſum, an gratus exſtiteris Creatori tuo tanti beneficij? an factus dominus aliarum creaturarum, non volueris excutere jugum, & ſervitium Creatoris tui? an ordinem hunc à DEO conſtitutum, ex vi cujus alia omnia ſubijciuntur tibi, non perverteris? an non ſubjeceris te creaturis? an non fueri

fueris servus, & mancipium voluptatis, sensualitatis, passionum, & pravarum inclinationum tuarum? an quibusdam creaturis nimio, & inordinato affectu non adhæseris? ac te non resolveris ad transgredienda propter illas præcepta, & leges Divinas, salutemqué animæ tuæ, æterno dispendio non exposueris. Fac insuper reflexionem, an taliter tu servias Deo, & in Deum ut finem tuum tendas, sicut creaturæ aliæ serviunt tibi, sicut illæ in bonum tuum ordinantur. Reflecte te, quo affectu feraris in creaturas? an hoc unicè motivo, & titulo illas ames, quod te juvent ad finem tuum consequendum? si alio, affectus ille inordinatus est: Quâ indifferentiâ feraris in sanitatem, & ægritudinem, divitias, & paupertatem, honorem & contemptum, vitam longam, & brevem; Esne paratus ad id potiùs, quod est futurum cum majore gloria Divina? cum majore obsequio, & salute animæ tuæ.

Elice affectus accommodatos, gratitudinis, gratiarum actionis, desiderij serviendi Deo, quâ ferventissimè, omnibus viribus, omnibus actionibus tuis, toto te, serviendi Deo ad defatigationem, ad collapsionem virium, cum dispendio, & jactura vitæ, & valetudinis tuæ. Fac desiderium sangvinem, & vitam tuam profundendi ex amore Dei, ut hac ratione promoveatur major gloria Dei.

Conclude affectu *S.* Augustini. Ut totus servirem Tibi, omnia quæcunque fecisti in meum servitium fecisti, & mihi in servitium tradidisti. Omnia sub pedibus hominis subjecisti, ut totus homo subijceretur tibi. Et ut totus Tuus esset, super omnia opera Tua, dominatus est homo. Omnia exteriora creasti propter animam, animam verò ut Tibi soli vacaret, Te solum amaret, possidens Te ad solatium, inferiora ad servitium. Quidni igitur amem Te, serviam Tibi. Suscipe Domine, universam libertatem meam, ut supra.

Me-

Meditatio III.

De beneficio creationis hominis.

Præludium I. idem erit, quod Meditationis præcedentis.

Præludium 2. Pete gratiam quâ illuminatus, possis agnoscere beneficium creationis tuæ, illiusque gratus esse.

PUNCTUM I. Audi illa verba Job 10. *Manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circuitu.* Et ut melius penetrare possis, magnitudinem beneficij creationis tuæ, considera in tua creatione hæc intervenisse 1*mo*. Quod sis opus ipsius DEI. Ipse DEUS, te suis manibus de limo terræ formavit, ipse corpori inspiravit animam. Ad animæ tuæ creationem non est usus, ministerio ullius creaturæ, quâ, è mente multorum, ut instrumento saltem, uti potuit, sed ipse solus hoc opus à se perficiendum suscepit.

2*dò* Quod manus Creatoris te fecerint & plasmaverint, te inquam, quem DEUS prævideterat tanti beneficij ingratum aliquando exstiturum, quem præviderat, fore suarum legum, & præceptorum transgressorem, quem præviderat suis gratijs donis, beneficijsq; abusurum, in suo servitio negligentem, & tepidum futurum. Idq; manus hæ sanctissimæ fecerunt, & plasmaverunt te tot alijs in suo nihilo, & pura possibilitate, relictis, inter quos, multos præviderat, si crearentur, sanctiores futuros, in suo fine consequendo studiosiores, pro DEI honore, & gloria magis zelosos, Divinorumq; beneficiorum gratiores. Insuper quod te fecerint non ex casu fortuito

non ex aliqua neceſſitate, ſed ex puro ſuo beneplacito, & plenè liberâ voluntate, atteſtante Pſalmiſta Pſalm. 134: Omnia quæcunq; voluit Dominus fecit in cœlo, & in terra.

3*tio* Quòd manus hæ beneficentiſſimæ fecerunt, & plaſmaverunt te totum, hoc eſt non mutilum, non claudum, non monoculum, non aliquo ſenſu deſtitutum, non monſtroſum, non deſtitutum uſu rationis, ſed omnibus membris, ſenſibus, organis, potentijs inſtructum, cum debita eorundē diſpoſitione, ſymmetria & proportione, imò majoribus talentis ſupra multos alios dotatum. Fecerunt te totum manus Divinæ etiam hoc ſenſu, quia nihil in te eſt, quod à DEI manibus non acceperis. Et corpus tuum, & anima tua, omnes potentiæ, & facultates tuæ, ſenſus tui, dotes, & talenta tua, dona DEI ſunt, à DEO tibi omnia hæc collata ſunt, tuq; ipſè totus à DEO es. Non ego ſpiritum (alloquitur Mater filios ſuos Machabæos) non ego ſpiritū, & animam dedi vobis, & ſingulorum membra non ego compegi, ſed Creator mundi qui creavit hominis nativitatem.

4*tò*. Tandem manus hæ DEI Creatoris tui fecerunt te totum in circuitu, hoc eſt in omnibus circumſtantijs tibi coexiſtentibus, cum omnibus tibi adjacentibus, ita ut ſoli DEO debeas, quòd ſis natus poſt Chriſti adventum, in Regno & fide Catholica, non in medio peſecutionis æſtu, ex Parentibus Catholicis, honeſtis, probis, quòd bonam inſtitutionem ab his acceperis. Quòd natus, non ſtatim ante baptiſmum ſis mortuus, Divinis debes manibus, quod etiam nunc vivas, illæ manus ſuſtentant te: hæ manus multa adhuc pro te beneficia parata, conferenda tibi tenent: in his, manibus ſortes tuæ, utinam ex his manibus æternam animæ ſalutem aliquando accipias.

Oſculare beneficentiſſimas has DEI Creato-

ris tui manus Referas humillimas ei gratias, pro tantis in te beneficijs. Proteftare te totum quidquid es Dei eſſe, totumque te ipſi debere, & totum te ejus mancipare velle ſervitio.

Punctum II. Expende illa verba Pſal. 8 *Quid eſt homo, quod memor es ejus*, & conſidera quid etiā moverit, & inpulerit Deum ut memor tui eſſet, & te ex tuo nihilo extraheret, tot alijs hominibus poſſibilibus, in ſuo non eſſe & pura poſſibilitate relictis. Non moverunt, nec impulerunt Deum ad te creandum tua crimina, quæ prævidebat, ut clarum eſt: Hæc enim potius quantum de ſe retrahebant Deum, ne te crearet. Nunquid fortè moverunt Deum ad te creandum & ex nihilo educendum virtutes & bona opera, quæ Deus in te futura prævidit? fortè placuiſti Deo ex virtutum Chriſtianarum exercitio? mortificationum uſu? ex tuo fervore in Dei obſequio ab ipſo præviſis? movit fortè Deum tua tempertania? manſvetudo? in egenos miſericordia? tua humilitas? inimicorum amor? præceptorum Dei obſervantia? ſtudium promovendæ gloriæ Dei? verùm cum in te hæc non reperiantur, præviderì à Deo non poterant. Quod ſi inveniuntur, ô quantis ſcatent imperfectionibus quo minus Deo placere poſſent, & tu propter illa. Deinde ſi hæc moviſſent Deum, ad creandum te, quare non potius moverunt eundem illi ampliores in Dei ſervitio fervores? illæ ſublimores virtutes, rigidiores mortificationes, accuratiores obſervationes præceptorum Dei? & conſiliorum Chriſti? omnia hæc ſimiliter præviſa in tot alijs poſſibilibus hominibus ut eos potius crearet Deus, te relicto in tuo nihilo, quibus tamen in ſua pura poſſibilitate relictis, te indignum licet, pro objecto & termino, virtutis ſuæ creativæ aſſumpſit, te creavit.

Fateri debeo, nihil omnino in me fuiſſe, quod tibi Deo meo, creationem mei perſvaderet; ſed

persvasit illã sola onitas, clementia, & misericordia tua. Erumpe in affectus gratiarum actionis, ardentis in Deum, in te tam beneficum, amoris, humilitatis, & confusionis propter ingratitudinem tuam, tanden firmi propositi, quo velis tanti beneficij deinceps gratus semper existere: Quòd omne id, quidquid à Deo habes, velis in Dei obsequiũ impendere, & Deo ferventissimè servire. Desidera servire Deo majore fervore, quàm eidem serviviffent; quicunque alij homines possibiles, tibi, in creatione posthabiti.

Punctum III. Audi illa verba Genesis 1. *Creavit DEVS hominem ad imaginem & similitudinem suam*, ad imaginem Dei creavit illum, &

Considera Dignitatem, & excellentiam hominis ex eo, quod inter creaturas corporeas, ille solus sit insignitus imagine, & similitudine Dei Creatoris sui. Alijs creaturis Deus non nisi aliquod sui vestigium impressit, hominem verò ad suam similitudinem condidit, eumque suâ imagine donavit. Aliæ enim creaturæ aliquas non nisi divisim perfectiones Divinas participant, quædam participant esse, & existere, quædam participant vitam, aliæ fæcunditatem, aliæ pulchritudinem, aliæ potentiam, aliæ alias perfectiones Divinas. Solus homo, plures collectim perfectiones Dei coadunatas tenet, & participat, nam & illas participat, quas participant creaturæ materiales, & insuper paticipat alias, quas illæ non participant, nimirum quod sit intellectivus, volitivus liber, immortalis, quoad animam, spiritualis, quo ad eandem, Beatitudinis, & æternæ felicitatis capax. Propter hanc igitur complexionem plurium perfectionum, solus homo ad imaginem Dei creatus est.

S. Bernardus in suis Meditationibus de anima Cap. 1. censet hominem ex eo creatum esse ad imaginem & similitudinem Dei, quia anima

nima hominis triplici suâ potentiâ, nimirum memoria, intellectu, & voluntate exprimit Trini tatem Personarum Divinarum, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum.

His consideratis, æstima dignitatem tuam : si argentum, aut æs, per hoc, quod sit insignitum effigie Principis, ad majorem valorem, pretiumque, attollitur, ad quantum tu non attolleris pretium & dignitatem ? per hoc, quo sis insignitus imagine Conditoris tui, quod lumen vultus illius signatum sit super te. Et ad hanc quidem dignitatem evexit te beneficium creationis tuæ. an verò eandem non amiseris fædatâ, per peccatum imagine Dei, ad quam creatus es, tecum ipse dispice. Advertas velim, imago illa Dei tibi in creatione indita, maneatne adhuc integra, & illibata? an non potius dæmonis, aut horrendi alicujus spectri fædissima in te reluceat effigies? in hanc certè per quodvis peccatum lethale imago Dei in te efformata degenerat. Amissa gratia sanctificante, desinis esse Filius Dei, perit in te imago Dei.

Vide etiam an anima tua sit imago referens Sanctissimam Trinitatem Divinarum Personarum. Memoria tua est ne imago Patris æterni ? si memoria tua generat verbum mentis, sanum irreprehensibile? si generat intellectiones sanctas, veritatem, & sapientiam? quæ secundùm Deum est, est Imago Patris æterni. Quod si memoria tua generat Intellectiones seu cogitationes vanas, superbas, impuras, gulosas, vindicativas &c. si generat verbum, de quo in die judicij reddenda erit ratio, si generat insanias falsas, mendacia, hypocrises, fraudes, sapientiam mundi, quæ secundúm, Deum stultitia est, talis memoria nequaquam potest esse imago Patris æterni. Intellectus etiam tuus si est incessanter repræsentativus Patris æterni, essentiæ Dei, ejusque perfectionum, si totaliter

Deo est immersus, cum eoque conjunctus per Meditationes rerum æternarum incommutabilium, si est in repræsentando verax, infallibilis, & viam veritatis ostendit, est imago Filij æterni. Quod si transitoria, sensualia, & ea quæ carnis sunt, meditatur, repræsentat, iisque immergitur; si dictamina proponit falsa, à via veritatis retrahentia imago Filij æterni, esse non potest. Voluntas denique tua, si tota est Divina si ignis est, charitate, & amore Dei æstuans, si est voluntas sancta termi, nativa spirationis, & inspirationis Divinæ, èamque retinens, si est sanctificativa aliorum, inspirativa, & tibi ipsi, & alijs, perfectionis, & omnis boni; est imago Spiriûs S. Non est verò talis imago, si tua voluntas non conformis cum Deo, ejusque Sanctissima Voluntate, si non ardet igne amoris, & dilectionis Dei, si frigida, vel tepida est, si inspirationes Divinas non suscipit, si alios ad perfectionem & amorem Dei non inflammat. Facta tali discussione confunderê coram Deo, si deprehenderis non esse te imaginem Dei, vel imaginem hanc esse in te fædatam, & turpiter deformatam. Propone efficaciter te acturum ut deinceps retineas imaginē Dei & integrā, & illibatam: eamque imaginem post hac in majori te reverentia habiturum.

Colloquium ad Filium æternum, qui est imago Patris & figura substantiæ ejus Supplica Ei humiliter, ut reformet in te imaginem Dei per tua peccata depravatam. Postula, etiam gratias, ut ei quàm perfectissimè, ceu exemplari & Archetypo conformari possis. In fine oratio à S. Patre usitata.

Anima Christi sanctifica me, Corpus Christi salva me. Sangvis Christi inebria me. Aqua lateris Christi lava me. Passio Christi conforta me. O Bone Jesu, exaudi me. Intra tua Vulnera absconde-

ſconde me. Ne permittas me, ſeperari à Te. ab hoſte maligno, defende me. In hora mortis meæ voca me, & Iube me venire ad Te. ut cum Sanctis tuis laudem te, & in æternum fruar te.

DIEI SECUNDÆ

Meditatio I.

De triplici peccato.

Præludium 1. Imaginare prælium illud, cujus ſcriptura meminit; Factum eſt prælium magnum in cælo, in quo S. Michàël, & Sancti Angeli ejus, in gratia Divina perſeverantes pugnaverunt contra Draconem, & Angelos ejus.

Præludium 2. Poſtula gratiam, ut seriò apprehendas malitiam peccati, & ſtatum illum, in quo creaturam rationalem peccata conſtituunt, & ut per veram pœnitentiam, conſurgere poſſis, ex tuis peccatis.

Punctum I. Audi illa verba Iob. 4. *Cæli non ſunt mundi in conſpectu ejus, & in Angelis ſuis reperit pravitatem.* Et conſidera 1*mo.* ad quem finem creatus eſt homo, ad eundem etiam omnino creatum fuiſſe Angelum, nimirum etiam Angelus creatus eſt, ut Dominum Devm ſuum laudet, revereatur eique ſerviens tandem ſalvus fiat.

Conſidera 2do. Quemadmodum homini conceſſum eſt viæ, & meriti tempus, data etiam ſunt ei opportuna gratiæ Divinæ auxilia, ut in hac vita mortali Deum meritoriè laudet, reveretatur eique ſerviat in æternitate verò pro ſuis obſequijs; Deo præſtitis, & ſervitio ac laude ipſius, tanquam præ-

mium & mercedem recipiat, vitam, salutem, & beatitudinem æternam; ita & Angelo concessum est tempus viæ, seu meriti, vel demeriti, data sunt ei dona gratiæ Divinæ, & auxilia ad merendum necessaria, ut his sufficienter instructus DEUM laudaret, eique debitam reverentiam ac servitium exhiberet, & per hæc mereretur beatitudinem, quæ in termino viæ suæ, conferenda illi erat in præmium.

Considera 3tiò Angelos dum essent in via, & statu meriti non omnes, prout obligati fuerunt, laudem DEO Creatori suo, reverentiam ac obsequium exhibuisse: sed plures illorum cum antesignano suo Lucifero, miserabiliter collapsos cecidisse, contra DEUM rebelles consurrexisse illique bellum per superbiam, vel quodcunque aliud quomodocunque explicabile suum peccatum intulisse.

Considera 4tò Angelos eosdem, in hoc bello per quod contra DEUM consurrexerant victos, turpiter succubuisse: & in peccatum prolapsos è cælo exturbatos, & rudentibus ad infernum usquè detractos, à fine suæ Creationis, nimirum à salute, & Beatitudine, in æternum excidisse: & in perpetuum supplicium præcipitatos esse.

His consideratis, exhorresce judicia DEI, qui Angelis suis, nobilissimæ illi Creaturæ non pepercit, qui ob unum nonnisi peccatum, illudque cogitatione & voluntatis internæ assensu perpetratum, Angelos in inferno demersit, & æternâ punivit damnatione. Et reflecte te, supra tua peccata eorumque comparationem facias cum peccato Angelorum. Angelus uno tantum peccavit peccato; tu innumeris. Angelus peccavit peccato superbiæ, Tu forté reus es septem peccatorum capitalium. Angelus peccavit per actus internos intellectûs & voluntatis, tu peccasti cogitatione verbo, & opere. Angelus, siquidem status viæ il-

lius

lius docetur non durâsse ultra trià instantia: tam exiguo tempore in peccato hæsit: tu à tot annis in cæno peccatorum volutaris & sordescis. Diabolus cum Angelis suis, post unum à se commissum peccatum, non habuit indultum sibi pænitentiæ tẽpus, in flagranti statim crimine ad infernum detrusus, tot annorum millibus ibidem ardet, ardebitque semper, tu post tot tantaque peccata & scelera tua toleraris.

Admirare in te sustinendo & exspectandâ tuâ pænitentiâ, Dei patientiam & longaminitatem Excita teipsum ad non differendam amplius tuam ad Devm in toto corde conversionem. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis Hoc tempus Pater misericordiarum tibi indulsit, fortè non daturus aliud, ut in amaritudi ne animæ tuæ defleas peccata tua, ut jugo peccati excusso abhinc Deo tuo in sanctitate servias omnibus diebus vitæ tuæ.

Punctum II. Audi verba illa Psal. 48. *Homo cum in honore esset, non intellexit.* Et recole memoriâ primum peccatum Adæ, in paradiso commissum, per esum fructûs de arbore scientiæ boni & mali, contra gravissimam Dei prohibitionem, sub comminatione mortis non solum corporis, sed etiam animæ, sub comminatione exilij ex Paradiso, amissionis justitiæ originalis, gravissimarumqne & multiplicium ærumnarum, quæ omnia non solum Adam & Eva perpessuri erant, sed etiam hæ pænæ, in eorum posteros per propagationẽ naturalẽ ab ipsis descensuros, derivandæ erant. Recole itẽ memoriâ, quódprimi nostri Parentes per peccatum contra hanc prohibitionem commissum, omnia hæc mala & pænas incurrerint & ipsorum posteri, ijsdem malis obnoxij nascantur. Circa hoc peccatum & per ipsum prome-ritas pænas.

Conſidera 1mo Quæ & quanta mala, unum peccatum Adæ, unius pomi prohibiti eſus, in ipſum Adam & totum humanum genus induxerit. O quantum malum eſt æternum cum malis angelis in inferno ſupplicium! Huic malo ob hoc unum peccatum & Patres noſtri (niſi illud per tot annorum pœnitentiam, & Redemptionem Salvatoris evaſiſſent) & omnes ipſorum poſteri (niſi remedium afferatur, & applicetur? facti ſumus obnoxij, ejuſdemque rei. Hocque ipſum malum plures infelices poſteri Adæ perpetiuntur, & tota æternitate ſunt perpeſſuri. Quantum item eſt malum mors animæ, & amiſſio juſtitiæ Originalis & donorum ſupernaturalium? Propter hanc animæ mortem naſcimur filij mortis & filij iræ, prius damnati antequam nati.

Quantum ulterius malum eſt, dura illa ſervitus, & ſubjectio poteſtati dæmonum, infenſiſſimorum generis humani hoſtium? Illa carnis, concupiſcentiæ, appetitus ſenſitivi contra rectam rationem rebellio ? Illa diſordinatio? depravatio, & corruptio naturæ, tanta illa in malum propenſio? effrænis paſſionum vehementia ? fomes peccati aliaque ſimilia : Quantum præterea malum mors corporis? ad quam omnes damnati ſumus? illi labores, qui in hoc exilio ſuſcipi debent, ut in ſudore vultus veſcamur pane? Magna mala ſunt fames ſitis, nuditas, frigus, æſtus, dolores corporis, cruciatus excogitabiles, tot illæ ærumnæ, miſeriæ & afflictiones, quibus concutimur, morbi tam multiplices, tam graves, tam diuturni. Hæc & quæcunque alia cogitabilia mala, quæ evenire ſolent, aut poſſunt, idque non ſolum quatenus primos noſtros Paentes afficiebant, ſed etiam quatenus afficiunt quoſcunque eorum poſteros ab ijsque tolerantur ſunt effectus & pœna peccati Adæ & infelicis illius eſûs pomi prohibiti. Si peccatū

hoc

hoc non fuiſſet, nunquam tantis malis obnoxij, & ſubjecti fuiſſemus.

Conſidera 2do Quantæ malitiæ debuerit eſſe illud peccatum Adæ? quàm odibile Deo? ut tam gravi & multiplici pæna, eaque ad totum genus humanum quanta quanta eſt, extenſa puniri debuerit. Et tamen tota hæc pœna non adæquat gravitatem offenſæ mortalis, totâ hâc pœnâ longè & magno exceſſu gravior eſt malitiâ culpæ mortalis quâ offenditur Deus. Tanta gravitas eſt peccati Adæ, & cujuſcunque peccati mortalis, ut nullæ ei pœnæ, quantumcunquè mulplicentur cō-menſurari queant, nec per illas juſtitiæ Divinæ ad æqualitatem ſatisfieri poſſit. *Conſidera* 3tio Eſum illum fructûs arboris ſcientiæ, boni & mali, non fuiſſe ex natura ſua malum, ſed ex eo fuiſſe præciſè malum quia fuit à Deo prohibitus, quamvis abſolutè loquendo potuerit non prohiberi. Quodſi prohibitio Divina non interveniſſet, talis eſus non fuiſſet actio peccaminosa ſed fuiſſet vel actio honeſta, vel ſaltē indifferens adeoque licita. Sunt verò aliqua talia peccata, quæ ſunt ex natura ſua mala & quæ non poterant non prohiberi. Talia peccata ſunt idololatria, perjurium, homicidium, peccata carnis, aliaque his ſimilia. Si ergo eſus pomi vetiti tantùm Deo diſplicuit, tantùmquè ei odibilis exſtitit, quid ſentiendum de peccatis ex natura ſua malis, quanta eorum ſit gravitas, quantùm Deo ſint odibilia.

His Conſideratis, fac iterum comparationem à te patratorum cum peccato Adæ; & facilè agnoſces peccata tua, & multiplicitate, & gravitate ſua incomparabiliter excedere, & ſuperare peccatum Adæ; quod tamen tantorum, imò omnium malorum exſtitit cauſa, & origo. Cogita & illud, ſi peccatum Adæ; illa ipſius gula, & ſenſualitas tanta mala, & tot pænas promeruit, pecca-

tis tuis longè majoribus & gravioribus quæ & quantæ debebuntur pænæ. Unus infernus, una mors, morbi dolores, & quantacunque mala, quæ totâ vitâ tuâ perpessurus es, quid hæc sunt? in comparatione ad tua peccata, mille & amplius infernos meruisti, mille mortes: tanta meruisti mala, ut tot produci non possint, ut per ea tolerata satisfacias Justitiæ Divinæ.

O DEUS omnipotentissime, tantùm processit malitia & gravitas peccatorum meorum, ut desint Iustitiæ tuæ pænæ & mala, quibus ea ad æqualitatem vindicare, & unde me secundùm mensuram peccatorum meorum punire condignè possis, non desunt tamen Misericordiæ & Bonitati tuæ infinitæ, modi, & media unde, mihi possis misereri. Ad hanc & ad thronum gratiæ tuæ maximus peccator confugio, miserere peccatrici animæ meæ, ne perdas eam cum impijs, sed veniam delictorum meorum mihi benignissimè indulge.

PUNCTUM III. Revoca in memoriam peccatum particulare seditiosorum Core, Dathan, & Abiron, de quo habetur Num. 16. Consurrexerant hi contra Moysen & Aaron, & potestatem sacerdotalem sibi usurpare volentes, ad quam elegerat DEUS Aaron cum Filijs suis, ausi sunt thus DEO adolere, quod solis sacerdotibus licitum fuerat Hunc temerarium eorum ausum, ita punivit DEUS, ut eos thus adolentes cum tabernaculis ipsorum, & tota substantia, terra disrupta absorpserit, & devoraverit, vivosque ad infernum, transmiserit.

Exhorresce tantam peccati illius pænam sed magis ejusdem peccati gravitatem, & cogita: de pluribus peccatis seditiosorum illorum hominum non constat, hoc unicum memorat scriptura, propter quod ad infernum detrusi sunt, pluresque in inferno damnatos inveniri scias, qui ob unum peccatum

catum vel certè ob delicta tuis longè pauciora & leviora, æternis pænis cruciantur. Et meritò, tanta enim etiam unius peccati gravitas, tanta DEI offensi excellentia, ut inferno; & gravissimis pænis etiam unum peccatum mortale puniri debeat.

Reflecte deinde te, supra te ipsum. ô quoties, iram DEI meruisti? Quis ultricem Divinam manum continuit, ne post illud peccatum fulmine te feriret, ne terra vivum te absorberet, ne, subitaneâ morte percussus in infernum & tenebras exteriores proijcereris? non acceleravit DEUS pænam tuam dissimulans peccata tua propter pænitentiam, quã à te fieri desiderat. Vide ergo ut hanc seriò facias, vide ne adijcias, ut ultra pecces, Quis enim securum te fecit, post peccatum, quod fortè patraturus es, indulgendum tibi, pænitentiæ tempus? & non potius, quòd post peccatum, quod commissurus es, sis immediatè, in finali impænitentia, morte percutiendùs.

Colloquium ad Beâtissimam Virginem Matrem Misericordiæ, cujus patrocinium invoca, humiliter supplicans, ut Filio suo te reconciliet, ut per illam te ad gratiam suam recipiat, qui per ipsam datus tibi est, ut te redimeret.

In fine Pater noster. AVE MARIA

Meditatio II.

De peccato

Præludium 1. Imaginare, quòd peccator per pecatum contra DEUM assurgat, eique bellum inferat.

Præludium 2. Pete à DEO gratiam, quâ illuminatus gravitatem peccati penetrare & ipsius horrorem concipere possis.

PUN-

PUNCTUM I. Audi illa verba Iob. 15. *Tetendit adversus DEUM, manum suam: Contra Omnipotentem roboratus est.* Et considera per quodvis peccatum, precipuè verò per peccatum mortale ad eam venire insaniam & dementiam, ut contra DEUM manum suam tendat, bellum DEO inferat, eum hostiliter aggrediatur, DEUM & ejus perfectiones quantum in se est tollere, destruere, & annihilare conetur.

Inprimis peccator per suum peccatum vult tollere DEUM, vult DEUM non esse, & ex hoc pessimo affectu, quo affectat DEUM non esse, frequenter stultè sibi persvadet, defactò DEUM non dari, juxta illud Psalmi: Dixit insipiens in corde suo non est DEUS. Idem peccator vult tollere DEUM, dum vult tollere perfectiones Divinas DEO identificatas, sine quibus DEUS nequit esse DEUS. Et hac ratione vult peccator tollere in DEO rationem finis ultimi, dum se à DEO, qui finis ultimus verus est, avertit, & convertit se ad creaturas, in ijsque, & earum usu suam reponit felicitatem, vel certè se ipsum pro fine suo ultimo statuit.

Vult 2do Peccator tollere beatitudinem, & felicitatem DEI, qua in seipso summè felix, summè beatus est, dum DEUM suo peccato contristare & ad amaritudinem provocare nititur. Propter quam impietatem Oseas maledicit Samariæ dicens; Pereat Samaria quoniam ad amaritudinem concicitavit Dominum.

3tio Immensitatem Divinam vult tollere peccator, vellet enim tunc dum peccat DEUM non esse sibi præsentem. In scelera tam impudenter se resolvit, eaque sine fronte patrat, atque si DEUM præsentem non haberet.

4to Peccator & peccatum, affectivè tollit supremum in creaturas DEI dominium. Contra jus, & voluntatem supremi hujus Domini, poten

tijs

tijs animæ ſuæ, ſenſibus, organis, & membris corporis, alijſque creaturis in offenſam illius ipſius abutendo.

5to Peccator tollere nititur libertatem Dei, impediendo ne Deus ſuâ libertate utatur, ne id fiat, quod Deo placet, faciendo ne Deus operetur ſecundùm determinationem propriæ voluntatis, ſed eum aliquatenus neceſſitando, ut ſequatur determinationem voluntatis creatæ, ut contra ſuã omnem inclinationem, imò cum ſumma renitentiâ & diſplicentiâ concurrat ad peccatum, ſitque ſervus ipſius peccatoris, juxta lamentabilem illam querimoniam apud Prophetam. ſervire me feciſti in peccatis tuis, præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis.

6to Peccatum tollere conatur ſummam ſimplicitatem & unicitatem Dei, ſiquidem, peccator plures ſibi adſciſcit Deos eoſque colit ut exiſtimat S. Hieronymus, ſcribens in illa verba Pſalmi. Non erit in te Deus recens, cui Deus venter eſt, Deus ei recens eſt, quotcunqne vitia habemus, quotcunque peccata, tot habemus Deos, iratus ſum, ira mihi Deus eſt, vidi mulierem & concupivi, libido mihi Deus eſt. Unus quiſque enim quod cupit & veneratur hoc illi Deus eſt.

7mo Peccator per peccatum adverſatur ſapientiæ Divinæ omnia clariſſimè cognoſenti, & penetranti, vel quatenus impiè exiſtimat ſua peccata à Deo non cognoſci, dicens, in corde ſuo, Deus poſuit nubem latibulum ſuum, noſtra non conſiderat, vel quatenus ponit objectum fædiſſimum oculis Divininis, maximè indignum, ſummè exoſum & abominabilè, ejuſque poſitione Deum & illius ſcientiam ex ſe determinatam ad videndum quidquid exiſtit, quodammodo neceſſitat, ad illud ipſum ſuum peccatum tota æternitate intuendum.

8vo peccatum adverſatur Omnipotentiæ Divinæ. Peccator enim ſua reſolutione in peccatum, videtur ſibi perſuadere, peccata ſua DEUM vindicare non poſſe.

9no Tandem (ut tot alias prætercam perfectiones Divinas) peccator adverſatur Iuſtitiæ Divinæ, dum præſumendo de Divina miſericordia, putat DEUM ſua peccata vindicare nolle, nec vindicaturum unquam.

Has tres poſtremasperfectiones Divinas oppugnari per peccatum advertit optimè, mellifluus Doctor D. Bernardus, dum de voluntate peccatoris, ſic diſcurrit: Omnino vellet DEUM, peccata ſua, aut vindicare non poſſe, aut nolle, aut neſcire. Vult ergo eũ non eſſe DEUM, quævoluntas quantũ in ipſa eſt, vult eum aut impotentem, aut injuſtum aut inſipientem eſſe.

His conſideratis exclama, O impietatem! O crudelitatem! exclama cum eodem Bernardo: Crudelis, & execranda malitia eſt, quæ DEI potentiam, Iuſtitiam, ſapientiã, cæteraſque perfectiones perire deſiderat.

Reflecte deinde te an non tetenderis aliquando adverſus DEUM, manum tuam? an non ſis roboratus adverſus Omnipotentem? an perduellionis, rebellionis contra DEUM, imò affectati Deicidij non ſis reus. Reflecte te ſupra, anteactam vitam tuam quoties DEUM tollere & annihilare attentaſti? quoties ſummam illam felicitatem ad amaritudinem concitaſti? Reflecte te, dum peccares, credidiſtine vivâ fide DEUM tibi præſentem eſſe? Quam ſæpe contra jus & ſupremum Dominium DEI in creaturas, his ipſis ſe abuſus, ad nefandas turpitudines tuas? Recogita, quoties DEUM ſervire tibi feciſti in iniquitatibus tuis; quot & quos DEos recentes habuiſti? Reflecte te ſupra fæditatem & gravitatem tot peccatorum tuorum, & mente revol-

revolve, quàm abominamdum objectum, Divino intellectui & scientiæ objeceris, tota æternitate à Deo, cum summa abhorrentia, displicentia, & abominatione conspiciendum. Tandem reflecte te, an prava tua voluntate non affectaveris, Deum tua peccata vindicare aut nón posse, aut nolle, aut nescire.

Confundere coram Deo, de impietatibus tuis: concipe horrorem, quàm maximum cujusvis peccati: detestare tantam peccatoris, & tuam dementiam, atque in ipsum Deum attentatam crudelitatem. Dele peccata tua tali affectu.

Itane Deus meus infelix ego homo, itane, aliquando impius & crudelis, in te exstiti ? ut te fontem omnis esse, perire & anihilare affectaverim. Tu me creasti, esse & vivere mihi dedisti, quidquid sum, tuâ gratiâ & beneficijs sum, ex nihilo meo Tu me extraxisti, & ego Te tuo esse spoliare volui. O quanta dementia, quanta impietas mea! Dereliqui Te fontem vivum, & feci mihi cisternas dissipatas. Averti me à Te ultimo fine & summo bono meo, & converti me ad bonum creatum imperfectum defectibile, quod cor meum quietare non valet. Tu me Te ipso beatum & felicem reddere desideras, & ego Te ad amaritudinem concitavi, & infelicem reddere volui. Præsentiam tuam mihi concedis, ut in Te vivam, movear & à te conserver, ego ut Te offenderem, locum quæsivi ubi non existeres, optavi non esse Te ubique præsentem, nón esse Te immensum. Tu constituisti me super omnia opera tua, omnia subjecisti sub pedibus meis, ut tibi soli subessem, ego Dominio tuo Te spoliare attentavi. Vocâsti me in libertatem filiorum Dei, ego Te mihi servire coegi in iniquitatibus meis, Tu me tot beneficijs, tuis Tibi obstrinxísti, ut Te solum, & unicum Deum, agnoscerem, laudarem, Tibíque, uni Deo cor totum

totum consecrarem: Ego tot Deos mihi feci colui, tibique prætuli. Tu mei intellectûs & obtutûs objectum præstantissimum, summè satiativum, per totam æternitatem esse voluisti : Ego quot objecta quàm fæda, quàm detestanda coram purissimis oculis tuis aversantibus hujusmodi turpitudines pro tota æternitate conspicienda posui? Tua sapientia me regit, Tua ōnipotentia me sustentat, Tua justitia præmiare desiderat : Ego miser insipientem, injustum, impotentem, Te esse volui. Quibus igitur lacrymis, deflere potero insipientiam meam. O anima deduc quasi torrentem lacrymas, non taceat pupilla oculi mei.

Pvnctvm II. Audi illa verba Lucæ 15. *Pater peccavi in Cælum & coram te.* Item illa verba, ad Hebræ. 10. *Quanta putatis mereri supplicia qui filium DEI conculcaverit, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit.* Et considera quodvis peccatum, sed maximè mortale, tantæ virulentiæ & malitiæ esse, ut quantum de ipso est, non solum opponatur, & maximè adversetur Deo quo ad suam essentiam, omnibusq; Personis Divinis cōmunia (quæ Theologi prædicata absoluta vocant) spectato; sed etiam ut opponatur prædicatis relativis hoc est, ipsis Personis Divinis contra illas pugnet, casque tollere nitatur. Offendis Deum peccato, peccas in Patrem æternum, conculcas Dei Filium, facis contumeliam Spiritui Sancto.

Sunt quidem certa aliqua peccata quæ specialius opponuntur quibusdam Personis Divinis, & contra aliquas in particulari magis pugnant. Quædam enim peccata dicuntur esse specialiter contra Patrem æternum. Quædam contra Unigenitum Patris Filium: quædam contra Spiritum Sanctum, de quibus Christus pronuntiavit, quod non remittantur neque in hoc sæculo, neque in futuro. Quale peccatum à plerisque existimatur despera-

deſperatio conjuncta, impænitentiæ finali, in qua quis moritur. Nihilominus, commune eſt, omnibus peccatis, quod ſingula ipſorum, omnes & ſingulas perſonas Divinas impugnent.

Quòd ipſum ulteriùs exinde cognoſces: *Imò* Quia quando in peccatum quodcunq; te reſolvis, lædis imprimis potentiam Divinam: tuo enim lapſu, facis infirmiorem, virtutem & potentiam DEI, te adjuvantem : te contra dæmonem, ejuſque tentationes armantem ; & tecum contra hoſtes animæ tuæ dimicantem. E contra dæmonem, tentationem, poteſtatem tenebrarum, facis & reddis fortiorem. Quia facis eam prævalere, potentiæ Divinæ, te adjuvanti. Offendis adhuc potentiam Divinam, non utendo viribus, & auxilijs, quæ tibi Deus confert, ad ſuperandum hoſtem ; imò etiam potentiâ & concurſu Divino, abutendo, ad patrandam offenſam ipſius. Lædendo verò, & offendendo potentiam Divinam, delinquis in Patrem æternum, cui ſpecialiùs attribuuntur ea, quæ ſpectant, ad Divinam potentiam, & quæ hanc concernunt. Quovis etiam peccato, offendis & conculcas Filium DEI: quatenus offendis, & lædis ſapientiam Divinam, Filio DEI, ſpecialiter appropriatam, qui etiam, Sapientia Patris dicitur. Hanc autem, nimirum ſapientiam offendis, quatenus peccando, ſtultè agis; dum ſapientiam hujus mundi, quæ ſtultitia apud DEUM eſt, præfers ſapientiæ, quæ ſecundùm DEUM eſt; dum aliter de rebus judicas, quàm DEUS ſentiat & judicet. Offendis præterea Spiritum Sanctum, & facis contumeliam ſpiritui gratiæ, per quodvis peccatum ; quatenus quovis peccato, pugnas contra Bonitatem DEI, quæ ſpecialiter attribuitur, & appropriatur Spiritui S. Contra hanc autem pugnas. quia nihil magis, opponitur ſummæ Bonitati, quàm ſumma malitia.

Malitiam verò, cujusvis peccati, summam malitiam, & summum malum, appellat S. Augustinus, per contra positionem, cum summo Bono; dum dicit: Unum est summum Bonum, scilicet DEUS: aliud summum malum, scilicet peccatum. Illud propter quod, appetenda sunt cætera bona; ipsum autem propter seipsum. Hoc, propter quòd declinanda sunt cætera mala; ipsum verò propter seipsum.

Pugnat adhuc quodvis peccatum, contra Bonitatem Divinam, adeoque contra Spiritum S. Quia per quodvis peccatum, Divitiæ Bonitatis Divinæ contemnunrur. Quia dum peccas: Bonitati Divinæ retrahenti te à peccato, præfers bonitatem creatam, quæ te movet, & invitat ad peccandum.

2dò Quovis peccato, offenduntur omnes Personæ, Sanctissimæ Trinitatis, quatenus quodvis peccatum, pugnat contra fines Creationis, Redemptionis, & Sanctificationis. Quæ opera Creationis, Redemptionis, & Sanctificationis, tribus Personis Divinis, singula singulis, specialiter attribuuntur. Quovis peccato, offendis Patrem æternum; Quia quodvis peccatum, opponitur fini Creationis, qui est laus & gloria DEI, reverentia & obsequium ipsius, quæ per quodvis peccatum, tolluntur vel imminuuntur. Offendis, & conculcas Filium DEI. Quia peccatum tuum, opponitur fini Redemptionis, qui hic præcipuus fuit, ut auferretur peccatũ, ut finem acciperet prævaricatio.

Offendis tandem Spiritum S. per quodcunque peccatum; quia quodvis adversatur, fini Sanctificationis. Peccatum enim mortale, privat gratiâ sanctificante; expellit charitatem, quæ diffusa erat in corde tuo, per inhabitantem Spiritũ S. contumeliã facit tot gratijs actualibus, quas abijcis, contemnis, & inefficaces reddis; adeoq; contumeliam

meliam Sacis, ſpiritui gratiæ.

His conſideratis, iterum exhorreſce peccatum; deteſtare malitiam ipſius, toto cordis affectu, dicendo. O Pater! ò Fili! ò Spiritus Sancte! ò Trinitas Diviniſſima! ò DEUS meus & omnia, quo tandem dementiæ deveni, ut Pater æterne, in Te & coram Te peccarem? ut Unigenite Fili Patris, Te ſacrilego pede conculcarem? ut Sanctiſſime Spiritus Te contumeliâ afficerem? Viſceroſiſſimè doleo, quod vos, ò Sanctiſſimæ Divinæ Perſonæ offenderim. Pater æterne doleo, quod læſerim potentiam, tibi ſpecialiter appropriatam; quod imminuerim laudem, & gloriam tuam, propter quam creatus ſum. Fili æterne doleo; quod ſtultitiâ meâ, offenderim ſapientiam tuam, quòd committendo peccatum, finem redemptionis tuæ, quantùm ex me fuit, aliquatenus impediverim. Sanctiſſime Spiritus doleo, quod contra ſummam tuam Bonitatem deliquerim; quod me evacuaverim, gratiâ ſanctificante, æternisq; donis tuis; quod ſanctas tuas inſpirationes, quibus me à peccato retrahebas, inefficaces reddiderim. Firmiſſimè propono, non me Vos ampliùs offenſurum.

PUNCTUM III. Audi illa verba Proverb: I. *Vocavi & renuiſtis. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis.* Et Levit. 26 *Rogabant pro peccatis ſuis, eò quod abjecerint judicia mea, & leges meas deſpexerint.* Et conſidera peccatum ita contrariari DEO, ut nihil ſit in DEO, quod intactum relinquat; nihil quod non oppugnet; quod non lædat. Lædit Eſſentiam Divinā, & prædicata ejus abſoluta : ut in I*mò* puncto conſideraſti. Lædit Perſonas Divinas, & prædicata DEI relativa : ut conſiderâſti puncto 2*dò*. Lædit inſuper prædicata DEI libera, & contingentia, quæ ita ſunt in DEO, ut potuerint non eſſe:

quatenus omne peccatum, opponitur præceptis, judicijs, legibus, & consilijs Divinis. Omne enim ut docet S. Augustinus est dictum, aut factum, aut concupitum contra legem æternam. Omne peccatum est transgressio legis, est abjectio, neglectus, despectio judiciorum, præceptorum, consiliorum DEI.

Etiam hæc consideratio concutiat cor tuum: augeat in te horrorem & abominationem peccati: augeat ruborem, & confusionem de peccatis tuis, quibus tam atrociter DEUM offendisti: accendat te deniq; ad seriam, & efficacem detestationem, & emendationem eorundem.

Colloquium fiat, per hunc, vel similem affectum. O quantum erravi DEUS meus, quod te vocantem secutus non sim, quòd consilium tuum despexerim, quod increpationes tuæ, non me deterruerint à malo, quòd judicia tua abjecerim, quod leges tuas sæpiùs transgressus sim, quod præcepta tua non servaverim. Sequar ab hinc te vocantem, audiam consulentem, corigarte increpante: custodiam judicia tua, leges, & præcepta tua, cum tuæ gratiæ auxilio non transgrediar unquam, usq; in æternum.

Jn fine Pater noster.

Meditatio III.

De peccatis venialibus, & eorum odibilitate.

Prœludium I. Imaginare Parentem aliquē, indignantem filio, quem amat, ob aliquas leves sui irreverentias, & culpas contra se commissas; & ex hac causa, ad aliquod tempus, eundem à conspectu, consvetudine suâ arcentem,

Præ

Præludium 2. Pete gratiam, ut possis cognoscere, peccati venialis malitiam; illudq; detestari, & vitare,

PUNCTUM I. Audi Psalmistam dicentem Psal. 18. *Delicta quis intelligit.* Et hæc verba, peccatis venialibus accommoda, atq; considera; quòdlicet multi mortalium, nulla delicta videantur intelligere; nec apprehendant ipsorum gravitatem, malitiam, differentias, pænas, & damna ex ipsis provenientia; maximè tamen plurimi non intelligunt, nec apprehendunt delicta illa, quæ peccata venialia appellamus; imò nec intelligere volunt, ut bene agant, talesq; lapsus præcaveant; ita ut meritò quæri possit: *Delicta quis intelligit?*

Ac inprimis rarus est, qui practicè, & in ordine, ad efficacem, suæ conscientiæ directionē intelligat peccata venialia, quoad suam malitiam & odibilitatem. Parvi pendimus communiter, lapsus hos veniales, dicimusq; leve est istud, possum hoc facere, possum cōmitere. De minimis non curat Prætor, parum pro nihilo reputatur. Et tamen S. Basilius miratur, quòd, aliquod peccatum, leve dici possit dum quærit: *Quis est, qui peccatum ullum, cujuscunque modi sit, leve audet appellare?* Docet quidem fides, contra Jovinianum, & alios hæreticos, non omnia peccata esse æqualia, sed quædam alijs graviora vel leviora, quædā præterea esse mortalia, quædam venialia. Cæterum illa, quæ venialia sunt, levia sunt, & dicuntur, respectivè ad mortalia: levia præterea sunt, quòd non tollant gratiam sanctificantem: quòd non mereantur pænam æternam: quòd non sint contra præceptum, graviter obligans: Nihilominùs, ijsdem peccatis convenit, quòd per illa offendatur, & contemnatur summa Majestas, DEUS summè dignus, & omni æstimatione superior. Ex vi cujus sui prœdicati, in apprehensione nostrâ

nullum peccatum leve esse, nullum parvi pendi debet. Certè ut ait citatus Basilius, *leve nunquã est, DEUM, etiam in exiguo contemnere.*

2*dò* Rarus est qui venialia intelligat, quoad suam differentiam à mortalibus. Intelligimus quidem, venialia esse illa, quæ digna sunt veniâ, & facilè deleri possunt: quæ non dissolvunt, amicitiam cum DEO, nec auferunt vitam animæ: mortalia autem esse illa, quæ (ut loquitur S. Augustinus) *uno ictu perimunt, & vitam animæ tollunt:* Cæterùm in praxi frequenter fallimur, dum persvademus nobis, multa esse venialia, nec graviter læsiva conscientiæ, quæ tamen gravia & lethalia sunt. Quotus est; qui damnificationes, quascunque in bonis fortunæ, si parvæ sint, non habeat pro peccatis venialibus: cum tamen illa damnificatio, etiam in re parva, quæ conjuncta cum antecedentibus materijs, efficit quantitatem notabilem, & per quam pervenitur, ad damnum proximi grave, sit peccatum mortale. Quotus item est; qui interiores aversiones animi, à proximo: diffamationes, & denigrationes famæ alienæ; seminationes discordiarum, peccata gravia esse exstimet. multi hæc, sinè discrimine pro venialibus habent; cùm tamen secundùm materiæ gravitatem, gravia esse possint & soleant. Quis est? qui sibi persvadeat, posse peccari mortaliter, dicendo. Fratri suo fatue; & tamen, ex veritatis æternæ oraculo, discimus, talem esse reum gehennæ, qui reatus solis convenit peccatis mortalibus.

3*tiò* Rarus est, qui intelligat delicta venialia, quoad differentiam à defectibus, & imperfectionibus. Universaliter, quidquid non est contra præceptum obligativum, sub peccato, sed est vel contra consilium Christi, vel contra inspirationes Divinas, excitantes ad aliquid perfectiùs, vel

contra

contra leges, ita præſcribentes actionem aliquam, vel omiſſionem actionis, ut ſub nullo obligent peccato quales leges reperiuntur, & reperiri poſſunt in aliquibus Religionibus; omne id pro imperfectione, & defectu non peccaminoſo haberi ſolet. Cùm tamen frequenter, actiones aut omiſſiones hujuſmodi, à peccato ſaltem veniali, excuſari non poſſint, vel propter obligationem aliunde ſupervenientem, puta ratione contractus expreſſi, aut taciti; ratione inobedientiæ; ſi legitimus Superior, impletionem conſilj, ſeu legis, non obligantis ſub peccato, præcipiat; item ratione ſtatûs ex vi cujus teneretur quiſpiam, tendere ad perfectionem; vel ratione ſcandali & offenſionis puſillorum; vel ratione annexæ tepiditatis, & remiſſionis in curanda ſalute, & in profectu in virtutibus ac perfectione; vel deniq; ratione inordinati affectûs, & nimiæ inclinationis, ad aliqua vana, ſenſualia & ſimilia.

4tò. Rarus eſt, qui intelligat delicta venialia, quoad differentiam illorum, inter ſe. Inter quæ tamen, magna diverſitas eſt. Quædam enim venialia ad alia comparata, ſunt graviora, intra rationem peccati venialis, quædam leviora: quædam ſunt, quæ ex ignorantia: quædam quæ ex fragilitate: quædam quæ ex malitia committuntur: aliqua rariùs, aliqua ex habitu & conſvetudine perpetrantur: aliqua fiunt ex plena advertentia, & deliberatione: alia per inadvertentiam, vel cum advertentia ſemiplena: aliqua in oculos incurrunt, alia ſunt oculta. Hæ differentiæ in ordine ad praxim, deberent benè intelligi ut major ſolicitudo & diligentia habeatur, ad quædam præcavenda, quàm circa alia. Major ut caveantur deliberata, quàm indeliberata: item ut magis vitentur, quæ fiunt ex malitia, ex conſuetudine, quæ alios ſcandalizant, quàm illa quæ fi-

unt ex fragilitate, vel ex ignorantia: quæ rariùs contingunt, nec ſunt conjuncta cum ſcandalo.

5tò non eſt, qui intelligat damna, ex venialibus oriunda: qualia ſunt, quod veniale inquinet animam, eique turpem inſpergat labem: quòd minuat fervorem charitatis: quòd vires animi debilitet: quòd diſponat ad mortale: quòd pænis gravibus, peccatorem obnoxium reddat; quòd impediat progreſſum in via ſpirituali: quòd DEO, & Angelis, alijſq; Cælitibus, ratione peccati venialis, homo diſpliceat.

6tò non eſt qui intelligat, & ritè expendat, motiva retrahentia à talibus peccatis, & remedia contra eadem inquirat.

7mò tandem, non eſt qui intelligat, quantùm deflenda ſint, hujuſmodi peccata; ſicut enim non æſtimantur; ita nec deflentur à multis. De S. Paula ſcribit S. Hieronymus, eam levia peccata ita planxiſſe; ut eam, graviſſimorum criminum, crederes ream. Utinam ſimili ratione, defleantur ab alijs. Modus etiam illa tollendi ignoratur: cùm tamen juxta doctrinam Concilij Tridentini, multis modis tolli poſſint.

Fac reflexiones convenientes. Propoſita ſtatue. Affectus varios elice, deteſtationis, doloris; quòd tot, tantiſq; peccatis venialibus, DEUM offenderis etc. etc.

Punctum II. Audi illa verba Judicis, an Creditoris Evangelici, ad quendam debitorem, Matth. 5. *Non exibis hinc*, (id eſt ex carcere) *donec reddas, ad noviſſimum quadrantem.* Et occaſione hujus ſententiæ, id quod obiter conſideraſti, in puncto præcedenti, diligentiùs nunc expende.. Nimirum quòd DEUS, non leviter puniat, levia peccata · quòd minimos hos & noviſſimos quadrantes, velit ſibi, pleniſſimè ſolvi. Sed quomodo illi ſolvuntur, quomodo redduntur?

So

Solvuntur per hoc, quòd peccator, si ipse, pro ijs non satisfaciat; cogatur luere pænas, quas ipsi Divina infligit Justitia, idq; luít aliquando pænas in altera vita, in qua flammis purgatorij expiatur, aliquando verò luit pænas, in hac vita, varios dolores, morbos, tribulationes, ipsam etiã corporis mortem sustinendo. Omnes hæ pænæ, graves admodũ sunt.

Graves sunt pænæ purgatorij. Quia aliquæ pænæ purgatorij, quibusdã infligendæ, intensione majores, futuræ esse putantur, quàm pænæ inferni.

Sed nec illæ leves sunt pænæ, quibus, in hac vita, punit DEUS peccata venialia: ut videre est in tot exemplis, ex sacra scriptura desumptis. Certè gravis pæna fuit, lapidatio ab omni populo, illius, qui aliquot ligna, in Sabbatho collegit. Gravis fuit pæna, exitium Achan, cum tota familâ suâ, propter aliqua spolia furtivè asservata, contra prohibitionem Divinam: gravis fuit pæna, lepra, quâ percussa est Maria, Soror Moysis, propter aliquam suam murmurationem. Gravis pæna fuit, Moysis, tanti amici DEI, qui ob aliquam incredulitatem, ad aquas contradictionis, ingressu, terræ promissionis est prohibitus. Graves fuerunt pænæ, illa clades, & sublatio septuaginta millium hominum, per pestilentiam, propter aliquam vanitatẽ, à David commissam, in numeratione populi. Pæna Heli Sacerdotis, qui, ob omissam asperiorem objurgationem filiorũ, subitâ, & funestâ morte percussus est. Spoliatio Ezechiæ Regis, omnibus thesauris, propter jactantiam ipsius in præsentatione eorundem, admissam. Occisio Prophetæ à leone, quòd in loco prohibito cibum sumpserit: Mors subitanea Ozæ Sacerdotis: propter parvam irreverentiã, Arcæ Domini: Tandem mors repentina, Ananiæ & Saphiræ, propter cõmissum mendaciũ & aliquã retentionẽ, propriæ pecuniæ. Hæc considerans reflecte te supra tuas festo

rum violationes, ſupra murmurationes, vanitates, jactantias, irreverentias DEI præſentis, mendacia, & alia peccata venialia, à te commiſſa. O quoties & tu, per hæc, omnes illas pænas meruiſti? Exhorreſce. Admirare patientiam DEI, in tolerandis tanto tempore, tuis delictis, deteſtare illa, & lacrymis pænitentiæ ablue. Fac propoſita, de vita in poſterum emendanda. Proteſtare, te potiùs velle, tuis mortificationibus, abſtinentijs, eleemoſynis, indulgentiarum uſu, alijſq; pijs operibus ſatisfacere Juſtitiæ Divinæ; quàm, ut illa à te tam rigidas, exigat pænas. Poſtula ulteriorem DEI patientiam, dicens humili corde: Miſericordiſſime DEUS, patientiam habe in me & omnia reddam tibi: & quia ex me, ſolvendo toti debito meo non ſufficio: pretium ſolutionis, uſurpo mihi, ex vulneribus, Domini mei JESU Chriſti, infinitumque theſaurum, Meritorum ejus offero, in ſatisfactionem pro peccatis meis.

PUNCTUM III. Audi verba illa Eccleſiaſtici 19. *Qui ſpernit modica, paulatim decidet*, & iterum. cap: 3. *Qui amat periculum peribit in illo.* & diligentiori conſideratione expende, hoc graviſſimnm incommodum, ex peccatis venialibus provenire; quòd per illa procedatur, ad peccatum mortale, quòd is qui ſpernit modica, facilèq; committit peccata levia, ſenſim à pietate decidat; decidat à ſtatu gratiæ, in ſtatum perditionis; quòd peccatis levibus & venialibus, ſit annexum periculum labendi, in peccatum mortale, & per hoc incurrendi, mortem animæ.

Peccata venialia, ſunt ſtuppa accenſa, quæ niſi extinguatur, domus tota incenditur, & in flammas abit: ſunt fons exiguus, ſcaturigo & rivulus, ex quo profundiſſima flumina, ſuam ducunt originem: ſunt illæ aquæ torrentis, per quas aliquando ductus eſt Ezechiel Propheta; quæ primum fuerunt

fuerunt ad talos, creverunt postea ad genua; postea ad renes; tandem factæ sunt aquæ profundi torrentis, qui transvadari non potest. Peccata venialia sunt illæ vulpeculæ, de quibus scriptura, quæ si non capiantur, demoliuntur vineam: sunt morbi, qui si contemnantur, nec tempestivè curentur fiunt letales: sunt fluctus, in navem irruentes, & aquæ stillantes, quæ si non exhauriantur, mergunt navim.

Peccata venialia præcipitare in peccata mortalia, docuit infelici suo exemplo, Saul, de quo S. Chrysostomns homil. 87. in Matthæum. *Saul dum Samueli non obtemperavit, paulatim ac paulatim labens non stetit, quousq; ad perditionis baratrum, se immisit.* Docuit item Judas proditor, de quo Hugo à S. Victore sic ait: *Judam in baratrum nequitiæ, præcipitavit neglecta, minimorum cautio.* Hæc ipsa veritas, similitudinibus illustrata, & exemplis declarata, etiam rationibus firmari & solidari potest. *1ma* Ratio propter quam venialia peccata, sunt gradus & dispositio ad mortalia est hæc. Quia venialia, cum imminuant fervorem charitatis, impediunt tot auxilia gratiæ divinæ, faciuntq; : ut in pænam illorum, DEUS deneget homini, gratias victrices & efficaces, ad superandas graves tentationes; quibus homo destitutus, succumbit tentationi, pravâq; suâ voluntate, labitur in peccatum mortale.

2da Ratio est: quia ex frequentibus, venialibus crescit habitus, & quædā peccandi audacia, ut docet S. Gregorius 1. moral. cap: 14. *si curare parva negligimus, insensibiliter seducti, audenter etiam majora perpetramus.*

3tia Ratio est: quia per frequentationem, aliquorum peccatorum venialium, ita crescit, & radicatur affectus, ad quædam vana & sensualia; ut homo resolvat se, ad perpetranda mala, etiam

graviora ; ne cogatur deserere quod vanum est, quod ipsum, insinuat S. Augustinus, dum dicit: *Dum amantur vana, perpetrantur mala.*

Seriò hæc apprehende, & si horres peccata mortalia, tuamq; perniciem, exhorresce peccata venialia. Reflecte te deinde, an & tibi peccata venialia, non fuerint passus, & gradus ad perpetranda mortalia? Reflecte iterum te, si forte in peccatum grave, aliquando prolapsus es; an in hoc statim te resolveris, an non potiùs, resolveris te priùs, in tot peccata venialia? Detestare illa quàm maximè. Confundere de illorum vilipensione, de tua facilitate ad ea committenda. Propone, curaturum te impensè, cum gratiæ Divinæ auxilio, ne ullo, præcipuê deliberato peccato, DEUM unquam offendas.

In colloquio postula supplex, à Christo & Matre ejus Sanctissima, ab omni culpa immuni, nè permittant te his arenis obrui. In fine Pater noster : Ave Maria

DIES III.

Meditatio. I.

De Filio prodigo.

Præludium 1. Imaginare, te esse Filium prodigum, qui à DEO, tanquam Patre tuo recessisti, & substantiam, tibi ab eodem datam, dissipâsti.

Præludium 2. Postûla gratiam, ut qui Evangelicum filium prodigum secutus es peccantem, sequaris pariter pænitentem; ejusque exemplo, ad veram & seriam exciteris pænitentiam.

PUNCTUM I. Audi illa verba, de Filio prodigo Lucæ 10. *Abijt in regionem longinquam & ibi dissipavit substantiam suam.* Et iterum : *Cupiebat imple-*

implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci mandu-cabant, & nemo illi dabat. Hæc audiens, revoca in memoriam, parabolam de filio prodigo, & exiſtima, hunc filium prodigum, eſſe typum, & imaginem cujuſvis peccatoris Chriſtiani.

Accipit ille 1*mo* ſubſtantiam, ſibi à Patre cæleſti exdiviſam, dum accipit dona plurima ſive naturæ, ſive gratiæ. Dona naturæ, quæ accipit, ſunt vita, valetudo bona, vires corporis, talenta & animi dotes, ſcientiæ & eruditio, rerum experientia, bona educatio, & inſtitutio, indoles ad bonũ flexibilis, ingenua, honeſtatis amans, & ſimilia. Dona gratiæ ſunt, gratia ſanctificans, in Baptiſmo accepta, ac deinde per bona opera, & Sacramentorum uſum, aucta. Habitus infuſi virtutum, vocatio ad fidem veram; ſanctè & ſalubriter inſtituendam. Item dona gratiæ ſunt : Merita Chriſti, unicuiq;, ſi ipſa ſibi uſurpare velit, facilè applicabilia : propria etiam merita, cujuſcunq; Chriſtiani, ſanctæ illuſtrationes intellectûs, motiones ſupernaturales voluntatis, bona deſideria, reſolutiones heroicæ, virtutis & perfectionis amor, fervor in Divino obſequio etc. Hæc dona, dat liberaliter Pater Cæleſtis: filijs ſuis: dat eo fine tam amplam ſubſtantiam: ut eam magis ac magis augeant: dat cum illa adhortatione : *negotiamini dum venio*; ut qui quinq; talenta accipit : ſuperlucretur alia 5. ut theſaurizemus theſauros indeficientes: ut abundemus in omne opus bonum

Coſidera 2*dò* Acceptâ tam amplâ á Patre noſtro ſubſtantiâ, quid facimus degeneres filij? Ecce abimus, in regionem longinquam ; elongamur, à beneficentiſſimo Patre; imus in regionem umbræ mortis: in regionem tenebroſam. Quisquis à DEO per peccatum recedis, abis in regionem longinquam. Averteris enim, à Bono increato incommutabili indeficiente, à bono per eſſentiam

essentiā, perfectissimo: puro & summo bono; & convertis te ad creaturam. Converteris ad bonum creatum bonum deficiens, bonum per participationem, imperfectum, deficiens; ad minutissimam, bonitatis participationem, ad mellis paululum,quo gustato statim moreris. O ! quanta distantia ? o ! quàm longinqua hæc regio, in quam abis ? Per peccatum amittis jus hæreditatis æternæ, excluderis à Paradiso, è Cœlo præcipitaris ; non es ampliùs filius regni, incurris verò, reatum damnationis æternæ. O ! quanta elongatio ? Infelix & degener fili, habes regionem amplissimam, uberrimam, melle & lacte fluentem, in qua tua substantia, non solùm in tuto, integra manet sed etiam augere illam, & tu locupletari potes. Habes inquam regionem talem, si Patri tuo, si DEO, adhæreas, Quid is longè ? Vitam relinquis, ut in regionem umbræ mortis pervenias ; regionem quæris, quæ suos devorat habitatores.

Considera 3tiò Et expende verba illa, *dissipavit substantiam suam.* Unusquisq; peccator cū à DEO recesserit et abierit in regionē longinquā; datā sibi substantiam, consvevit dissipare. Dissipat imprimis, dona gratiæ, aliqua amittendo, & se illis privando. nimirum amittit gratiā sanctificantē, & pleraq; dona habitualia, seu infusa aliqua mortificando· Mortificat enim merita propria, ingratia DEI facta; ut post peccatum, nihil ei prosint. Merita, & sanguinē Christi, facit descendere in corruptionem. bona desideria, proposita, resolutiones sanctas facit evanescere, fervorem spiritûs extinguit, locò cujus, tantùm frigus, & glacies, animā occupat; ut multo igne, & fervore opus sit, ad hæc dissolvenda. Tali ratione, per peccatum, plurima dona gratiæ, dissipat peccator. Licet verò, illustrationes sanctæ, & sanctæ voluntatis motiones, per peccatum commissum, non excludantur

dantur, ita ut omnino cessent : siquidem peccatorem etiam tunc, dum à DEO maximè elongatur, non cessat DEUS illuminare, excitare atq; vocare ; sed DEUS etiam tunc, dum peccator cordis ostium claudit, stat ad ostium & pulsat; nihilominus & hæc ipsa dona, eatenus dissipat peccator; quatenus cordis ostium, Deo pulsanti non aperit, quatenus, ejus inspirationibus, non obedit, sed ad ejus vocem obsurdescit, gratiasque excitantes, inefficaces reddit. Dona insuper naturæ, peccator recedendo à Deo, per peccatum dissipat. Quia per peccatum, vita imprimis corporis minuitur, valetudo labefactatur, varij morbi contrahuntur, vires corporis notabiliter atteruntur: talenta ingenij, judicij, prudentiæ, defodiuntur in terra ; dum circa res terrenas, & sensuales occupantur, illiq; immerguntur. Eruditio etiam & scientiæ, longo studio comparatæ, superinductis tot ineptis speciebus, rerum fædarum, vanarum sensualium obliterantur : Indoles illa, quæ ante ad omne bonum, erat flexibilis, per peccatum & peccandi consvetudinem ita depravatur, ut de pecato in peccatum ruat; ut à malo abstrahi nequeat; ut corruptio boni, non sit nisi pessima; & ex vino præstanti, acetū non sit nisi acidissimū.

4tò Tandem considera & expende, dictum illud, de Filio prodigo, *Cupiebat implere, ventrem, de siliquis porcorum.* Siliquæ porcorū sunt, commoda sensualia: oblectationes sensuum : divitiæ & opes: dignitates, honores, vanitates & similia: hæc quærunt filij prodigi, his inhiant & in his acquirendis toti sunt. Talibus siliquis, quas porci, de grege Epicuri manducant, & filij prodigi, ventrem implere desiderant ; hoc est cupiunt explere, appetitum brutalem, & sensualem, ac terrena nonnisi sapientem. Quia verò interim, mentem & appetitum rationalem, reficere

reficere negligunt; cui, cibus hic viliſſimus non convenit, & quem ſolus DEUS, explere & quietare poteſt, cum nec guſtare velint, quàm ſuavis eſt Dominus ; cupiendo ſiliquas, fame proh dolor ! miſerè pereunt. Idq; nec ſiliquis ventrem implent. Diſcunt enim experientiâ, qui hujuſmodi cupedijs, oblectantur, quòd ipſis appetitus placeat, experientia diſpliceat, quòd hæ illos non ſatient, appetitum non expleant unquam; neq; tamen tales ſiliquas relinquunt, ſed ſemper illis, ventrem implere cupiunt. *Et nemo illi dabat.* Inter alias, etiam hæc eſt infelicitas, filiorum prodigorum ; ut viliſſimus hic cibus ipſis negetur, ut à ſiliquis arceantur; ſunt Tantali ſitientes inter aquas, poma in aquis natantia inſequuntur & non aſſequuntur, nollent peccata deſerere, & interim ab ipſis peccatis deſeruntur; conſolatione interiore carent, exteriorem quærere prohibentur. Mundus fallax, filios prodigos, vanitatibus, voluptatibus, divitijs & honoribus, ad ſe allicit, & trahit, in ſpe tanquam in hamo, eſcam illis proponit & offert ; cum verò hamum hunc, hoc eſt ſpem talis eſcæ devoraverint; eodem hamo illos ad ſe attrahit, miſeros tenet, nec tamen tali eſcâ frui, & ventrem implere permittit ; verùm & eſcam & hamum, ex cruentato ore recipit.

His conſideratis. In Filio prodigo, tanquam in ſpeculo, te ipſum intuere. Cogita quòd tu ipſe ſis filius prodigus. Singula quæ conſiderâſti, tibi applica : fac ſalutares reflexiones, ſupra tua peccata ; & per illa elongationem, à DEO, Patre tuo optimo : ſupra damna hinc ſubſecuta . ſupra tantam miſeriam, & infelicitatem. Confundere, varios actus elice, fac propoſita. & de remedio, tantis malis afferendo, ſeriò cogita.

PUNCTUM II. Audi ulteriora verba ejuſ-

dem

dem Parabolæ. *In se autem reversus dixit : Quanti mercenarij, in domo Patris mei, abundant panibus, ego autem hic fame pereo: surgam & ibo ad Patrem meum. &c. Cùm autem adhuc longè esset, vidit illum Pater ejus & Misericordiâ motus &c.* Et Considera: his verbis exprimi initia conversionis, peccatoris âd DEUM, & DEI in peccatores pietatē & Misericordiā, quâ ipsis subvenit, ut convertantur.

Expende singula. 1mò. In se reversus, (intellige filius prodigus) dixit. Ut quis ad DEUM, convertatur, debet in se reverti. Per peccatum ita abit in regîonē longinquam peccator, ut non solùm à DEO, ejus gratiâ, & domo Patris sui elongetur; sed etiam, ut à seipso abeat. Abit à seipso peccator, quia imaginem & similitudinem DEI, quam per Creationem accepit, fædat, amittit ac in turpissimi monstri transformat spectrum. O quàm diversus, o quàm dissimilis sibi; o quantùm à se abit! Abit à seipso, per oblivionem sui ipsius, per oblivionem suæ salutis, bonorum quæ habuit, & quæ habere potuit. Abit à se ipso. quia rationis & mentis se inopem facit, pro mòdica vanitate, momentanea voluptate, permutando inæstimabiles thesauros; & æterna gaudia; dum relicto Patre; adhæret civi regionis longiquæ, nimirum mundo, carni, & diabolo; dum filius magni regis, pascendos porcos suscipit, & qui in domo Patris voluptuosè vescebatur, qui nutriebatur in croceis, dum amplexatur stercora, siliquis ventrem implere cupit, & fame miserè perit. Qui ita à se ipso abijt peccator, si ad DEUM converti velit, debet in se ipsū reverti per cogitationem infelicis status sui, recogitando annos suos in amaritudine animæ suæ, debet advertere unde exciderit. Debet scire se infirmum esse, in se non esse sanitatem, se malè, imò pessimè habere; tandem; quod fame pereat. Nisi enim hac ratione in se reversus fuerit, de quærendo malis suis remedio nunquam fructuosè cogitabit.

Expende 2dò Verba. *Quanti Mercenarij in Domo Patris mei abundant panibus*, & Considera Filio prodigo in seipsum reverso, id ante omnià ocurrere: quòd mercenarij in Domo Patris ejus abundent panibus, ipse verò fame pareat. Mercenarij sunt, qui Deo serviunt ob spem mercedis, qui laborant tanquam operarij conducti ex denario diurno. Hi in domo Patris cælestis antequam promissam recipiant mercedem, abundant panibus, abundant cælestibus consolationibus, fruuntur pace & tranquillitate conscientiæ. Non patitur illos Deus fame premi, famemquè experiri. supra hanc Patris sui in mercenarios liberalitatem dum se reflectit filius prodigus, in spem erigitur, cogitat fieri posse, ut fame non pereat, sed etiam ipse pane reficiatur & abundet. Dicit: Et quamdiu ego fame conficior? quamdiu siliquas appetam? cur & ego non reficior pane, quo abundant mercenarij? non debeo servire Deo ut mercenarius, sed ut filius; ex amore filiali ad Deum ut Patrem reverti me convenit. Interim quia non sum dignus recipi in filium, admittar saltem in mercenarium.

Expende 3tiò Verba illa: *surgam & ibo ad Patrem meum.* Surgam ex cæno vitiorum, ex volutabro porcorum, ex inveterata peccandi consvetudine, excutiam animi torporem, pondus illud iniquitatum mearum, quod me terræ, rebus vanis ac sensualibus affixit, abijciam, avellam, & abstraham violenter à terra affectum & animum, atque hac ratione surgam, Ibo ad Patrem meum; Ibo per fidem, quia pius, misericors, & Pater est, Ibo per spem & fiduciam in Bonitate ipsius. Ibo per desiderium Deo adhærendi, eique serviendi, per desiderium, Deum ut Patrem amandi; Ibo per veram pænitentiam, per seriam vitæ emendationem per aversionem mei à Creaturis, per conversionem ad Deum. Ibo superatis difficultatibus, amotis impedimentis, ibo & meipsum vincam, Ibo à mundo, carne, & diabolo, quibus adhæsi. Ibo à por-

porcis, filiquis, vanitatibus, & Mundi illecebris, fuper his omnibus, tanquam cibo vilissimo nauseat anima mea. Ibo ad Patrem, trahit me pissime Pater, paterna tua in filios charitas & clementia Hæc mihi spem facit, quod non reijciar quia ad Patrem ibo, qui Pater Misericordiarum est, qui etiam; cum ego ab eo recesserim Patcr esse, non desijt, qui Pater est, etiam tunc dum ego filius esse desij. Surgam & ibo. & quare non furgò? quare non eo? quare non venio? quousque differam & procrastinabo? Et quando tandem finis erit turpitudinis meæ? Ecce venio, jam exsurgo Adjuva me Domine, erige super pedes meos, fac ut eam ut curram, ut ad te perveniam.

Expenda 4tò Cum adhuc longè esset vidit illum Pater ipsius & misericordiâ motus est. Hic est excessus Bonitatis & Misericordiæ Divinæ, in peccatores. Cum adhuc longè a Deo sumus, Pater Misericordiæ videt nos, benignissimo oculo respicit, sicut respexit Petrum, ut peccata nostra defleamus. Misericordiâ movetur, & sicut Pater miseretur filiorum. Ille nos excitat ut revertamur in nosmetipsos, ut surgamus, Ille auxiliante gratiâ sublevat, ut ad Ipsum veniamus super pedes nos statuit, ad se trahit, viam quâ debeamus redire Ipse ostendit, & ad se adducit. Hac optimi Patris bonitate accendere ô anima mea: velociter surgè & redi ad Patrem tuum, ne quæso metuas iram ejus, Pater est, tanquam Pater te redeuntem recipiet, dum adhuc longè es, antequam ipsi reconcilieris, jam te videt, jam super te misericordiâ movetur. Hoc ipsum, quòd surgere, & ad Patrem ire velis, Ejus misericordiæ & gratiæ opus est; quantò magis cùm ad ipsum redieris, intuebitur te tanquam filium, commovebuntur viscera, ejus, amplexabitur te, & deosculabitur.

Punctum III. Audi ulteriora verba quæ se-

quuntur. *Dixit ei Filius: Pater peccavi in cælum & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus. Dixit autem Pater ad servos: Citó proferte stolam primam, & induite illum, date annulum in manu ejus, & calceamenta in pedibus ejus.* Et ex his agnosce, quàm facilis sit reconciliatio filij prodigi cum Patre suo, facilis inquam sive ex parte Filij deprecantis culpam, & pænitentis, sive ex parte Patris, in gratiam recipientis Filium. Iterum expende singula.

Ac inprimis expende verba: *Dixit ei filius; Pater peccavi.* Pater! quia Pater es, non potes non misereri. Quia Pater es, Major est misericordia tua, quàm iniquitas mea. Magna quidem hæc est non tamen talis, ut non consequar veniam. Pater peccavi, quia à te recessi, quia abij in regionem longinquam, quia luxuriosè vixi, quia dissipavi tuam & meam substantiam: quia adhæsi uni civium regionis longinquæ, quia aspernatus panem filiorum, quo etiam mercenarij in Domo tua abundant, ad siliquas me converti, illisque ventrem implere cupivi quia in cæno vitiorum diu jacui; quia volens feci me fame perire, quia serò nimis ad te ò Pater redeo. Hæc peccata, pænitens humiliter confiteor, & explicatiùs coram servis & Ministris Tuis, quibus paterni hujus fori judicium commisisti, confitebor adversum me omnem injustitiam meam. Peccavi in cælum, quia in te cæli Dominum, quia in Tuam Essentiam & Divinitatem, quia in omnes ac singulas Sanctissimæ Trinitatis Personas. Peccavi in cælum, quia Iure hæreditario cæli me privavi, quia cælum terræ postposui, quia Sanctissimos cælites contristavi. Pater peccavi in cælum & coram Te, Non solùm in Te, sed etiam Coram te peccavi ô Pater quia peccavi in oculis & in conspectu Tuo, peccavi te vidente, & aversante turpitudines meas; pecca-

vi cùm mihi, per immensitatem præsens adesses cùm mihi faceres magna, qui potens es, cùm me conservares, totque conferres beneficia, cùm stares ad ostium cordis & pulsares, atque me à peccato retraheres, cùm Tuam circa salutem animæ meæ exerceres providentiam. Ita peccando: quomodò non coram te peccavi Pater?

Expende 2dò Verba: *jam non sum dignus vocari filius tuus*, O detestanda peccata mea, quò me deduxistis? Per illa factus sum, non solùm pastor, socius, sed etiam conviva porcorum: factus sum servus & mancipium infelicis civis regionis longinquæ, prodigus dissipator substantiæ mihi a Patre datæ, Et quâ ratione tuus ero filius ô Pater? Indignus planè sum vocari filius tuus, qui pridem talis esse desij: qui factus sum filius iræ, filius perditionis, filius gehennæ. tam digni Patris quomodo ero dignus filius? Quæ participatio Iustitiæ cum iniquitate? quæ societas lucis ad tenebras? Detestor & execror peccata mea. doleo de illis propter tuam bonitatem Deus, quia bonus: quia Pateri optimus es; Tibi ab hinc adhærere volo: & cùm non sim dignus vocari filius tuus, & ad privilegia filiorum admitti, patere me, Sanctissime Pater, in Domo tua tanquam mercenarium, interim ego amabo te, honorabo te, ut Patrem, nullum tuum deinceps transgrediar mandatum, non ex metu pænæ ut servus, neque ex spe mercedis, ut mercenarius; sed ex amore filiali, ut filius; quia amo te. quia Deus meus & Pater meus es.

Expende 3tiò Dixit autem Pater ad servos: *Citò proferte stolam primam, & induite eum.* O verè Pater qui tali pænitentiâ, humili peccatorum confessione tam facilè placatur! Meruerat filius prodigus, ut contra ipsum iratus detonaret Pater, ut fulmina vibraret; nihil tale auditur à Patre, Amorem nonnisi loquitur; *Cito proferte stolam primam*

mam. Executionem Paternæ benevolentiæ servis suis, hoc est ministris Ecclesiæ demandat, stolâ primâ, seu primâ gratia, quam amiserat filius, jubet illum vestiri, stolâ præstantissimâ, veste nuptiali, in qua in Nuptijs Agni comparendum est. Citò illam proferri jubet, ut & in beneficij præstiti celeritate paternam exhibeat benevolentiam.

Expende 4tò reliqua verba:. *Date annulum in manu ejus.* Non solùm redeuntem peccatorem recipit Pater cælestis in filium; sed etiam animam ejus sibi desponsat: & in signum perpetuæ dilectionis, quâ ipsum diligit, dat annulum, eoque illum sibi obligat, ut nullum alium amorem, nullumque amatorem admittat. Annulus symbolum est æternitatis, hanc Pater dat in manum filij, ut deinceps pro felici laboret æternitate, ut operetur ea, quæ beata æternitate præmiari possunt. Date calceamenta in pedibus ejus. Hæc est providentia clementissimi Patris, ne via pænitentiæ, via mandatorum Dei, via crucis & mortificationis aspera & ardua videatur. Pænitenti filio dat calceamenta, hoc est gratijs suis munit filium, ne sua asperitate via hæc, ipsum deterreat, ut aculeos viæ hujus spinosæ proterat, impedimenta & difficultates superet, & inoffenso pede viam hanc decurrat. Admirare tantam Patris tui pietatem. In spem consequendæ veniæ erigere. Personam filij prodigi indutus, actus ejusdem pænitentis elice: & seriam age pænitentiam, affectumque illum habe deinceps familiarem. *Pater peccavi in Cælum & coram te.*

Colloquium. Pater Misericordiarum, qui redeuntes ad te filios prodigos benignissimè recipis, nec quenquam illorum qui animo contrito ad Te revertuntur reijcis, imò ut redeant illos oculis tuæ pietatis respicis, gratiâ tua, ut resurgant, adjuvas, & ad Te potenti attrahis virtute. Recipe me qui in

ter

ter filios prodigos, maximè sum prodigus, dum adhuc sum longè a Te respice me. Misericordissimè, jacentem erige, ut ex peccatis meis aliquando plenè confuggam, misertus mei trahe me ad Te. Durum cor meum contere, ut in spiritu humilitatis & in animo contrito, suscipiar à te Domine, Stolam primam hoc est gratiam tuam Sanctificantem, fac mihi restitui, in tuo amore me confirma: ac denique pedes meos præpara ad ingrediendum viam asperam pænitentiæ, viam crucis & mortificationis, quam decurrendo; ad Te feliciter perveniam.

In fine Pater noster

Meditatio II.

De Morte

Præludium 1. Imaginare te ex gravi morbo in lecto decumbentem, in extremis constitutum, à medicis derelictum, illud à Confessario tuo audire. *Morieris tu & non vives, dispone domui tuæ.*

Præludium 2. Pete gratiam ut vivacem mortis tuæ habeas apprehensionem, ex eaque spiritualia quàm plurima referas commoda, & discas tempestivè disponere te & præparare ad mortem.

PUNCTUM I. Audi illa verba Psalm. 18. *Et vos sicut homines moriemini.* Et Considera unicuique nostrum moriendum, sicut homines moriuntur: hoc est simili morte, morti aliorum hominum, seu morte tali, cui illæ conditiones & proprietates conveniant, quæ conveniunt mortibus aliorum hominum. Porro conditiones & proprietates mortis, communes sunt. 1*ma* Necessitas moriendi, quæ tanta est, ut ab hac moriendi lege, nul-

lus quantumvis Sanctus, quantumvis fortis & potens: sapiens & dives sit exemptus, ita ut nihil certius sit hac veritate, quòd moriendum sit. Quis fuit sanctior Christo Domino, Marte ejus Sanctissimâ, S. Ioanne Baptista, Sanctis Patriarchis, Prophetis, Apostolis, alisque Sanctis? qui tamen mortui sunt: vel si aliqui necdum mortui sunt, tamen & illis moriendum est. Quis fortior & potentior Abrahamo, Samsone, Davide, Alexandro Magno, & tot alijs Heroibus? & tamen, etiam hos omnes mors devicit & superavit. Quis sapientior Sapientiâ incarnatâ, Rege Salomone, Philosophis illis Ethnicis, orbis Sapientibus, sanctis Ecclesiæ Doctoribus? qui tamen non evitaverunt mortis insidias. Quis ditior Salomone, tot Imperatoribus, Regibus, Principibus? qui tamen nullo pretio moriendi necessitatem redimere poterant. Necessitas hæc moriendi oritur tam ex Lege & decreto Divino, quo Deus ex altissimo suo consilio constituit, ut omnes moriamur, juxta illud Apostoli: *Statutum est õnibus hominibꝰ semel mori*, tũ ex peccato, cui præter Christum & Beatissimam, omnes subjecti sumus: peccati etiam pæna & stipendium mors est; tum ex ipsa natura hominis constituti corpore obnoxio multis alterationibus, morbis, vulneribus & similibus.

2*da Conditio* & proprietas mortis est incertitudo ejusdem quoad tempus, locum, & modum. Nemo enim nostrûm scit quâ ætate, quo anno, mense, die, horâ sit moriturus: cùm mors rapiat singulis annis, singulis diebus, horis, imò singulis momentis. Est etiam eadem mors incerta quoad locum. Mors enim ubique exspectat, ubique insidiatur, ubique homines perimit. Abel in agro mortuus est, Saul & Ionathas in montibus, Heli ex Sella decidens, Iacob & Ioseph in Ægypto, Moyses, Aaron in deserto, Iosue & Caleb in terra

promis-

promiſſionis. Incerta adhúc mors eſt quoad modum; idque ſive per modum hunc intelligatur genus mortis: non enim omnes; eodem mortis genere moriuntur: quidam moriuntur morte violentâ, alij morte naturali: quidam moriuntur morte ſecutâ ex longiori morbo, alii morte ſubitaneâ, aliqui moriuntur in amentia, uſu ſenſuum deſtituti, alij moriuntur ſibi (ut dicitur) præſentes, rationis compotes, & utentes ſenſibus: Sive etiam per modum mortis intelligatur ſtatus interior animæ; quod adhunc modum mors incerta eſt, quia incertum eſt, in quo ſtatu animæ unum quemque noſtrûm mors inveniet. Non poteſt tibi conſtare, qui hæc meditaris, an mors te paratum, & in gratia Dei inveniet? an ſis habiturus gratiam finalem? an habebis copiam Confeſſarij? an moriturus ſis omnibus Sacramentis inſtructus? an inter amplexus Chriſti Crucifixi? an inter oſcula imaginis Matris Beatiſſimæ? An ultímus tuus actus futurus ſit actus ſupernaturalis, ferventis Charitatis & Amoris Dei? An ultimæ voces Sanctiſſima Jesu & Mariæ nomina? Tandem incertum eſt, arbor hæc à morte ſucciſa, in quam partem cadet, an ad Auſtrum an ad Aquilonem?

3*tia* Proprietas & Conditio mortis eſt: quòd mors ſit ultima linea rerum hoc eſt; finis & terminus vitæ, viæ, & peregrinationis tuæ, ſtatûs meriti & demeriti. Eſt terminus vitæ, a qua non datur regreſſus ad vitam niſi in communi reſurrectione mortuorum. Eſt terminus viæ, quia dū vivís, viatorem agis. Vixiſti benè? cucurriſti viam Mandatorum DEI, ambulâſti ſemitam Iuſtorum. Vixiſti malè? âmbulâſti vias difficiles, laſſatus es in via iniqnitatis: iviſti viâ latâ & ſpatioſâ, quæ ducit ad interitum. Moreris? viæ attingis terminum, mors tua eſt ultimus viæ tuæ terminus. Eſt etiam mors ultimus terminus ſtatûs

meriti & demeriti, ab hoc enim momento, quo, moreris, tempus non erit ampliùs, nihil abhinc mereri, nihil pro salute animæ tuæ agere poteris. Finis hic & terminus vitæ, viæ, statûsquè meriti & demeriti, talis est futurus, qualis fuit vita. Vixisti Sanctè, morieris morte Sanctorum, in peccatis vixisti, in peccatis & sceleribus morieris; Talem enim mortem unicuique promittit S. Paulus 2. ad Corint. 11. *Quorum finis erit secundùm opera ipsorum*. Ambulasti viam arctam, intrabis per angustam portam, quæ ducit ad vitam, ambulasti viam spatiosam, intrabis per portam latam, per ostium illud dilatatum, de quo scriptura: Dilatavit infernus os suum absque termino. Neque enim (ut ait S. Chrisostomus) *Potest quis pervenire ad Patriam, nisi ambulaverit in via*. Licèt verò aliquando homines in vita sua scelerati & improbissimi vitam aliquando in vera pænitentia finiverint, licet latro bonus in morte, patentes sibi paradisi portas invenerit, hoc in exemplum trahi non debet; id enim ita raro & extraordinariè factum est ut S. Hieronymus audeat dicere. *Vix de centum millibus hominum, quorum mala fuit semper vita, meretur habere à DEO indulgentiam unus*.

4ta tandem mortis proprietas est; quod sit Principium alterius vitæ, & ingressus domûs æternitatis. In Beatis mors est principium vitæ felicissimæ, nullis miserijs, nullis doloribus obnoxiæ, in reprobris mors est principiū vitæ infelicissimæ, vitæ illius: in qua homines quærent mortem, & non invenient, vitæ quæ erit ipsa mors secunda.

Ex hac Mortis suarumque proprietatum consideratione erue sequentia dictamina practica, 1*mò* Stultum esse timeri mortem quæ evitari non potest. 2*do*. Cùm hora & tempus mortis incerta sint, omni tempore te ad mortem paratum

esse

eſſe, omnem quoque tuam actionem, præcipuè veró omnem Confeſſionem ſacramentalem & omnem ſacram Communionem debere te ita peragere; atque ſi immediatè moriendum eſſet. 3*tiò* Cum locus mortis incertus ſit, nulli loco te affici debere, ſed ad omnem oportere te eſſe indifferentem. 4to Cum neſcias quis ſit futurus animæ tuæ ſtatus, & quæ diſpoſitio? nunc diſpoſitionem ad mortem inchoandum eſſe, curandumque tibi eſſe, ut ſemper Deo vivas, ut non ſis tibi conſcius peccati gravis, ut ſis in gratia Divina. optima enim ad mortem diſpoſitio eſt vita chriſtianè & Sanctè inſtituta. Qui animæ tuæ ſtatus in vita fuerit, idem erit & in morte. Cùm S. Auguſtinus aſſeveret neminem ſe vidiſſe male mortuum, qui benè vixerit. 5*tò* Cùm mors ſit ultima rerum linea, debere te inſtanter nunc operari, merita cumulare, nullam merendi occaſionem prætermittere.

6*tò* Tandem Cùm mors in bonis, ſit vitæ melioris principium, ad illam te debere aſpirare cum Apoſtolo: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto.*

Reflecte te ſupra ſingula hæc dictamina, quomodo te illis regulaveris, & regulare deinceps debeas, elice affectus materiæ huic ſervientes, reſignationis in Dei voluntatem, circa mortis tuæ tempus, locum & modum. deſiderij Sanctæ mortis, Dololris, &c. Poſtremò Chriſto agonizanti commenda agonem tuum, & poſtula ut ille ſuum tibi ſpritum inſpiret, quo anima tua vivificata, Ipſi per tuum reddatur agonem.

Punctum II. Audi verba illa Pſal. 34. *Mors peccatorum peſſima.* Audi item Rationem, quam hujus ipſius reddit S. Bernardus Epiſt. 105. *Mala ſiquidem eſt in Mundi amiſſione, pejor in carnis ſeparatione, peſſima in vermis igniſquè duplici contritione*

tione. Et expende singula, atque.

Considera 1*mò* Mortem peccatorum malam esse in amissione mundi. Peccatores dum vivunt, cum magno amore possident divitias, amplas possessiones modis indebitis acquirunt, congregant aurum, argentum, pecunias, thesauros maximos, & bona fortunæ coacervant, summo studio quærunt honores, famam, nominis celebritatem, dumque talia assequuntur, in his sibi cōplacent, talibus delectantur, ac in ipsis, maximam suam reponunt felicitatem. Quare dum deinde, hæc per mortem amittunt, idque amittunt irrerparabiliter, jacturã hanc gravissimè ferunt, & ingenti hinc afficiuntur dolore. Siquidem ut ait S. Augustinus: *non Sine dolore amittitur, quod, cum amore possidetur.* Peccatores ut lucrentur mundum, æquo animo detrimentum suæ salutis subeunt: quanto igitur dolore cruciabuntnr ? si animæ suæ detrimentum passi, etiam mundum amittere cogentur. Tandem peccatores sperant pollicenturque sibi, quòd longo tempore divitijs a se collectis, fortunâ & mundo fruentur, illud Epulonis Evangelici ingeminantes. *Anima mea epulare, ede, bibe, habes multa bona in annos plurimos reposita.* Quantum igitur in morte torquebuntur, dum advertent hæc omnia sibi eripi: in aliorum, idque frequenter in illas manus, in quas nollent devenire, brevî deventura.

2*dò* expende illud *Mors peccatorum pejor in carnis separatione.* Peccatoribus nihil dulcius, nihil amabilius, vitâ hac corporali, de vita alia non cogitant, ad illam non aspirant, sed in votis unicè habent, ut anima illorum nexu indissolubili, corpori semper sit conjuncta, in morte autem videbunt hâc se vitâ spoliari, nexum illum dissolvi, animam à corpore separari, idque à corpore illo, quod tot DEI offensarum, & æternæ damnationis causa sibi exstitit; ab illo corpore: cui, tantùm indulge-

dulgebant, cui nullas voluptates negabant, cuju concupiſcentiis appetitibus & inclinationibus in omnibus obſequebantur. Videbunt ulteriùs per hanc ſeparationem, omnes voluptates finem accepturas, videbunt corpus brevî corrumpendum & in pulverem diſſolvendum : animam verò infelicem à dæmonibus violenter rapi & in infernum trahi. Quantâ igitur amaritudine replebitur peccator? cū quanto gemitu & ej ulatu exclamabit miſer? ſiccine ſeparas amara mors? O mors; quàm amara eſt memoria tui!

3*tiò* Expende verba illa: *Mors peccatorum peſſima, in vermis, igniſque duplici contritione.* Vermis Conſcientiæ graviſſimè in vita torquet peccatorem; ſed incomparabiliter graviús torquebit eundem in morte. In vita, taliter eum torquet ut ſpes ſaltem, vermis hujus enecandi, illum ſolari poſſit: exiſtimat enim peccator, per pæniteetiàm quam ſe aliquando facturum proponit, vermem hunc ſe exſtincturum. In morte verò ſiquidem peccator videbit jam ſe extra omnem ſpem ſalutis conſtitutum eſſe; facilè advertet quod vermis ille ſemper ſit ipſum cruciaturus. Cogitabit miſer & dicet, Ego quidem morior; ſed vermis conſcientiæ, qui me torquet, non morietur in æternum. Nulla arbor ſic à verme roditur, & in pulverem conteritur, atque vermis conſcientiæ rodet & conteret peccatorem. Ignis etiam infernalis; quem ſibi paratum eſſe moriens peccator intuebitur & in quem à malignis trahetur ſpiritibus, conteret eundem; mortemque ipſius peſſimam & infeliciſſimam reddet. Hunc ignem recogitans, dolore plenus ululabit miſer: Quis poterit habitare cum igne devorante & ardoribus ſempiternis? reſpondebitq; ſibi : in his tibi habitandum eſt in æternum.

Ex horum conſideratione, hæc dictamina erue. 1*mò*. Cùm per mortem amiſſurus ſis mundum, velis

velis nolis: An non ultroneè tempestivé sit dimittendus? Felix es si hunc amore Christi contempsisti & reliquisti; si vivendo in Religione; intra hanc non quæris mundum: hoc est, si non quæris vanitates, honores, plausus, officia speciosa, exquisita commoda &c. Confide in Bonitate Divina non fore tibi mortem tuam gravem ex mundi amissione. Quòd, in mundo vivis, nec hoc vitæ genus: fas est tibi relinquere, age ut vivens in mundo, non sis de hoc mundo; ut affectu non adhæreas ad ea quæ mundi sunt, ut non inhies divitijs aggregandis; quærendis honoribus, nè hæc tibi mortem tuam, malam reddant & amaram. 2*dò* non indulgendum esse carni, sed potiùs eam esse affligendam; mortificandam, tanquam hostem persequendam, commoditates illi negandas, bellum continuum gerendum; adversús eius concupiscentias; ita enim fiet; ut mors quæ gravis solet esse malis, ex carnis separatione; tibi non sit futura gravis. 3*tiò* Custodiendam tibi esse conscientiæ puritatem; nullum committendum peccatum; de commissis pænitentiam seriam, tempestivè faciendam; ne in morte conscientia te arguat de peccato, maximè gravi: ne vermis non moriturus te conterat; ne item ignis infernalis in te inveniat, quod totâ exurat æternitate.

Reflecte te deinde si nunc tibi moriendum esset; qualis mors tua foret; an non esset mala in mundi amissione, an non pejor in carnis separatione; an non pessima in vermis & ignis duplici contritione? Exhorresce talem mortem, fac proposita, elice affectus materiæ accõmodatos.

Punctum III. Audi illa verba Psal. 115. *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus* Audi item verba Melliflui Doctoris D. Bernardi. hunc locum explicantis sermone in transitu S. Malachiæ. *Pretiosa mors Sanctorum, tanquam finis laborum*

rum, tanquam victoriæ Consummatio, tanquam vitæ janua, & perfectæ securitatis ingressus. Expende iterum singula, & imprimis expende & considera, Pretiosam esse mortem Sanctorum ex eo, quòd sit finis laborum. hoc est, quod sit finis omnium ærumnarum, omnium dolorum, omnium gemituum. In morte enim sperat homo justus brevi se eò perventurum ubi neque luctus, neque clamor, neque labor, neque dolor erit ultra. Mors Sanctorum erit laborum finis, sed simul merces eorundem, idque merces magna nimis, merces non alia nisi per quam possidebitur DEUS. O quanto justi in morte superabundabunt gaudio? dum intelligent se non in vanum laboràsse, non recepisse se mercedem in vita sua, sed illam sibi reservari reddendam in altera vita, consecuturos se finem, in quem suis Actionibus & laboribus collimabant.

Expende 2dò. illud: *Pretiosa mors Sanctorum tanquam victoriæ consummatio.* Iusti cùm viverent, præliabantur bella Domini, adversùs mundum, carnem, & Diabolum, infensissimos DEI & hominum hostes. Militia fuit vita eorum super terram. Decertabant incerti quo eventu pugna ipsorum esset terminanda. Inter spem & metum toto vitæ tempore fluctuabant; In spem victoriæ erigebat ipsos Christus Dux eorundem, erigebant tot Sanctorum exempla, qui de hostibus triumpharunt, Auxiliorum Divinæ gratiæ abundantiâ &c. Metu percellebat illos propriæ fragilitatis Conscientia, Hostilium insultuum seu tentationum assiduitas & vehementia. &c. In morte constituti vident se victores exstitisse, vident & pugnam & victoriam suam consummatam esse, vident parari sibi victrices palmas, triumphales coronas, & palmas strenui sui certaminis. Quantùm igitur lætitiæ, quantùm gaudij inde percipiunt? Nunquam sic exultant victores captâ prædâ, dum dividunt spolia,

ſpolia, quantùm Sancti exùltabunt in morte, de obtenta & conſummata ſua victoria.

Expende 3*tiò Pretioſa mors Sanctorum, tanquam vitæ Janua & perfectæ ſecuritatis ingreſſus.* Juſtus cùm viveret ſuſpirabat ſæpiùs, ut portæ, cæleſtis Ieruſalem ſibi paterent. In morte videt has portas ſibi patere, videt cum Stephano cælos apertos, videt JESUM ſtantem, Matrem ejus Sanctiſſimam, alioſque Cælites invitantes; videt mortem ſuam vitæ alterius, ejuſque ſummè felicis, & æternæ, eſſe ſibi januam. Videt ſe omnibus periculis quibus hic jactabatur eripi, ſuis omnibus ſalvis & integris, ſalvis meritorum & bonorum ſuorum operum, gratiæque Divinæ theſauris: quibus infernales prædones ſpoliare ipſum volentes; inſidiabantur, in ſecuriſſimo portu conſtitui. Eſt igitur Juſto, mors dulcis, mors pretioſa, tanquam vitæ janua, & perfectæ ſecuritatis ingreſſus,

His expenſis, gratulare in animo, mortem tam felicem, tam pretioſam Sanctis & electis DEI. Talem tibi exopta; & ut conſequaris, vivere ſtude ſecundùm Sanctorum exempla.

In Colloquio poſtula à Chriſto & Sanctiſſima DEI Parente, ut Ipſorum meritis vita hæc tua quâ inter mortales vivis, ſit vita Sanctorum, ut ſit pretioſa propter labores pro DEO & DEI gloria ſuſceptos; ſit pretioſa propter fortem adverſùs animæ tuæ hoſtes; & victricem ſemper pugnam: ſit pretioſa propter conſtantem tuum per vias vitæ curſum. Poſt vitam verò hanc mortalem ut obtingat tibi mors Sanctorum, quæ ſit pretioſa, tanquam finis & merces laborum, tanquam victoriæ conſummatio, tanquam vitæ janua, & perfectæ ſecuritatis ingreſſus. Et ut non aliter januam vitæ llius beâtæ ingrediaris niſi deducentibus te Sanctiſſimis his Ducibus IESU & MARIA.

In fine Pater noſter, Ave Maria

MEDI-

Meditatio III.
De Judicio Particulari.

Præludium 1. Imaginare te esse villicum iniquitatis, & constitui ante Christum Judicèm, ut reddas rationem villicationis tuæ, jamque tibi declarari, quòd ampliùs non poteris villicare.

Præludium 2. Postula gratiā, ut intelligas quanto rigore, in Judicio particulari, tuarum actionum exigetur à te ratio, & ut in vita tua Christum Judicem pro hora vel momento particularis tui judicij placatum tibi reddere possis.

Punctum I. Audi verba illa Ecclesiast. 11. *In fine hominis denudatio operum ejus.* Et revoca tibi in memoriam id, quod fides & Sancti Patres docent, quód anima cujusvis hominis, immediatè post obitum, sistenda sit tribunali supremi simulque justissimi Judicis, ab eoque sit judicanda. Cujus judicij formam quò meliùs cognoscas.

Considera Coram illo Tribunali denudanda & manifestanda omnia opera hominis, quæcunque homo à primo rationis usu, ad ultimum halitum fecit, sive benè sive malè, ōnia hæc clarissimè patebunt, & uno intuitu conspicientur. Denudabuntur opera occultissima, quorum neminem in hac vita consciū esse voluimus, quæ ut tegeremus rubor nobis & verecundia persvaserat. Denudabuntur illa, quæ velabantur aliquâ externâ specie pietatis, virtutis &c. decident velamina excusationum, quibus aliqua opera nostra involvebamus, sive in confessionibus, sive coram illis, quorum jurisdictioni subjecti aliquâ ratione fuimus, sive etiam apud nosmetipsos. Idque denudabuntur non solùm verba, non solùm opera, sed etiam secretissimæ cogitationes, & actus interni voluntatis. Revelabitur &

manifestabitur, non solùm id, quòd fecimus, sed etiam quod omisimus, quod neglximus. Denudabuntur etiam ea, quæ bene egimus, & patebit, quo fervore, quâ intensione, unum quodque opus bonum egerimus; patebit quam intentionem in nostris actionibus habuerimus? quem finem per eas intenderimus? an majorem Dei gloriam, nostramque salutem & perfectionem, an certè vanitatem, inanem gloriam, aut aliquem respectum humanum;

Porro hæc denudabuntur omnia 1*mò*. Coram oculis ipsius Judicis, non quia hos oculos aliquando latebant, sed quia latere putabantur, tunc autem anima judicanda, clarissimè cognoscet, in omnibus se deprehensam esse, omnia sua opera optimè nota, ac perspecta fuisse suo Judici. O quanta tunc erit confusio animæ peccatricis? agnoscere, quòd suæ tantæ fæditates, oculum supremi Judicis non latuerint. Denudabuntur adhuc, eo etiam sensu omnia opera hominis, coram eodem Judice, quia etsi Deus viderit illa ante, non vidit tamen illa tanquam Judex, non vidit taliter, ut de illis, & peccatore, ultimam suam ferret sententiam; non vidit eo fine ut illa præmiaret, vel puniret, præmio vel pænâ, quâ merentur; sed vidit, ut mala opera nostra misericorditer remitteret, vidit, ut nos ad pænitentiam provocaret. In fine autem, hoc est: in morte hominis, Deus Judicem aget, ut Judex nostra opera inspiciet, cùm antea misericordissimum Patrem ageret, fueritque paratus nostra remittere peccata, nobis ad se in toto corde conversis.

2*dò* Eadem opera hominis, in illo Judicio, denudabuntur coram oculis ipsius animæ, quæ judicabitur; tunc enim hæc in momento separationis suæ à corpore, clarè cognoscet omnes suos actus, omnes ipsi in uno instanti repræsentabuntur, quid quovis tempore cogitaverit, dixerit, fecerit?

In-

Intelliget perſpicaciſſimè quomodò uſa ſit medijs ſalutis ſuæ, auxilijs gratiæ Divinæ, ſenſibus, potentijs, talentis ſuis, ad ſalutem & perfectionem conſequendam. Neſcivit anima, dum in corpore eſſet, an amore, an odio digna fuerit? an peccata ſua fuerint ſibi dimiſſa, an ſufficientem de ipſis pænitentiam egerit? De plerisque ſuis peccatis fuit dubia, an attigerint gravitatem culpæ lethalis? an commiſſa ſint cum plena deliberatione? ſciet tunc dignitatem vel indignitatem ſuam. Omnia ſua dubia clarè diſſolventur. Denudabuntur opera hominis coram proprijs animæ oculis; tunc enim opera illa, quæ apud ſe & corā alijs excuſabat, apparebunt ipſi talia, qualia in ſeipſis, & coram oculis Dei fuerunt. Tandem coram oculis animæ denudabuntur opera ejus, quia tunc anima longè aliud judicium formabit de rebus omnibus, quàm judicaverit ante, ſuaque priora judicia & dictamina fuiſſe mala, & perverſa, fuiſſe inſanias falſas, vanitates vanitatum, & magnas ſtultitias cognoſcet.

3*tiò* denudabuntur eadem opera hominis coram ſeveri Judicis Aſſeſſoribus, ſcilicet corā tot Cælitibus & Beatis Spiritibus, coram S. Angelo Cuſtode, qui miſeræ animæ peccatrici exprobrabit ſuorum inſtinctuum & monitionum contemptum, tot ſuas irreverentias, tantas ingratitudines, pro impenſis circa eam obſequijs &c.

4*tò* Tandem denudabuntur opera hominis coram ipſis Dæmonibus, qui peccatori tunc vel maximè inſultabunt, accuſabunt eundem, & damnationis ſententiam à Judice expoſcent.

His conſideratis, reflecte te, quomodò tunc feres conſpectum ſupremi Judicis; quanta tua erit confuſio audire tunc exprobrationem S. Angeli tui Cuſtodis, S. Patroni nominis tuî, Fundatoris Religionis, ſi Religioſus es, aliorumque Cælitùm; quā graves tibi erunt inſultationes hoſtium animæ tuæ

Ex eadem consideratione, erue hæc dictamina practica 1*mò* Debere te, in omni actione tua, præ oculis habere DEUM, quē aliquando experturus es severum Judicem. Debere te, meminisse, quòd DEUS omnes tuas actiones spectet, omnes semitas observet, vestigia pedum tuorum consideret, & gressus dinumeret, quòd (ut loquitur S. Augustinus) ipse erit Judex causæ tuæ, qui modò est testis vitæ tuæ.

2*dò* Nè ad tuā confusionē denudentur corā DEO Judice opera tua, debere nunc te ipsum per humilem, integram, & sinceram Confessionem, superato quovis pudore & verecundiâ, denudare hæc ipsa opera coram Sacerdote, Christi locum tenente. 3*tiò* Ita tibi nunc vivendum esse, ut non sit de quo tantopere confundi te oporteat in illa operū denudatione.

4*tò* Debere te nunc talia de rebus formare judicia, qualia formaturus es, in terribili illo judicio. 5*tò* S. Angeli Custodis instinctibus monitionibusq́; internis obtemperandum esse, ipsique in omnì loco, in omni angulo, maximam reverentiam exhibendam.

Fac proposita, elice affectus confusionis, de tot tuis malis operibus, doloris, deprecationis, desiderij, perfectæ emendationis. Tandem postula à Matre Beatissima, ut illa suo contegat pallio nuditatem tuam, ut tibi, tanquam filio prodigo impetret primam stolam, quâ vestitus; coram illo tribunali securus, & sine metu confusionis, ex denudatione operum tuorum compareas.

PUNCTUM II. Audi illa verba DEI Judicis apud Psalmistam dicentis Psal. 74, *Cùm accepero tempus, Ego justitias judicabo* Et considera, in particulari hominis judicio, post denudationem & manifestationem operum ejus, hæc ipsa opera, à justissimo Judice, discutienda, examinanda & rigidissimè judicanda esse. Porro non aliter Judex ad causā dijudicandā accedet, nisi, accepto prius tēpore; *Cùm accepero tēpus, Ego justitias judicabo*, hoc est quàndo non

erit amplius

erit ãpliùs tẽpus merendi, tẽpus pænitendi, quando transibit tempus miserendi, quando jam nobis nec intercessio Sanctorum proderit, nec ullæ nostræ supplicationes exaudientur: quando nullis lacrymis, nullis gemitibus, nullâ pænitentiâ, Judex flecti poterit. Post hoc tempus acceptum, quando homo jam erit in limine æternitatis, Christus, Judicis personam assumet.

Ut verò meliùs intelligas rigorem & severitatem illius Judicij, noveris, quia ipsas etiam justitias judicabit. O quantas in his injustitias & imperfectiones inveniet? *Imo* judicabit justitias non quòd tales in se fuerint, sed quòd pro talibus à nobis habitæ fuerint: sæpe enim (ut ait S. Augustinus) *in oculis Judicis DEI sordet, quod fulget in conspectu operantis* O quanta tunc judicij Divini à nostris judicijs diversitas apparebit? judicamus frequenter esse nos justos, & DEUS arguet nos de peccato Fortasse (ut dicit idem Augustinus,) *dum te putas agnum, DEVS probabit te esse hircum.* Unde exclamat ulterius: *Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remotâ misericordiâ, discutias eam.*

2dò Judicabit Judex ille supremus justitias etiam hoc sensu: quia judicabit illas actiones, quarum natura ipsa exigit, ut sint justitiæ, ut sint sanctæ, ut ordinentur ad DEI gloriam & animæ salutem. Quales actiones sunt confessiones & communiones sacramentales, piæ precationes, meditationes rerum spiritualium, examina conscientiæ, opera misericordiæ, aliæque his similes actiones. Has omnes examinabit DEUS Judex; an non fuerint sacrilegæ? quâ perfectione factæ sunt? quâ dispositione & animi applicatione? quâ intentione? quo fine & respectu? quo item fructu? scrutabiturque Jerusalem in lucernis, hoc est: minimos defectus, tantò magis palmares imperfectiones, tepiditates, tædia, quæsitas distractiones investigabit.

Judicabit 3*tiò* justitias veras. Quod si autem has judicabit, tantò magis justitias fictas & simulatas, quæ extrinsecùs patent, intrinsecùs verò sunt veræ impietates. Quod si Judex ille judicabit justitias, subjungit S. Bernardus. *Quid injurias? quid contumelias; quid blasphemias; quid scandala & tot aperta scelera.*

Hæc considerans, reflecte te; quæ & quanta DEUS Judex in te judicaturus & condemnaturus est? Reflecte te supra tuas justitias, supra pia opera tua, an non sint vitiata studio vanitatis? respectibus humanis? alijsque imperfectionibus? Reflecte te, supra tuas confessiones, absque prævia conscientiæ discussione, sine seriò dolore & emendationis proposito, & fortè cùm non requisita integritate factas, supra Communiones tepidè & nonnisi ex consvetudine peractas, & agnosce justitias has rigidè à Christo judicandas. Reflecte deinde te, supra aperta tua vitia, scandala à te data, supra conversationes tuas, supra legum tam Divinarum, quàm humanarum transgressiones. Omnia hæc, copiosa materia judicij Divini est futura.

Quòdsi nolis de his à DEO Judice judicari, ipse te nunc judica, tuo te condemna judicio, condemna tuas imperfectiones & nequitias, de his te accusa, ea in te vindica. Hoc medium, effugiendi judicij Divini proponit S. Paulus Apostolus: *Si nos ipsos judicaremus non utique judicaremur à Domino.* Vel certè contra te ipsum actoris & accusatoris personam assume, & coram Sacerdote, Christi Vicario, te accusa, & ipsius judicio ac sententiæ humiliter subijce, ab hoc absolutus, judicium illud ne formides. Quidquid hìc solutum fuerit, erit solutum & in Cælis. Cave etiam ne facilis sis in judicandis & malè interpretandis aliorum actibus, Christo ipso monente: Nolite judicare & non judicabimini nolite condēnare & non condemnabimini

Elice

Elice affectus, confusionis, aliosque materiæ acc̃omodatos: fac etiam proposita particularia. Ad extremum, humilia te coram Judice tuo, ab eoque supplex postula, Non intres in judicium cum servo tuo Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo, omnis vivens.

Punctum III. Audi Ecclesiasticum Cap. 11 dicentem *Facilè est coram DEO, in die obitûs retribuere cuique secundùm vias suas.* Et considera, in particulari judicio, quòd fit in die obitûs, seu in morte cujusque hominis, post manifestationem & denudationem omnium operum, post rigidum eorũdem examen & discussionem, ex nunc ferendam esse ultimam sententiam & decretum, post quod latum, intra idem momentum perfecta ejusdem sequetur executio. Nullæ tunc erunt difficultates in formando decreto; quia infinitæ Judicis sapientiæ nulla astutia & versutia fucum facere poterit, quominùs totam causam plenissimè cognoscat, & perspectam habeat, adeoque, ut aliquâ dilatione opus sit, propter meliorem causæ cognitionem. Præterea nulla tunc remedia juris locum habebunt, nullæ etiam preces, nulla patrocinia evincere poterunt, ut sententiæ pronuntiatio differatur. Non erit etiam ulla difficultas in executione decreti, quia à supremo Judice ejusque sententia, nulla restabit provocatio, nulla appellatio.

Porro Decreti executio, fiet per retributionem cuique secundùm vias suas. Justi tunc præmiabuntur, impij punientur. Qui ambulaverunt vias vitæ, ibunt in vitam æternam, qui ãbulaverunt vias mortis, lassati sunt in via iniquitatis, ibunt in supplicium æternum, ubi mors depascet eos. Anima quæ progredietur speciosis pedibus tota pulchra & sine macula, à Sponso cælesti, ad præmia æterna evocabitur. Quæ verò inquinatis & lutosis pedibus apparebit coram illo Judice, & quibus aliquid de luto

luto & imperfectionum pulveribus adhæsit, Anima quæ ita est munda tota, ut tamen indigeat ut pedes lavet: hæc in purgatorio priùs purgabitur, siquidem nihil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum.

His consideratis, intuere mentis oculo, & observa vultum & affectus tam animæ in cœlum euntis, quàm animæ ad purgatorium relegatæ, quàm etiam animæ ad pænas, & supplicia æterna damnatæ. simulque te reflecte, cujus animæ sortem exoptes. Nec dubium est, quòd omnibus votis & desiderijs suspires, ut inter Sanctos & Beatos sors tua obveniat. Hoc ut assequaris, noveris; sortem hanc retributionem esse secundùm uniuscujusque vias, adeoque, nemini alteri obtingere posse; nisi illi, qui vias vitæ ambulat, qui Christum per imitationem ejusdem, sequitur, qui procedit semitâ Justorum.

Statue firmiter recto justitiæ tramite te progressurum, illâ viâ, quam tibi Spiritus S. per vocationem suam ostendit, quâ te ducit; Dux & Caput omnium Electorum Dominus noster JESUS CHRISTUS, nec te unquam viam hanc derelicturum.

Colloquium ad Christum Dominum, à quo postulabis, ut qui aliquando Judex tuus est futurus, sit modò Advocatus tuus, ut eâ te via ducat, secundùm quam, in die retributionis, retribuat tibi vitam & beatitudinem æternam.

In fine Pater noster.

DIEI. IV.

Meditatio I.
De Judicio universali.

Præludium 1. Imaginare te in pulvere sepulchrali dormien-

dormientẽ, audire tubam Archangeli, eâque ad judicium universale evocari.

Præludium 2. Pete à DEO gratiam, ut hæc tuba ita sonet in auribus tuis, sicut aliquando sonabat in auribus S. Hieronymi, hoc de se ipso testantis, utque DEUS timore hujus judicij, carnes tuas configat.

PUNCTUN I. Audi verba illa DEI Judicis, apud Jöëlem Cap. 3 *Congregabo omnes gentes, & deducam illas in vallem Iosaphat, & disceptabo cùm eis.*

Et considera: præter judicium illud particulare, quod fiet in fine hominis, hoc est in morte uniuscujusque, aliud judicium universale instituendum in fine mundi, juxta formam, adductis Prophetæ verbis expressam: scilicet.

Congregabuntur imprìmis omnes gentes, per admirandam corporum resurrectionem: quòd ipsum, tali ratione fiet: congregabuntur priùs omnes pulveres, in quos, unumquodque corpus mortuì hominis dissolutum fuerat, ex ijsque congregatis, coalescet corpus, cui deinde corpori, sua reunietur anima, quæ illud ante informabat & animabat, Atq; hoc modo, congregabuntur omnes gentes, omnes scilicet homines, a primo nostro Parente Adam incipiendo, ad ultimum hominem nasciturum. Nullus poterit se subducere, nullus effugiet judicium illud, sed omnes omnino oportebit resurgere & manifestari. Quare congregabuntur tam justi, seu Beati: quàm etiam impij, seu damnati. Beati congrebuntur, ut in reassumpto corpore glorificentur, damnati congregabuntur, ut qui ante Judicij diem solùm in anima puniebantur, postea etiam in corpore pænam damnationis suæ sustineant. Beatorũ animæ, ut se coram illo tribunali sistant, libenter relinquent sedes illas, quas in cœlis occupant, descendent exultantes à summo cœlo ad sua corpora, quibus reunitæ, ibunt obviam Christo in àéra: qui

deinde, cum iisdem veniet cum Majestate magna. Damnati autem inviti ex inferno trahentur ante illud tribunal: vellentque protunc in inferno profundissimè mergi, vellent à montibus cadentibus tegi; ne vultu irati Judicis feriantur, & ne intolerabili illâ confusione; quàm sustinere cogentur, repleantur.

Considera 2dò Quòd ipse Judex, illas õnes gentes deducet in vallem Josaphat, hoc est non casu aliquo fortuito, in valle illa congregabuntur; sed congregabuntur ex altissimo DEI Judicis consilio. Deducet illas (id est, omnes creaturas rationales) Quia ipse Christus in illo Judicio Judex futurus, personaliter descendet & veniet, ipse sedem Judiciorum occupabit & coram suo Tribunali easdẽ creaturas statui volet. Deducet illas in vallem Josaphat, per ministros suos, qui in illa die, separabunt malos de medio Justorum, malosque statuent à sinistris, bonos autem à dextris.

Considera 3tiò Quòd Judex, in illa die pro tribunali sedens disceptabit cùm gentibus, seu creaturis à se judicandis. Vultum terribilem Judicis inspicere, intolerabile erit. Ejus enim oculi erunt tanquam flamma ignis, ex ore verò procedet gladius, utrâque parte acutus. Quantò magis intolerabile ijsdem erit, audire non tam verba, quàm fulmina de ore judicis procedentia. Satis esset ad confusionem damnatorum, videre Eum, quem confixerunt: quò autem major sit confusio ipsorum, disceptabit cùm eis Christus Judex, exprobrando ingratitudinem illorum, & in se crudelitatem ac tyrannidem, contemptum tot gratiæ suæ auxiliorum, tot mediorum ad consequendam salutem, à Deo ipsis liberaliter oblatorum, neglectum tot inspirationum, tot merendi occasionũ, neglecti obsequij & servitij sibi debiti, neglectæ pænitentiæ. Disceptabit tunc cum unoquoque, rationem exigendo omnium fa-

ctorum

ctorum, dictorum, cogitatorum, totique mundo, & univerſis illis, qui ſe huic ſiſtent judicio, manifeſtabuntur cujusvis ſcelera. Has exprobrationes Chriſti Judicis, cùm ipſis diſceptantis, audientes reprobi, ô quantâ confuſione replebuntur? o quanto afficientur dolore: Ululatus ipſorum, replebit univerſam terram.

His conſideratis, reflecte te ſupra teipſum & memineris: etiam te ſiſtendum illi tribunali: ſiſtendum inquam in hoc corpore, in quo modo vivis, deduceris in vallem Joſaphat. Sed ubinam tunc inveneris? an inter oves an inter fætentes hædos? num à dextris, an fortè à ſiniſtris? num inter Beatos, an certè inter reprobos & damnatos? Reflecte iterum te, quomodo tunc feres vultum terribilem irati Judicis, audebisne in illum tuos levare, oculos? Te ipſum interroga cum Iob. *Quid faciam cùm ſurrexerit ad Judicium Deus, & cùm quæſierit quid reſpondebo.* Quid reſpondebo? cùm quæſierit & rationem ſibi reddi voluerit, tam malè collocati temporis, neglectorum mediorum ſalutis, & gratiæ ſuæ auxiliorum, tot & tantorum ſcelerum à me patratorum. Certè non aliud reſpondere potero, niſi quod tunc mihi dictabit, in quo me condemnabit conſcientia mea. Fatebor tunc iniquitates meas, confitebor adverſum me peccata: ſed mea illa confeſſio, non erit ad obtinendam veniam & ſalutem.

Agnoſce modò ò Anima & defle culpas tuas, corrige errata tua, & tunc Judicem propitium invenies. Procide ad pedes Chriſti Crucifixi, tuorumque delictorum veniam ſupplex poſtula illis Eccleſiæ verbis: *Juſte Judex ultionis, donum fac remiſſionis, ante diem rationis. Ingemiſco tanquam reus, culpâ rubet vultus meus, ſupplicanti parce DEUS.*

Punctum II. Audi illa verba Matth. 25 *Tunc dicet Rex his, qui à dextris ejus erunt. Venite*

Bene-

Benedicti Patris mei: possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: esurivi enim & dedistis mihi manducare, &c. tunc dicet & his, qui à sinistris erunt, discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis ejus, esurivi enim & non dedistis mihi manducare &c.

Et considera post disceptationem Christi Judicis cùm gentibus, seu creaturis rarionalibus, proferendam esse ab Eodem, in omnium auribus sententiam: tam in bonos quàm in malos. Formam utriusque sententiæ clarè expressam habes in adducto Evangelij textu.

Expende prius sententiam ferendam in Beatos. *Tunc dicet Rex* Ipse supremus, Rex & Judex, ore suo proprio, & per seipsum, non verò per aliquem suum ministrum, sententiam promulgabit; ad majus ipsorum solatium, ad manifestandam suam in ipsos benevolentiam & amorem. Promulgabit ipse ore suo hanc sententiam, ut Beati sint securissimi suæ beatitndinis & felicitatis, cùm optimè sciant; quòd Deus verbum de ore suo procedens non faciat irritum. *Dicet Rex, Venite Benedicti Patris mei.* Vobis enim benedixit Pater Misericordiarum, faciendo vobiscum misericordiam. Odor vestrarum virtutum & meritorum, ostendit, vos esse agrum illum fertilem, plenum, frugiferum, cui benedixit Dominus. Possidete regnum, propter contemptas possessiones terrenas. Possidete regnum, vos enim estis Filij & hæredes regni. *Possidete* regnum paratum vobis à constitutione mundi. Tanti Deus æstimavit merita vestra, ut antequam essetis; statim a constitutione mundi regnum vobis præparaverit: priùs Deus præparavit vestra præmia quàm vos feceritis vestra merita. *Esurivi enim, & dedistis mihi manducare.* O quanti Christus æstimat minutias nostras, ut eas coram toto orbe sit prædicaturus in die judicij. O felices refectio-

nes

nes Christi; refectiones pauperum! quas ipsum Verbum Patris disertissimâ laudabit panegyri. Mortificas gustum tuum, subtrahis sensualitati tuæ, propter imitationem Christi esurientis & sitientis, ex amore ipsius, ut de eo, quod tibi subtrahis reficias pauperem, reficis ipsum Christum. Mortificationem hanc tuam, hanc pauperis, & in paupere, Christi refectionem, totus orbis, in extremo judicij die, ab ipso Christo deprædicatore cognoscet.

Expende deinde sententiam Judicis in impios. *Tunc dicet & his qui à sinistris erunt.* Etiam in impios sententiam, ipse Judex Christus ore suo promulgabit, ut tinniant ambæ aures eorum, ad majorem confusionem & afflictionem ipsorum: majorem item veniæ & salutis desperationem, & damnationis suæ certitudinem & sententiæ latæ immutabilitatem. Dicet. *Discedite à me*, procul à me estote, discedite, hoc est: non quomodocunque recedite, sed properate ab oculis meis. At quonam discessuri sunt? si ascenderint in Cœlum, tu illic es Domine, si descenderint in infernum, ades. Discedite à me, hoc est: à gratiâ meâ, à mea misericordia, benevolentiâ, liberalitate, felicitate, à bonitate & charitate mea. Discedite maledicti, maledicti à me, à Patre meo, à Sanctissima Trinitate, maledicti ab omni creatura, maledicti etiam ore & confessione vestrâ. Maledicti propter odium, quo Deus vos totâ æternitate persequetur: maledicti propter excisionem à statu felicitatis æternæ: maledicti propter supplicia æterna. Discedite in ignem æternum. Ignis hic complectitur omnia tormenta & omnes cruciatus, hic ultor erit injuriæ Dei, ipse in furore Dei accensus est. *In ignem qui paratus est diabolo &c.* Ignis hic non vobis à me fuerat paratus, vobis siquidem regnum Cœlorum paraveram: hoc regnum, Sangvinis mei pretio vobis emeram, sed vos, ab hoc regno, vestrâ culpâ, excidistis

excidiſtis & veſtrâ culpâ ignẽ diabolo paratũ vobis, met ipſis excitaſtis. O miſer quisquis es, peccator: perditio tua ex te eſt! ex DEO autem tantummodò auxilium tuum. *Eſurivi enim & non dediſtis mihi manducare.* Si DEUS negligentias omiſſiones bonorum operum, æterno igne eſt puniturus, quid faciet de fœdiſſimis commiſſionis peccatis? quid de graviſſimis alijs ſceleribus? Quo inferno ad hæc vindicanda opus erit? Ad hanc Judicis exprobrationem, quanta confuſio impiorum eſt futura? Exprobratio hæcr generabit impijs opprobrium ſempiternum, & ignominiam æternam, quæ nunquã oblivione delebitur.

His conſideratis tecùm ipſe perpende. Quamnam ex his audire velis ſententiam? Quodſi ſola prior ſententia tibi placet, ita vive, ut Chriſtum tuarum virtutum laudatorem in die extremi judicij habere merearis.

Ab Eodem pete gratiam, hîc ſanctè & laudabiliter vivendi, ut in die judicij favorabilem ſententiam audire poſſis, uſus illis ex proſa Eccleſiæ verbis: *Inter oves locum præſta, & ab hædis me ſequeſtra, ſtatuens in parte dextra. Confutatis maledictis, flammis acribus addictis, voca me cum Benedictis.*

PUNCTUM III. Audi illa verba Matth. 25. *Ibunt hi in ignem æternum. Juſti autem in vitam æternã.* Et conſidera extremũ illud Univerſale judiciũ hoc exitu eſſe terminandum quod impij poſt latam ſuæ damnationis ſententiam, diſceſſuri ſint in ignem æternum. Juſti autem auditâ pariter de ſe ſententia, ituri ſunt in vitam æternam. Expende iterum ſingula, & *Imprimis*: conſidera infelicem circa damnatos Judicij extremi exitum. Ibunt hi (damnati & impij deſignantur) poſt Chriſti ſententiam, ita infelices, ut nec titulum nec appellationem communem habeant, ut nullus terminus ſuæ infelicitatis

licitatis, satis expressivus inveniri, possit. Ibunt hi. O quanta disrumpentur invidiâ miseri illi; quòd ipsi ibunt in perditionē & non alij, quòd alii ibunt in vitam æternam & non illi. Ibunt in vitam æternam amici, Parentes, vicini, contubernales, quandoque suorum criminum complices, illi autem in supplicium. O quantus dolor; o quàm amara separatio? o quanto tunc impij odio exardescent adversùs peccata sua, imò adversùs etiam seipsos? Ibunt. Non ita pridem ad tribunal Dei Judicis trahi debuerant, post latam verò sententiam, eâ ipsâ urgente, simulque urgente nimiâ confusione ipsorum, non ferentes tantam suam ignominiam, non ferentes, ultra vultum irati Judicis, exprobrationes Christi, insultationes Sanctorum, approbationem latæ in ipsos sententiæ ab omnibus factam, ibunt, nec trahi amplius debebunt, omnia potius inferni supplicia experiri parati, quàm tantâ repleri confusione. Ibunt, in æternitate enim solus est progressus, terminus nunquam. Ibunt in ignem æternum, non redituri unquam, ibunt in ignem & supplicium æternum, propter momentaneum illud, quod ipsos cum offensa Dei delectabat.

Considera 2dò, & expende ea, quæ post promulgatam in Beatos sententiam, consequentur. *Justi autem*: si illi Justi, tu Domine justus & pius es, quia illorum præmias merita. Justi ibunt, felices, qui ante ibant & flebant, virtutum & meritorum spargentes semina, tunc ibunt cùm exultatione portantes manipulos suos. Ibunt insultantes improbis, stultitiam ipsorum accusantes, quòd ipsis benè utentibus, gratiæ Divinæ auxilijs, meritis Christi, aliisque obtinendæ salutis medijs illi hæc omnia contēpserint, eaque præelegerint; de quibus coguntur nunc erubescere. Ibunt Justi, sequentes Christum, in comitatu Beatissimæ Dei Parentis SS. Angelorum, ac Beatorum omnium. Ibunt in splendori-

doribus Sanctorum, damnatis illam ipsorum gloriam cùm summo dolore spectantibus. Ibunt in vitam, qui moriebantur quotidie, qui continuam Christi mortificationem in corpore suo circumferebant, qui vitam suam pro Deo; prompto & alacri animo impendebant. Ibunt in vitam, nimirum: ut per visionem intuitivam Deum clarè cognoscentes, Eodem frùantur, ut item fruantur Christi Redemptoris & Salvatoris sui conspectu, & clara itidem cognitione, in quali utrâque cognitione; consistit vita æterna. Ibunt in vitam æternam; quia introibunt in potentias Domini, & in ipsum Deum, qui est Vita perfectissima, trasnformabuntur per amorem. Ibunt in vitam æternam, pro tantillis laboribus, copiosam & superabundantem mercedem recepturi. Ibunt in vitam æternam, non solùm qnoad animam, Deo, & suæ Beatitudini in æternum victuri, sed etiam victuri in glorioso corpore, quod mercedem æternam participabit cùm Anima.

His consideràtis exhorresce infelicitatem impiorum. E contra gratulare Beatis felicem ipsorum sortem. Accendere desiderio, unà cùm Beatis evolandi ad præmia æterna. Fac proposita particularia de adhibendis medijs, per quæ possis consequi præmià Justis præparata.

Colloquium institue ad Christum euntem ad mortis & supplicij sui locum, ab eoquè humillimè postula, ne cogaris aliquando, propter tua scelera, ire in supplicium æternum.

In fine Pater noster.

Meditatio II.
De Inferno.

Præludium 1 Imaginare Evangelicum Epulo-

nem

nem in flammis inferni ardentem, & ab Abrahamo postulantem, ut Lazarum in sinu suo recumbentem mittat ad fratres ejus, qui illis prædicet, ne & ipsi veniant in eum tormentorum locum.

Præludium 2dum. Pete gratiam, quâ illuminatus, agnoscas pœnarum inferni gravitatem, & earum horrorem concipias.

PUNCTUM I. Expende illa verba Lucæ 16. *Ne veniant in hunc locum tormentorum.* Et considera, nec veriùs, nec meliùs, infernum definiri & explicari potuisse, quàm per hoc quòd sit locus tormentorum. Infernum sic definit Epulo Evangelicus, qui propriâ didicit experientiâ, quid sit infernus, si quispiam alius, hoc nomine infernum appellasset, non mereretur fidem; meretur fidem Epulo, quia ex experientia loquitur. Cæterùm huic veritati testimonium ipsius DEI, quòd majus est suffragatur. Siquidē Spiritus Sanctus quascunq; pœnas, & quæcunq; mala à nobis cogitabilia, partem non nisi pænarum inferni appellat, dum *Psal:* 10. dicit; *Ignis, grando, nix, spiritus procellarum, pars calicis eorum.* Ut verò meliùs adhuc multitudo, vis, & gravitas tormentoum inferni innotescat.

Expende ulteriùs 1mò In inferno, damnatos cruciandos pœnis, & doloribus gravioribus, quàm sint quæcunq; pœnæ, quantumcunq; graves & atroces, quæ aliquando hominibus in hac vitâ inflictæ sunt, vel infligi poterant. Percurre pœnas & tormenta, quæ aliquando sive Sanctis Martyribus, sive quibuscunq; alijs mortalibus inflicta sunt. Imaginare rogos & pyras ardentes, imaginare fornaces Babylonicas ita succensas, ut flamma supra fornacem erumperet & ascenderet cubitis quadraginta novē. Imaginare ignitos Phalaridis boves, rotas novaculis & uncis ferreis armatas, crebris & acutis præfixas gladiis. Imaginare crurium confractionē, dissectiones mēbratim factas, acutarū arundinū infixiones

cutis detractionem, laterum candentibus laminis vel facibus exustionem, volutationes in testarum fragmentis, aquâ ferventi vel metallis liquatis perfusiones, Japonica, per aquæ in os infusionē & ejusdem violentam expressionem, tormenta, aliaq; similia innumera. Omnia hæc respectu pœnarum quas in inferno patiuntur damnati, umbra sunt & refrigerium, si post inferni cruciatus, talia tormenta pati quempiam damnatum contingeret, is pro mollibus rosis hæc haberet. Imaginare itē gravissimorū morborum dolores, dolores capitis, dentium, calculi, podagræ, Artritidis, ventriculi, lienis, hepatis &c. Omnibus his doloribus imcomparabiliter graviores experiuntur damnati.

Expende 2dò Gravitatem pœnarum inferni ex eo, quia omnia elementa & Creaturæ cruciabunt peccatores. Cruciabit Ignis, hic enim specialiùs assumetur pro instrumentô Justitiæ Divinæ non solùm ad corpora damnatorum urenda, sed etiam ad torquendas ipsas animas, & spiritus, affligetque dānatos gravissimè ut meritò scriptura dicat. *Quis poterit habitare cum igne devorante & ardoribus sempiternis.* Cruciabit aqua jam fervore & calore intensissimô, iā frigore rigidissimo, duplex ibi stagnum dabitur unum gelidissimū alterum ferventissimum bullientium aquarum, vel certè ignis sulphuris & liquatorum metallorum. Hæc stagna erunt balnea damnatorum. Cruciabit àer suô pestilentissimô afflatu, intolerandô fætore, Cruciabit concitatis procellis dānatos, tanquam folia rapiendo & transferendo de unô tormentorum locô in alium. Cruciabit terra absorbendo damnatos, suô pondere eosdem conterendo, saxa in ipsos ejaculando, ignes, cineres copiosos evomendo, metallis miseros perfundendo, in ijsque demergendo. In spectris varia animalia & Creaturas repræsentantibus cruciabunt damnatos, serpentes, viperæ aspides, vultures, milvi &c. Devorabunt

bunt eos & discerpent morsu amarissimo, leones dentibus comminuent, ursi unguibus dilacerabunt &c. Omnesque aliæ Creaturæ simili modô armabuntur in ultionem inimicorum Dei. Modò dum sumus in hac vitâ mortali, Creaturæ sunt exarmatæ, & tamen graviter affligere & cruciare possunt. Quanta vis earum erit in excruciandis improbis, dum ab ipsô Deô armabuntur! Quantam stragem gladius ille faciet de quô scriptura loquitur, *si exacuero ut fulgur gladium meum.* Ipsi dæmones immanissimi nostri hostes, quorum suggestionibus & tentationibus, tam facilè modò obsequimur, crudelissimi damnatorum tortores sunt futuri. Odium & furorem quô in Deum exæstuant, in miseram animam Dei imagine insignitam tunc evoment, ad instar Pantheræ. quæ cum non possit nocere homini, rabiem suam in ejus imaginem effundit, eamque (si in hanc incidat) in frusta discerpit. Sed supra quascunque Creaturas, ipsa Justitia Divina atrocissimè sæviet in damnatos. Deus enim tunc aget in virtute propriâ, in fortitudine brachij sui, ut agens potentissimum, Creaturæ autem agent in virtute alienâ, tanquam instrumenta Dei, ut agentia debilia & imperfecta. Deus suas tunc ulciscetur offensas & injurias, quapropter pro mensurâ & modô, quô eas aversatur, proportionatè ipsas puniet & vindicabit.

Expende 3*tio*, & percurre singulos sensus, in quibus cruciabuntur damnati post corporum resurrectionem. Cruciabitur gravissimè visus, densissimis tenebris, à quibus scriptura infernum appellat tenebras exteriores. Cruciabitur fumô illô ignis tartarei molestissimo. Turpissimis dæmonum spectris horrore teterrimis, illius infernalis carceris, conspectu instrumentorum ad excruciandos damnatos servientium, totque gravissimorum tormentorum. Tandem cruciabitur visus ipsis lacrymis, quas copio-

ſiſſimè damnati profundent, educente eas ex oculis vi cruciatuum, & doloris ac triſtitiæ magnitudine. Auditus cruciabirur mœſtiſſimis deſperantium ejulatibus, lamentabili væ inceſſanter perſonante, triſtibus gemitibus, non tolerandis maledictionibus, per quas filij parentibus, parentes filijs maledicent. Singuli damnati maledicent diei, in quo nati ſunt, tempori, quo in peccatum prolapſi ſunt, complicibus ſuis, quibus ad offenſam Dei abuſi ſunt, quorum pravo exemplo inducti ſunt ad peccatum. Cruciabitur auditus ſtridore dentium, fremitu inferni, inconditis dæmonum clamoribus, horrendis in Deum & Chriſtum, in Sanctiſſimam Dei Parentem, & in Sanctos, blaſphemijs, illis mutuis graviſſimis damnatorum ſibi invicem inſultationibus, improperijs, & exprobrationibus, ad quæ omnia, tinnient ambæ damnatorum aures. Cruciabitur guſtus fame illâ acerbiſſimâ, fame caninâ, de qua ſcriptura loquitur, *famem patientur ut canes*. Cruciabitur guſtus ſiti illâ ardentiſſimâ, quam nunquam reſtingvere poterunt, volent damnati cùm Epulone vel unicâ guttâ, ex intincto Lazari digito defluente, exuſtas lingvas ſuas refrigerari, ſed hanc gratiam nunquam impetrabunt. Guſtus damnatorum cruciabitur felle draconum, & veneno aſpidum inſanabili, Cibus illorum non alius eſt futurus quàm ignis ille infernalis, quàm omnium ſordium colluvies. Potus damnatoſrum pix liquata metalla, ſulphur *ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum* erit pars calicis quô potabuntur.

Cruciabitur odoratus graviſſimô illô fætore, quem putrida & aduſta damnatorum corpora exhalabunt, ſulphureo ſtagni infernalis vapore, graveolentiſſimis exhalationibus aſcendentibus ex ſentinis fœtidiſſimis. Cruciabitur denique tactus igne infernali, tota damnatorum corpora penetrante, imò etiam & ipſa pervadente oſſa, graviſſimis omnis

nis generis cruciatibus & per omnia membra doloribus. Totum corpus damnati ardentem carbonem vel ferrum ignitum referet, igne avernali intimas carnis & ossium medullas depascente.

Expende 4tò & percurre potentias Animæ, cruciatusque, quibus illæ cruciabuntur. Cruciabitur Memoria recordatione honorum, divitiarum, voluptatum, quibus dum viverent affluebant impij, propter quæ in vitâ felices & beati censebantur, per totam verò æternitatem miseri & infelices sunt futuri, Ad hanc recordationem bonorum, quibus in vitâ fruebantur, exclamabunt; Quid nobis profuit superbia nostra, aut divitiarum jactantia, quid contulit nobis, transierunt omnia & nos in malignitate nostrâ consumpti sumus. Cruciabitur memoria recordatione gratiarũ & inspirationum divinarum contẽptarum, tot mediorum salutis neglectorum, occasionum & commoditatum merendi ac pœnitentiam agendi omissarum, tanti temporis, in quô salutẽ consequi poterant miserè perditi & collocati. Cruciabitur adhuc memoria, recordatione aliorum coæqualium, consodalium, quibus convixerunt, qui in similibus occasionibus, tentationibus existentes, similibus inclinationibus ad malum obnoxij, æqualibus gratijs adjuti, ibi strenuè decertârunt & de hoste triumphârunt, ubi illi miserè prolapsi, se in perditionem præcipitârunt, & æternæ damnationis reatum incurrerunt. Cruciabitur ulterius memoria, recordatione conversationis malæ, cum ijs, cum quibus nunc torquentur, & quorum maledictis impetuntur: tandem cruciabitur tot & tantorum delictorum, ab ipsis commissorum conscientiâ.

Intellectus cruciabitur vivâ apprehensione & consideratione implacabilis odij, quo Deus damnatos tanquam hostes sibi maximè exosos, persequetur per totam æternitatem. Implacabilis item odij quô eosdẽ prosequentur Christus Dominus, Beatissima Mater ejus, S. Angelus Custos, alijque Sancti

Cælites. Consideratione etiam odij, quô unum quemque damnatum prosequentur dæmones, alijque suæ damnationis consortes. Cruciabitur præterea intellectus apprehensione vivâ & forti omnium tormentorum, cruciatuum, dolorum, quos vel actu patitur damnatus, vel totâ deinceps æternitate est perpessurus. Idem intellectus cruciabitur judicijs illis, quibus judicabit se esse infelicissimum, vana, misera, nec diuturna fuisse illa omnia; propter quæ perijt in æternum. Postremo cruciabitur intellectus, illis discursibus & illationibus *Ergo erravimus*; Ergo totâ æternitate luemus pœnas, ergo nunquam misericordiam consequemur.

Voluntas præ alijs potentijs cruciabitur singularissimè, sicut enim hæc exstitit potissima imò unica damnationis causa, ita ut verè dictum sit, cesset propria voluntas, & infernus non erit, ita in ipsam potissimum sæviet ultrix scelerum justitia Divina. Cruciabitur verò (quantùm captu intellectus nostri assequi licet) summâ in malô obstinatione, odiô implacabili, quô aversabitur DEUM, humanitatem Christi, pretiosissimam DEI Parentem, Sanctos omnes. Rabie & furore immanissimô in omnes creaturas, & imprimis in seipsum. Infelici sed simul inefficaci appetitu mortis, suæque annihilationis. Tandemque summâ illâ disordinatione, ex vi cujus non poterit quidquam velle nisi malum, non poterit odisse nisi bonum.

Expende 5tò Duplicem fore damnatorum pœnam, unam, quam vocant pœnam sensûs, alteram, quam vocant pœnam damni. Pœna sensûs consistit non solùm in cruciatibus, quos corpora damnatorum, in suis sensibus sive externis, sive internis patientur, sed etiam in illis cruciatibus, quos in Potentijs animæ sustinebunt damnati, quos item ipsæ animæ ac spiritus corporis expertes, nimirum dæmones perpetientur ab igne infernali, quô

eosdem

eosdem spriritus (ut dicit S. Augustinus) *torquet & torquebit veris & miris modis.* Pœna damni consistit in exclusione damnatorum ab æternâ beatitudine & gloriâ cælesti, hoc est â visione intuitivâ Dei, & amore ejus fruitivô. Pœna hæc gravissimè affliget & torquebit damnatos. Non dolet tantùm Rex propriô expulsus regnô, & ad extremam redactus egestatem, de tam infelici & calamitosô suô statu. Non dolet tantùm filius de exclusione sui ab hæreditate jure naturali sibi debitâ, quantum ingemiscent damnati de sui exclusione ab illô regnô, ab illâ hæreditate, quâ potientur Beati. irrugiit Esau, postquam intellexit se privatum esse jure filij primogeniti, & benedictionem Patris à fratre suô sibi surreptam fuisse. Multò magis irrugient damnati, dum intelligent, se, qui aliquando filij regni fuerant, vel esse poterant, eijci, & in æternum præcipituri supplicium. Hæc pœna adeo gravis est futura damnatis, ut S. Chrysostomus dicere audeat. *Decem mille quis ponat gehennas, nihil tale dicet, quale est, Beatâ gloriâ excidere.* Porro ex eò damnati tam graviter hanc pœnam damni sentient, Quia vivaci apprehensione advertent, quod ipsorum ultimus finis, ad quem consequendnm omnia eorum studia, omnes actus collimare debuerant, fuerit Deus, ut clarè & intutivè visus; quod hic unice potuerit esse expletivus & satiativus ipsorum appetitûs, quod in hoc unicè conquiescere potuerint; quod cum hoc tantô bonô omnia pariter bona ipsis obtigissent. Quod hic finis tantæ excellentiæ & præstantiæ sit; ut & ipse Deus non aliunde sit & fuerit, semperque erit summè felix & beatus, nisi quod seipsum perfectissime videat & cognoscat, seque ipsum summô amore amet. Ab hoc ergo fine, siquidem advertent damnati, se æternaliter excidisse, jamque se esse extra omnem spem talis beatitudinis & felici-

tatis obtinendæ, serò agnoscent, quàm grave in currerint damnum, tantique damni pœnam sentient acerbissimè. Augebit dolorem illorum, ex tali pœnâ, irritatio appetitûs eorundem, tum per gaudia Beatorum ab ipsis in die extremi judicij cognita, tum ex splendore, & majestate magna supremi Judicis, ad judicium universale venientis ab ipsis conspectâ.

His expensis reflecte te, an & tu non merueris aliquando, ut venires ad infelicem illū tormentorum locum, an non pluries tibi debebatur infernus. Cogita qua ratione factum est, quod adhuc cum Epulone non ardeas, & exclama: *Misericordiæ Domini, Quia consumpti non sumus.* Recogita quis in te animi sensus, an poteris sustinere inferni pœnas? an poteris habitare cum igne devorante? Experire quantùm hic ignis noster urat, quod si illius ardores sustinere non vales, quomodo poteris habitare, cum sempiternis, ignis infernalis ardoribus. Hinc autem facilè deduces 1*mò*. Non debere te unquam gravi mortali peccato Deum offendere, cum propter quodvis peccatum mortale, incurras reatum sustinendi æternas inferni pænas. 2*dò*. De peccatis à te commissis debere te convenientem agere pœnitentiam Si enim commisisti peccatum mortale, jam infernum meruisti, à cujus reatu potes adhuc liberari in hac vita, non alia tamen viâ, nisi per pœnitentiam, eamque seriam, ac talem, qualem à te Christus requirit.

3*tiò*. Pœnitentiam hanc non differendam esse, quia incertus es, an commoditatem, quam nunc, habes ad pœnitendum, habiturus es postea? an tempus illud, in quod tuam differs pœnitentiam, mors & æterna tua non præveniet damnatio. 4*tò* providendum tibi esse, ne deinceps mortaliter pecces, ut si in certo & fixo vitæ statu constitutus es, habeas modos & media statui huic convenientia, ad

sancte

Sanctè & laudabiliter vivendum, & Deum non offendendum unquam, maximè peccato lethali. Si necdum es in certo statu vitæ, illum statum eligas, in quo securus esse possis de non offendendo Deo mortaliter, & non incurrendo periculo damnationis æternæ.

Fac proposita, Lacrymis pœnitentiæ defle tua peccata, ipse de te sume tuorum scelerum vindictã ne tota æternitate ea deflere & æterna supplicia sustinere cogaris. Deo te offeras ad quasvis cruces & pœnas in hac vitâ sustinendas, ut pœnas æternas effugias, dicendo. Hîc ure, hic seca, modò in æternum parcas.

Punctum II. Audi illa verba Deuteron. 25. *Pro mensura delicti, erit & plagarum modus.* Et considera, licet in inferno omnes damnati gravissimas pœnas sint perpessuri, sive pœnas sensûs, sive pœnas damni, inter has tamen ipsas pœnas, quas diversi sustinebunt, magnam futuram esse inæqualitatem, nam graviorum & plurium delictorum rei, graviores sustinebunt pænas, quàm ille, qui unius peccati mortalis vel pauciorum & leviorum fuerit reus. Quod ut meliùs perspicias.

Expende 1*mò* Diversa peccata, diversis in inferno punienda pænis. Et sic aliâ superbi, aliâ gulosi, & ebriosi, aliâ avari, aliâ luxuriosi, aliâ alienæ famæ detractores, aliâ iracundi, aliâ invidi &c. punientur pœnâ. Superbi punientur gravissimè humiliatione & depressione sui, in qua illud sibi occinent: *Quomodo cecidisti Lucifer, qui manè oriebaris.* Gulosi ebriosi punientur gravissima fame & siti, & qui cum Epulone quotidie epulabantur splendidè, unicam aquæ guttam, ad refrigerandam lingvam postulabunt. Avari punientur & affligentur maxima egestate illudque de ipsis verificabitur: *Viri divitiarum dormierunt somnum suum & nihil invenerunt in manibus suis.* Luxuriosi, gravissimâ toto corpore per-

petientur tormenta. Juxta illud Apocalypsis *Quantum indeliciis fuit, tantùm illi date tormentum*, Detractores punientur in lingvâ & suâ propriâ famâ. Inverecundi aspectus punientur oculorum cruciatu, Rapinæ per torturam manuum.

Expende 2dò Quò plura sive numero, sive specie aut genere diversa peccata quis commisit, eò plures numerô sive specie, aut genere diversas in infernô sustinebit pœnas. Multiplicitati enim peccatorum genericæ, multiplicitas generica pœnarum, multiplicitati specificæ, aut numericæ peccatorum respondebit, multiplicitas specifica aut numerica pœnarum. Intensioni etiam majori peccati, correspondebit intensio proportionata pœnæ. Circũstantijs aggravantibus: respondebunt aggravantes circumstantiæ pœnarum, ita enim fiet, ut pro mensura delicti sit plagarum modus, & ut retribuatur cuique juxta vias suas. Verificabitur & illud: *Potentes potenter punientur*. Illud item *Cui plus datum plus requiretur ab eo*.

Expende 3tiò Etiam venialia in hac vitâ non expiata, in damnatis, pœnis inferni punienda esse per accidens. Et sic si quis plurium venialium reus, committat peccatum mortale, post illudque impœnitens moriatur & damnetur, talis in inferno non solum peccati lethalis à se commissi luet pœnas, sed etiam patietur pœnas peccatorum venialium. Idque aliqui Theologi docent in talibus damnatis venialia in inferno plectenda esse pœnâ æternâ alij docent pœnam ipsorum futuram temporalem.

His expensis quàm extrema sit dementia, eorum, qui in unum prolapsi peccatum mortale: resolvunt se etiam in alia, & peccatis peccata accumulant, idque frequenter non numerô tantùm, sed specie & genere diversa, tanquam si parùm esset unum illos meruisse infernum, ut velint tot infernos tot gehennas, tot pœnas numerô, specie, & genere diversas

versas sustinere. Cogita iterum, quàm timenda sint beneficia Divina aut potius quàm timendum sit post accepta Dei Benèficia, post collata uberiora gratiæ ejus auxilia, & habitas opportunitates ad tentationes vincendas, iisdem succumbere & Deum offendere, à talibus enim plus requiretur, siquidem ipsis plus datum est. Cogita ulterius, quomodo non sint contemnenda, peccata venialia; quando, quidem hæc per accidens in damnatis puniuntur pœnâ inferni. Non potest tibi constare, quod post multiplicata venialia, non sis prolapsurus in mortale, imò contrarium est præsumendum; quod si lapsus fueris in mortale, & propter hoc dãnaberis, etiã venialia teneberis exsolvere pœnis inferni.

Fac reflexiones materiæ accomodatas, fac item proposita, & varios elice affectus.

Punctum III. Audi illa verba: *Momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat.* Et considera pœnarum inferni, quibus mortalia punientur, hanc futuram gravissimam proprietatem, quòd sint tota æternitate duraturæ, quod momentaneæ impiorũ delectationes quibus in vita Deum mortaliter offenderunt, per totam æternitatem sint puniendæ.

Vis nosse quid sit infelix illa æternitas? Est duratio gravissimarum illarum pœnarum, carens fine & termino, hoc est nunquam terminanda. Elabentur millla annorum, miliones milliones millionũ ab inchoatâ dãnatione, num fortè tot saltem elapsis annis finietur pœna damnati! nequaquam. Imò hæc primùm dolorum & damnationis erunt. Fac cogitabiles suppositiones, calculationes, ut pervenias ad terminum æternitatis, per nullas ad illum pervenies. Intra mille annos unus damnatus unicam lacrymæ guttam profundat, ex ita profusis guttis si conserventur, coalescet oceanus, & ad terminum æternitatis non perveniet. Intra millionem annorum producat Deus, pulvisculum unum

unum, ſinguliſque annorum millionibus, alios & alios pulviſculos creet & reponat in ſpatio quod eſt inter centrum terræ & inter ſupremi cœli concavum. In hunc modum factâ pulviſculorum productione, pulviſculis replebitur totum memoratum ſpatium, & non pervenietur ad æternitatis terminum, ad id enim, quod nec eſt, nec eſſe poteſt, perveniri nequit.

Eſſentia & natura æternitatis plenè & ſufficienter explicatur, duobus illis adverbijs *ſemper*, *nunquam* ſemper necabit tartarus, nunquam, tamen enecabit, ſemper vorabit tartarus, nunquam devorabit. Semper trucidat tartarus, nunquã conquieſcit. Heu ſemper ardet tartarus, nunquam focus quieſcit, arſura ſẽper fulmina & ſopienda nunquam.

Æternitatis illius infelicis menſura futura eſt ipſius Dei æternitas, tamdiu enim pænæ inferni durabunt, quamdiu in Deo manebit jus ad exigendas de peccatore pœnas, propter offenſam ſui, ab eodem commiſſam. Hoc autem jus, tamdiu manebit, quàmdiu Deus erit Deus, quia tam diu manebit illud jus quamdiu non exhibebitur, vel ſatisfactio condigna pro peccato, vel ſatispaſſio æqualis eidem. Porro ſatisfactio condigna pro peccatis damnatorum nunquam exhibebitur, quia ex inferno nulla eſt redemptio. Satispaſſio etiam æqualis, gravitati peccati mortalis nequaquam exhiberi poteſt, quantàcunque enim ſatispaſſione, quomodocunque intenſâ, & quantumcunque quo ad ſuam durationem protractâ & extenſâ adhuc major & major ſatispaſſio debebitur. cùm nulla poſſit ad eam æſtimabilitatem in ſuo ordine pertingere, quam habet offenſa mortalis, ut Deus offenſus dicere poſſit, Jam pro mea offenſa his pœnis mihi plenè ſatisfactum eſt. Jam jus meum ad iraſci exſtinctum, non amplius exigo ulteriores cõmiſſi peccati pœnas.

Æternitas hæc pſſinarum, quantùm augebit & aggra-

& aggravabit damnatorum pœnas & cruciatus, explicari non poteſt. Nunc in maximis ærumnis illud habetur ſolatii, quod hæ aliquando ſint terminandæ, quod mors ſaltem ſit ipſas terminatura. Quanta igitur è contrario damnatorum afflictio erit? quod ipſorum calamitates & miſeriæ finem nunquam ſint accepturæ. Illud infelices damnati, inter ſuos cruciatus ſibi lamentabiliter occinent. Perijt eheu! perijt finis meus! Ipſa mors damnatorum non erit terminus ærumnarum, quas patientur. Hæc enim ita depaſcet, ut ſemper morientes, moriantur nunquam, quærent tunc miſeri mortem & non invenient. Moleſtiſſima fuit Ezechieli Prophetæ, per trecentos nonaginta dies, in uno latere cubatio, moleſtiſſimum etiam alijs eſt, in molli culcitra longiori tempore decumbere. Quid putas quàm moleſtum erit tota æternitate excruciari, tota æternitate ſuper ignitos carbones ſuper duriſſimas ardentes & æſtuantes cubare crates.

His expenſis compara rigidiſſimam pœnitentiam per totam vitam continuatam, cum æternitate pænarum inferni, quàm levis hæc, & brevis, illius æternitatis comparatione eſſe debeat. & reflecte te ſupra tuam a b auſteriore vita & à ſtatu pœnitentiæ abhorrentiam, ad talemque te vitam magno animo reſolve. Reflecte te item ſupra momentaneas delectationes, vanitates &c. quam facilis fueris ad eas ſectandas, & cum infelici æternitate commutandas. Terreat te in poſterum infeliciſſima hæc æternitas; terreat æternum illud quod cruciat; dum te invitabit momentaneum quod delectat. Accendere etiam ardentiſſimo zelo, quærendi tot animas miſerè pereuntes, easq; ex inferni faucibus extrahendi.

Colloquium inſtitues ad Patrem æternum illo S. Franciſci Xaverij affectu. Æterne rerum omnium effector Deus, memento abs Te animas

infidelium

infidelium & peccatorum procreatas easque ad imaginem & similitudinem tuam conditas. Ecce Domine in opprobrium tuum his ipsis infernus repletur. Memento Jesum Filium tuum, pro illorum salute, atrocissimam subijse mortem. Noli quæso Domine ultra permittere, ut Filius tuus, ab infidelibus & peccatoribus contemnatur. Sed precibus Beatissimæ Virginis, Sanctorum omnium, & Ecclesiæ Sanctissimæ Filij tui sponsæ placatus, recordare misericordiæ tuæ, & oblitus impietatis eorum, eos ex faucibus inferni potenti manu tuâ extrahe, & effice; ut ipsi quoque te vivâ fide & vitâ Sanctè actâ, agnoscant aliquando, & quem misisti, Jesum Christum; per Eumque salvati & liberati, Te per totam æternitatem cum Sanctis tuis glorificent.

In fine Pater noster, Ave Maria.

Meditatio III.
De Regno Christi.

Præludium I. Imaginare Christum obeuntem Synagogas, Oppida & pagos Iudææ, Galiææ & Samariæ, & ubique prædicantem Evangelium & Regnum Dei.

Præludium II. Pete gratiam, ut Christum Regem tuum esse agnoscas ejusque jussa & sanctissimam voluntatem in omnibus exequaris.

Punctum I. Audi verba illa Psalmistæ in Persona Christi dicta Psal. 2 *Ego autem constitutus sum Rex, ab eo super Sion, Montem Sanctũ ejus &c.*

Considera 1mò Christum Dominum non solùm quatenus Deus est, sed etiam quatenus est Homo, Regem esse. Qatenus est Deus, Rex Christus est, quia est Dominus universorum, quia titulô creationis & conservationis, per quam singulis momentis omnes res creatas conservat, titulô etiam

etiam gubernationis, quâ gubernat universa, omnia subsunt ipsius imperio, & altissimæ ejus regiæ potestati. Quatenus etiam Christus est Homo, est Rex & Dominus, & Rex Omnium Creaturarum. Regia potestas & authoritas Christo Homini convenit propter unionem cum Personâ Divinâ. Est unctus Domini unctione Spiritûs S. est Rex constitutus super montem Sanctum Sion, data est ei potestas in Cælo & in terra. Pater æternus misit in terras unigenitum Filium suum accipere sibi regnũ & reverti.

Considera 2dò Christum, quòd futurus esset Rex, & Prophetæ prædicaverunt & Angelus Gabriel annuntiavit. Dabit ei Dominus, sedem David Patris ejus, & regnabit in Domô Jacob in æternum. Et Sancti tres Reges Christum ut Regem inquisiverunt, adoraverunt ùt Regem, datisque mur-ibus Regem recognoverunt. A populô insuper Israeliticô tanquam Rex est salutatus, tandemque ob hanc causam, quod Rex esset, ad mortem est condemnatus.

Considera 3tiò Christum Dominum omnibus regijs dotibus & præstantissimis virtutibus instructũ fuisse, ut pro Rege maximô, potentissimô, sapientissimô, &c. cui nullus par, vel similis esse possit, haberi debeat. Habes in Christô sapientiam majorem quàm Salomonis, fortitudinem tantam, ut & vectes ferreos confregerit, & portas æreas destruxerit, & mortem ac infernum, debellaverit. Habes liberalitatem & munificentiam in subditos majorem quàm Assveri, ipse tibi paravit mensam adversus eos qui tribulant te, ipse suô corpore te reficit, suô sangvine potat, infinitô meritorum suorum thesaurô ditat, & divitias Bonitatis, & gratiarum suarum in te effundit. Vis nosse quanta sit gloria & Majestas Regis hujus? Licet eam Christus dum inter mortales viveret, latere voluerit

rit; nihilominus eandem aliquomodo manifestavit in suâ gloriosâ transfiguratione. Si lilia Deus sic vestit, ut nec Salomon in omni gloriâ suâ possit illis comparari, quantò magis gloriæ, quæ ab intus fuit, Regis gloriæ Christi, à quâ idem Christus est Rex gloriæ, nulla terrenorum Regum gloria cõparari potest. Si etiam nosse desideras, quantus Regis Christi amor sit in subditos; hinc agnosce. Ipse alligat vulnera nostra, ipse illis pretioso Sangvinis sui balsamo medetur, ipse ut hominem de servitute dæmonis liberaret, dedit se in pretium & redemptionem; totum se expendit in nostros usus & commoda. Ad extremum Christus pro subditis suis animam suam posuit, quâ charitate majorem nemo habet.

Considera 4tò Christum Regem esse taliter, ut Regnum ipsius non sit de hoc mundo. Christus Rex est, non ad exigenda tributa, quia bonorum nostrorum non eget, quod si exigit aliquod tributum, non exigit aliud, nisi amorem sui & imitationem, ut illi cor tuum dones, ut ipsum ex toto corde ames. Christus item est Rex, non ad exercitum ferro armandum, & hostes visibiles, visibiliter debellandos, cùm occultâ suâ virtute id præstare possit, efficacissimè, sine visibilibus armis & ferro, idque fecerit in prostratis illis militibus, qui ad se comprehendendum venerant Sed ut dicit S. Augustinus: *Est Rex per hoc, quod mentes regat, quod in æternum consulat, quod in Regnum Cælorum credentes sperantes & amantes perducat,*

Considera 5tò Christum esse Regem super omnes Creaturas, esse Regem non solùm hominum, sed etiam Angelorum. Ipsi ministrant & ministrabant Angeli, ipsi etiam dæmones obtemperant, subijciuntur. In Nomine Jesu omne genu flectitur Cœlestium, terrestrium & infernorum. Sed maximè Christus sibi complacet in hoc titulo,

quod

quod sit Rex super Sion montem sanctum ejus, quod sit Rex super populum electum, super filios Regni. Christus item est Rex, ut homines eruat ex servitute diaboli. ut vocet eos in libertatem filiorum Dei. Est Rex Regum, & Dominus Dominantium, ipse enim suos subditos Reges facit, eosque constituit Principes super omnem terram, vult eos dominari suis affectibus, se ipsis, & totô mundô vult esse superiores. Maximus dishonor Christi esset, intèr suos subditos numerare servos & mancipia, habere serviles animas, cum ipsum servire Christo regnare sit.

Considera tandem 6tò, Christum Regem maxima præmia præparasse subditis sibi adhærentibus. His paratū est regnum cœlorum ante constitutionem Mundi. Ipse daturus est præmia maxima, præmia æterna, pro brevibus obsequijs, & exiguis meritis. Præmia hæc erunt, salus animæ & æterna subditorum suorum felicitas & beatitudo. Ipse Deus, Ipse Christus, futura est merces eorum, idque merces magna nimis.

Hæc Considerans, admirare stultitiam & cæcitatem hominum, quòd non adhæreant Regi huic amabilissimo, quod eū ex throno suo, hôc est ex Animâ, quæ Christi sedes, imò regnum est, quod ille sangvine suo acquisivit, eijciant, & in hoc regnô velint regnare, carnem, mundum & diabolum infensissimos Animæ, & ipsius Christi hostes.

Statue firmissimè adhæsurum te semper Regi tuo. Protestare, non agnoscere te alium Regem nisi Christum, velle te illi constantissimè servire. Postula, ut te erutum ex servitute diaboli, in servum perpetuum recipiat.

Punctum II. Audi illa verba Christi apud S. Matth. Cap. 10. *Non veni pacem mittere sed gladium.* Et considera Christum Regem totum in hoc esse, ut universos Mortales suô subijciat im-

periô, ut infideles & hæreticos, ad fidem veram, peccatores ad pœnitentiam adducat, & hostes generis humani debellet, ex eorumque potestate, si quos mortales captivos detinent, eruat, ac ipsos suæ felicitatis & regni Cohæredes faciat.

Ad hoc bellum hostibus generis humani inferendum, omnes adhærentes sibi subditos, Rex Christus invitat, & eos, arma sumere jubet, *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Illudque maximè cavet, nè cum hostibus nostris, carnè, mundô, & diabolô, pacem aliquando ineamus, ne ad tractatum faciendum descendamus, vel armistitium etiam ad breve tempus indulgeamus. Ad hoc inferendum bellum, omnes qui adhærere sibi voluerint, & te inter ipsos adhortatur, talique alloquitur oratione.

Fideles mei subditi, in animo mihi est, hocque meum est immutabile decretum & propositum, universas infidelium regiones, meæ ditioni subijcere, meos & vestros acerrimos hostes, carnem, mundum, & diabolum profligare, de ijsque triumphare bellum inferre perfidiæ, & omnibus vitijs. Ad hujusmodi bellum & armorum, societatem vos invito, ut mecùm pariter contra communem hostem Dei & hominum decertetis, ut infidelium regiones, meô subijciatis imperiô, totique sitis, in perfidiâ & vitijs debellandis, & liberandis peccatoribns ex servirtute peccati. Confidite, Ego vici mundum, & vos in hoc bellô feliciter triumphabitis. Hoc persvasum vobis esse volo. Quod in bellô, primus ego hostem sim aggressurus. Ipse in vobis & pro vobis decertabo, vires & robur, cui non poterunt resistere adversarij vestri, suppeditabo, totumque hostilem impetum ipse sustinebo. In perferendis injurijs, incommodis, ipse vobis præire volo. In persequendis hostibus nullis parcam laboribus, nullis sudoribus. Corpus meum in vulnera & dolores expono, vitam denique meam, & Sangvinem libentissimè

bentiſſimè profundo, pro veſtrâ incolumitate & ſalute. De annonâ, commeatû, & neceſſarijs belli impenſis, & ſumptibus, ne ſitis multum ſoliciti. Meum erit hæc providere. Præmium etiam fortitudinis veſtræ, certum vos manet, illudque mihi & vobis commune. De ſpolijs tantùm quiſque participabit, quàntùm impendet laboris. Illud quā maximè ab omnibus deſidero, ut me præeuntem ſequamini. Ununquemque veſtrum paratum eſſe, oportebit, non aliô uti victû, veſtitû, & armis, niſi quibus me utentem conſpexerit. Proinde victus cuique erit jejunium, inedia, opprobria, his enim ego ſaturabar. Potus, erunt amaritudines, fel, acetum, ſalus, & converſio animarum, lacrymæ pœnitentium. His ego ſitim meam reſtingvebam. Veſtitus erit, veſtis irriſoria, confuſio faciei, contumeliæ, contemptus. Hæc enim ſunt veſtis & inſignia mea, his etiam vos uti oportebit. Eſtque neceſſe, ut ad exemplum meum, talî cibô & potû reficiamini, & ut veſtibus ac inſignibus Regis veſtri induamini, meum & veſtrum hoſtem non aliter debellaturi.

Adhortatione hac Regis tui accendere, ad ei obſequendum, ad eum comitandum, & quàm perfectiſſimè imitandum, cum eôque contra communem hoſtem, ſtrenuè decertandum.

PUNCTUM III. Audi verba illa S. Petri: *Domine tecum paratus ſum & in carcerem & in mortem.* Et conſidera per illam Regis tui adhortationem, quam punctô præcedenti, mente perpendiſti, exigi à te tuum reſponſum, & ultimam tuæ voluntatis reſolutionem. Esne comitaturus Regem tuum, ad bellū, perfidiæ, vitijs, alijsque, hoſtibus in ferendum, eſne ſtrenuè contra ipſos decertaturus? Paratusne es, ut eô victû, veſtitu, armis, & inſignibus utaris, quibus uſus eſt Rex tuus Chriſtus, nimirum, esne paratus ad jejunia, inedias, amaritu-

nes, ad frigus, nuditatem, cæteraque incommoda, dolores, imò & ipsam mortem, amore Regis tui, & propter imitationem ejusdem, perferendam An exoptes indui vestibus & insignibus Domini tui, Jesu Christi? nimirum an exoptes contumelias, contemptus, irrisiones, variasque confusiones, & ut pro stultô habearis? Tandem an velis Regem tuum comitari indissolubiliter, eumque quàm perfectissimè imitari?

Certè si Rex quispiam terrenus, tali adhortatione, quam aure internâ audîsti, subditos suos ad bellum invitaret, cum talibus & tantis appromissionibus, omnes paratissimos se esse ostenderent. Et si quis se non offerret, sed detrectaret, cum eôdem Rege contra hostem progredi, is pro inerti & ignavo, nec satis sanæ mentis homine haberetur, sannisque & irrisionibus ab omnibus impeteretur. Hæc te labes manet, has cæli subsannationes experieris, nisi Regis tui Christi, justæ obsecundaveris petitioni.

Reflecte te, à quô tempore Rex tuus Christus te invitat ad bellum, vitijs & hostibus ejus inferendum, ad subjugandos infideles svavi jugo Christi, ad convertendos peccatores, ad Regem tuum per vitam sanctiorem & perfectiorem imitandum. Confundere quod suis adhortationibus, svasionibus & exemplis parùm, aut nihil, hactenus Rex Christus in te effecerit. Protestare quod Christum àb hinc sequi velis, illis S. Petri Apostoli verbis, *Domine tecum paratus sum etiam in carcerem & in mortem.* Illis item 2di Regum 15. *Vivit Dominus & vivit Dominus meus Rex, quoniam in quocunque loco fueris Rex, sive in morte, sive in vitâ, ibi erit servus tuus.*

Conclude affectû & protestatione, desumptâ ex Exercitiô S. Patris Ignatij de Regnô Christi. En ô Rex supreme, ac Domine Universorum, tuâ ego licèt

cèt indigniſſimus fretus tamen gratiâ & ope, me tibi penitus offero, meaque omnia, tuæ ſubijcio voluntati, atteſtans coram infinitâ bonitate Tuâ, nec non in conſpectû glorioſæ Virginis Matris Tuæ, totiuſque curiæ Cœleſtis, hunc eſſe animum meum, hoc deſiderium, hoc certiſſimum decretum, quòd quàm proximè velim te ſequi, & imitari in ferendis injurijs, & adverſis omnibus, cum verâ tum Spiritûs tum etiam rerum paupertate, ſi Sanctiſſimæ Majeſtati tuæ placuerit, me juxta ſtatûs mei rationem, ad hæc eligere & recipere. Quod velim tuis veſtibus, & inſignibus indui, bellum perfidiæ ac omnibus vitijs inferre, & contra tuos & Animæ meæ hoſtes ſtrenuè decertare.

In fine: *Suſcipe Domine univerſam libertatem*

DIEI. V.

Meditatio I.
De Incarnatione Filij Dei.

Præludium I. Imaginare tres Perſonas Sanctiſſimæ Trinitatis conſultare de modô, quô poſſit genus humanum per peccatum, Adæ perditum reparari. Et cum nollent illud aliter reparari, niſi dependenter à condignâ ſatisfactione Juſtitiæ Divinæ pro peccatis hominum exhibitæ, decernere ut Unigenitus Dei Filius Carnem humanam aſſumat, in eâque JuſtitiæDivinæ ſatisfaciat.

Præludium 2. Imaginare hoc conſilium & decretum Sanctiſſimæ Trinitatis, per Angelum Gabrielem in Domô Nazarethanâ annuntiari Beatiſſimæ Mariæ Virgini, ejuſque aſſenſum expeti, ut de ejus puriſſimô Sangvine, carnem huma-

nam Dei Flius assumat, in ejusque Sanctissimô utero concipiatur Salvator mundi Deus homo.

Præludium 3. Pete gratiam ut intimè cognoscas beneficium Incarnationis Filij Dei, & ex eô cognito inflammeris ad Deum ardentiùs amandum, illique studiosiùs serviendum,

Punctum I. Expende illa verba Joan. 3. *Sic DEVS dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Et considera, licèt homo creatus sit à Deo ad hunc finem; ut Dominum Deum suum laudet, revereatur, eique serviens tandem salvus fiat, per peccatum tamen Adæ, ac deinde per peccata sua personalia, ita ab hoc fine excidit, ut impossibilis illi fuerit dicti finis consecutio.

Nam neque illum consequi potuit manente suô peccatô, & reatu per peccatum contractô, ac indignatione Divinâ, quâ peccatori propter peccatum indignabatur Deus, perseverante. Hæc enim potius exigebant, ut peccatum, Justitia Divina pœnis inferni, & æternâ damnatione vindicaret. Neque etiam miser homo potuit se peccatô suô liberare, illudque tollere. Deberet enim illud tollere, per condignam satisfactionem pro peccatô, quæ & illi, & cuivis puræ creaturæ est impossibilis. Tantæ enim malitiæ & gravitatis est quodvis peccatum mortale; ut nulla pura creatura possit pro eô ad æqualitatem satisfacere Justitiæ Divinæ. Nihil ergo restabat, nisi ut post peccatum Adæ, in omnes ejus posteros, origine transfusum, & post alia peccata personalia hominum, totum genus humanum, peccati ejusdem & quorumvis personalium mortalium pœnas in infernô lueret æternas.

Infelicem hanc hominis sortem intuetur Deus, cujus natura Bonitas, & qui non vult mortem peccatoris, sed magìs ut convertatur, reparetur, & vivat. Ne perderet quos condidit, cogitat de remedio, de eoque afferendo consultant omnes,

Sanctissimæ

Sanctiſſimæ Trinitatis Divinæ Perſonæ, & cum unicus hic eſſet modus, exhibendæ Deo ab homine condignæ ſatisfactionis pro peccato mortali, ſi aliqua ex Divinis Perſonis naturam creatam rationalem aſſumeret, in eaque Juſtitiæ Divinæ ſatisfaceret; concluditur & decernitur, in eô Sanctiſſimæ Trinitatis conſiliô, ut Filius Dei unigenitus, carnem humanam aſſumat, in eâque ſe humiliet uſque ad mortem, eamque crudeliſſimam ſubeundo, ſatisfaciat pro peccatis generis humani, Juſtitiæ Divinæ.

Conſilium hoc, & decretum in tempore conſtitutô exequuntur, eædem Perſonæ Divinæ. Et imprimis Pater Æternus, ex amore quo genus humanum proſequitur, Unigenitum ſuum Filium, de quo poſtea ipſe teſtatus eſt: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene cõplacui*, mittit in mundum, ut carnem humanam aſſumat, ut in eâ humilietur, indignè tractetur ab hominibus, morte crudeliſſimâ occidatur, Sangvinem ſuum in Mundi pretium fundat, & Juſtitiæ Divinæ pro peccatis noſtris ſatisfaciat; *Sic DEUS dilexit mundum, ut Unigenitum ſuum daret.*

Admirare Divinæ Bonitatis & dilectionis, quâ mundum dilexit, magnitudinem, miſce gaudio lacrymas, ſuper tantô amoris Divini exceſſu. Et illud tecum perpende, Deus ita dilexit Mundum, ut Unigenitum ſuum daret, & tu quomodo hactenus dilexeris Deum? Quid Dei tui amore, & ad amorem tuum in Deum comprobandum, feceris? quid deinceps facies? Ille proprio Filio non pepercit, ſed pro te illum tradidit, fecit illum pro te immolari, & Tu non immolabis Deo illas creaturas, illos amicos, illas converſationes, commoditates, ſenſualitates, vanitates, quibus tantùm inordinatô tuô affectû adhæſiſti? Perpende & illud. Ut pro tuis peccatis, ſatisfieret Juſtitiæ Divinæ, neceſſe fuit

Filium Dei humiliari, contemni, crucifigi, crudelissimâ morte necari, & tu tantorum criminum reus, abhorrebis à tui humiliatione & contemptû, fugies crucem, nec carnem tuam spiritui rebellem, mortificabis, non vindicabis in te scelera tua, nec per pœnitentiam satisfacies Justitiæ Divinæ, adimplendo quæ desunt passionibus Christi?

Fac proposita materiæ accōmodata, variosque ex tanti beneficij æstimatione, elice affectus.

Punctum II. Audi verba illa Gabrielis Archangeli ad Mariam. *Ecce concipies & paries Filium, & vocabitur Altissimi Filius.*

Considera Secundam Personam Sanctissimæ Trinitatis Filium æternum, in negotiô reparationis hominis vel maximè operatam esse, ipsiusque amorem erga genus humanum singulariter in hoc elucere mysterio. Filius enim hic Unigenitus Patris Æterni, quando venit plenitudo temporis descendit in uterum Virginis. *Exultavit ut gigas ad currendam viam à summô cælô egressio ejus.* Miser homo nesciebat miseriam suam, non cogitabat se mortis æternæ reum esse, non agnoscebat, vel minus apprehendebat latam in se æternæ damnationis sententiam. In tantis is ludebat periculis, in bonis transitorijs ducebat dies suos, exultabat in rebus pessimis, & peccata peccatis accumulabat, majorem contra se provocans indignationem Divinam.

Videt hæc Altissimi Filius, ad terras properat, ruentem in perditionis baratrum, servulum detinet, è dæmonis eruit faucibus ac ejus debita adæquatô exsolvit pretiô. Rem hanc ita describit mellifluus Doctor S. Bernardus serm. 3 in Natali Domini. *Ludebam ego foris in platea, & in secreto regalis cubiculi super me ferebatur judicium mortis, audivit hoc Unigenitus DEI, exijt posito diademate, sacco indutus, aspersus cinere caput, nudus pedes, flens*

&

& ejulans, quod damnatus esset servulus suus. O admirabilem charitatem Filij Dei! dum intelligit ferri in hominem, mortis sententiam, exit posito Diademate, hoc est illâ gloriâ & Majestate, in qua fuit ab æternô, Patri per omnia coæqualis, quodammodo relictâ, & per humilitatem carnis nostræ obscuratâ, saccum induit mortalitatis nostræ, aspergit cinere caput, quia repræsentat personam peccatoris, & cum ipse peccatum non fecerit, in personâ & nomine omnium nostrûm, se Æterno Patri humiliat, atque Justitiæ Divinæ tanquam verus pœnitens, quæ non rapuit, exsolvit, & pro nostris peccatis condignam exhibet satisfactionem. Venit etiam nudus pedes, quia paupertatem divitijs, contemptum honori præelegit. Tandem venit flens & ejulans, Quia nostras miserias, nostros dolores, & infirmitates, non dedignatur, ut servum morte damnatum liberet.

Ex his consideratis, deduc practica dictamina, quæ insinuat idem S. Bernardus in memorato sermone. *Imò* seriò apprehendendam & magno animi sensû sentiendam esse infelicitatem, & pericula miseræ animæ, ex peccatô provenientia, quandoquidem Unigenitus Dei Filius tantam super his malis nostris exhibet compassionem. Pudet, è mente Bernardi, propriam negligenter dissimulare passionem, cui tantam à Majestate tantâ, exhiberi video compassionem. *2dò* Ex consideratione tam præstantis & excellentis remedij æstimandam esse peccati gravitatem, & periculi in quod nos conijcit, magnitudinem. Nesciebam, sanus mihi videbar, & ecce mittitur Virginis Filius, Unigenitus Dei Filius, & jubetur occidi, ut vulneribus meis pretiosô sangvinis sui balsamô medeatur. Agnosce ô homo, quàm gravia sint vulnera, pro quibus necesse est, Dominum Christum vulnerari, si non essent hæc ad mortem, & mortem, sempiternam,

nunquàm pro eorum remediô DEI Filius moreretur. *3tiò* Si Unigenitus DEI Filius peccata tua deflet, si ad avertendã mortis, in te latã sententiam, saccum mortalitatis nostræ induit, si aspersus cinere caput, nudus pedes, exit flens & ejulans, hoc est si per tantam exinanitionem, & humiliationem sui usque ad passionem, & mortem crudelissimam, satisfacit Justitiæ Divinæ, pro tuis delictis, tibi servulo, inter mala propria, & in maximis periculis constituto, non esse ludendum, non esse ridendum, sed per pœnitentiæ lamenta, deflendum esse infelicem statum animæ tuæ, & cum plorante DEI Filio plorandum.

Fac proposita dictaminibus conformia. Elice affectus gratitudinis, & profundissimæ gratiarum actionis Unigenito DEI Filio, quòd tui gratiâ non dedignatus est Virginis uterum, & unionem cum carne humanâ: pro tam præstanti & efficaci remediô, malis tuis allatô. Tandemque ad seriam pœnitentiam verbis ejusdem S. Bernardi te excita. Ergone ludam & deludam lacrymas ejus, si insanus sum & mentis inops, non sequar eum, nec simul cum lugente non lugebo.

PUNCTUM III. Audi illa verba Gabrielis Archangeli ad MARIAM VIRGINEM, *Spiritus S. superveniet in Te, & virtus Altissimi obumbrabit Tibi.* Et considera circa Incarnationis verbi Divini Mysterium, non solùm Patrem Æternum operatum esse, ex dilectione, quâ dilexit mundum, mittendo Unigenitum suum Filium; nec præterea ipsum nonnisi Filium Æternum operatum esse, assumendo carnem & infirmitatem nostram; sed insuper Spritus S. suâ operatione, ad tantum concurrit Mysterium, superveniendo in MARIAM.

Expende ulteriùs, in punctô præsenti, quid, & quæ egerit circa Incarnationem Filij DEI, Spiritus S. superveniens in MARIAM? Egit & quidem plurima,

plurima. Egit 1*mò* illud, quòd in Sanctissimâ Virgine MARIA dignum Filio DEI habitaculum præparaverit, eam ab omni non solùm culpæ actualis, & personalis, sed etiam originalis labe immunem præservando, gratiâ sanctificante amplissimâ, supra omnes puras creaturas intensiore, & excellentiore, alijsque donis infusis pariter intensis & excellentibus exornando: auxilijs item gratiæ actualis efficacis, & semper victricis, fortissimis & amplissimis muniendo & adjuvando. Egit Spiritus S. illud, in Sanctissima MARIA, quòd præcipuis quibusq; privilegijs nulli unquam Sanctorũ concessis, futurã DEI Matrem decoraverit, eamque locupletaverit meritis & virtutibus.

Egit 2*dò* Spiritus S. illud, quòd per missum ad eandem Sanctissimam Virginem Legatum Gabrielem Archangelum, tractatum illum toti mundo optatissimum, de Verbi Divini Incarnatione, cum eâdem Virgine perfecerit & concluserit, quòd Virgini Castissimæ inspiraverit, eamque efficaciter permoverit, ut hospitium in uterô suô, Filio DEI incarnando concederet, suum purissimum Sangvinem pro carne DEI hominis offerret, & in opus tanti mysterij consentiret, illudque humilitate suâ accelerarit.

3*tiò* tandem illud egit Divinissimus Spiritus; quòd ex purissimô Virginis sangvine, membra & corpus, quod Divinitas inhabitatura erat, efformaverit, quòd Sanctissimo huic corpusculo, animam, quæ illud animaret, infuderit, quod Naturam humanam Christi, ijs donis sive naturalibus, sive supernaturalibus, quæ digna essent Personâ Fili DEI, exornaverit, illaque copiosissimè contulerit, quòd per sacratissimam unionem hypostaticam Verbum Divinum, eidem Naturæ humanæ univerit, feceritque, ut purissima illa Virgo, MATER DEI diceretur & esset, imò esset non solùm DEI hominis MA-

TER

TER, ſed etiam MATER omnium noſtrûm, Regina mundi, & Domina omnium Creaturarum, Mediatrix inter peccatores & ſuum Filium, Cooperatrix noſtræ ſalutis, & perditi generis humani Reparatrix.

His conſideratis age gratias humillimas, ſingulis quidem Perſonis Divinis, pro Beneficiô Incarnationis, in hoc tamen punctô ſingulariſſimè age gratias Diviniſſimo Spiritui, pro tantô gratiarum & donorum, ſive Humanitati Filij DEI, ſive Matri ejus Sanctiſſimæ, ſive per horum merita toti generi humano collatorum, pro tantô inquam & tam copioſo ac ſuperabundanti theſaurô. Et ex eâdem conſideratione hæc erue dictamina 1*mò* Æſtimandam tibi eſſe tuam à jugô ſervitutis peccati liberationem, pro qua, ut fieret, tantùm actum eſt ab omnibus Sanctiſſimæ Trinitatis Perſonis. 2*dò* Summô ſtudiô curandum tibi eſſe, ut finem, ad quem creatus es, conſequaris, poſtquam non ſolùm reſtitutus es illi ſtatui, in quo eum conſequi potes, ſed inſuper tot habes media, & adjumenta ad eum faciliùs & abundantiùs conſequendum.

3*tiò* Poſt tantum remedium ad tui curationem allatum, nullam te coram DEO excuſationem habiturum, ſi à fine tuo excideris, ſi in peccata relapſus fueris, & propter hæc æternæ damnationis ſupplicium incurreris.

Fac Propoſitia, elice affectus &c.

Colloquium ad Beatiſſimam Virginem DEI Parentem. Cui ex intimo cordis affectû gratulaberis, quod in DEI MATREM, ex omnibus & præ omnibus electa ſit, tantis muneribus, & privilegijs decorata, quòd Mater & refugium peccatorum facta ſit. Supplica eidem humillime, ut te in ſuam protectionem recipiat, contra hoſtes animæ te potentiſſimè tueatur, poſtula item, ut virtute & efficaciâ meritorum Filij ſui, & ſuâ Sanctiſſimâ interceſſione, à tuis peccatis libereris, veram de illis pœ-

nitentiam

nitentiam agas, nunquam deinceps in ipsa relabaris, & tandem finem tuum, hoc est animæ tuæ salutem feliciter consequaris.

In fine Ave Maria.

Meditatio II.

De duobus Vexillis.

Præludium 1. Imaginare quòd consistas inter duos contrarios exercitus ad conflictum paratos, quòd oculis spectes Duces horum Exercituum, conscribentes militem & sub signa, quos possunt, vocantes, quòd audias personari classica, quòd fulgore armorum feriantur tui oculi.

Præludium 2. Pete à Deô gratiam, ut relictis castris illius Ducis, à quô non aliud stipendium sperare potes, nisi mortem & damnationem æternam, illum Ducem præeligas, qui certantibus reposuit Coronam Justitiæ.

Punctum I. Audi verbâ illa Job. 41. de Luciperô dicta, *Ipse est Rex super omnes Filios superbiæ.* Hæc audiens, intuere in campô Babylonico, Luciperũ vultu terribilem, in cathedrâ igneâ & fumosâ sedentem, hominesque ad sua castra invitantem, & ad ea per suos ministros deducentem, & quo alacriùs eum sequantur, promittentem honores, voluptates, divitias, permittentem omnes licentias, atque his ipsis tanquam catenis constrictos mortales ad se trahentem.

Circa quod ipsum ulteriùs expende sequentia.

1*mò* Ducis pestilentissimi majestatem & proprietates. Est figurâ & vultu terribilis, quia ut describit Illum Job. Cap. citato. *De ore ejus lampades procedunt, tanquam tedæ accensæ, de naribus*

bus ejus procedit fumus sicut ollæ succensæ & ferventis. Est terribilis, quia totus est, ut noceat, ut omnes secum in perniciem trahat. Quia tantæ potestatis & fortitudinis est; ut non sit potestas super terram, quæ comparetur ei, qui factus est, ut nullum timeat. Est terribilis, quia per peccatum amisit omnem gratiam, quæ sola illum verè amabilem reddere potuit. Quia per peccatum turpissimè est deformatus. Sedet in cathedrâ igneâ, ignem enim spirat. Omnes ejus suggestiones, sunt ille halitus, qui prunas (hoc est homines talibus tentationibus succumbentes) ardere facit ignibus suarum concupiscentiarum. Tentationes ejus sunt flamma, de ore ejus egrediens, inflam mans eos, qui hanc flammam protinus non excutiunt nec extingvunt. Sedet in cathedrâ igneâ, quia ignis æternus ipsi & Angelis ejus est præparatus; hicque ignis ubique illum comitatur, ubique cruciat, hic ignis thronus & sedes, imò & domus ipsius est. Sedet in cathedrâ igneâ, quia in sequacium suorum cordibus, ignes & flammas iracundiæ, libidinis, Avaritiæ, &c. perpetuò suscitat.

Sedet in cathedrâ fumosâ, quia est Princeps tenebrarum, Quia quæ promittit sibi adhærentibus, vana sunt, & sicut fumus evanescunt & deficiunt. Admirare cæcitatem hominum, quòd pestilentem hunc Ducem tam multi sequantur, nec ab eô sequendô, tali ejus majestate deterreantur.

Expende 2dò Qui & quales sunt ministri hujus Ducis. Ministri ipsius sunt inprimis alij dæmones, æquè studio nocendi animabus flagrantes, atque Dux ipsorum. Ministri hi, sunt infensissimi animæ hostes, sunt Leones rugientes, qui continuò circumeunt, & quærunt ut aliquem devorent, sunt canes per suas tentationes, & suggestiones pravas semper latrantes & solicitantes, qui tamen mordere non possunt nisi volentem; sunt Lupi mactan-

tes & lacerantes, sunt Angeli colaphizantes, sunt Angeli mali transfigurantes se in Angelos lucis. Sunt lictores immanissimi, catenis, hoc est, nostris ipsis cupiditatibus nosmet vincientes, & vinctos in perniciem trahentes.

Ministri praeterea pestilentis huius Ducis sunt homines mali, sive exemplô suô malô corrumpentes alios, sive consilio aut alienæ virtutis persecutione, irrisione, sugillatione, à virtute deterrentes, & bonorum propositorum executione ac legum, sive Divinarum, sive humanarum observatione retrahentes. Tales omnes ministri, pestilentissimo illi Duci sunt gratissimi, sunt instrumenta Luciperi, per quæ ille plus subinde lucratur, quàm per ipsos Dæmones.

Expende 3*tiò* & Considera quinam huic Duci adhæreant? ejusque castra sequantur. Sequuntur maximè filij superbiæ. Unde etiam Dux ipse dicitur esse Rex super omnes filios superbiæ. Sequuntur quidem castra Luciperi etiam alij, nimirum avari, gulosi, luxuriosi, invidi, iracundi, acediosi, sed maximè Ducem hunc sequuntur filij superbiæ, hoc est homines superbi, elati, de se multùm præsumentes, sui honoris æstimatores, sectatores vanitatis, ambitiosi &c. Quia tales milites in suis castris plurimos Dux ille numerat. Et licèt plures ipsorum, alia vitia ad hæc castra traxerint, in eis tamen tenet eos superbia, dum suos errores damnare & corrigere nolunt, dum se non humiliant sub potenti manu Dei, nec humili confessione suorum peccatorum, excutiunt jugum superbi illius Ducis. Aut etiam omnes peccatores ex eo sunt filij superbiæ, quia sunt filij ex Patre diabolô, qui ab initiô superbus fuit, progeniti.

Expende 4*tò* Quas leges statuat suis asseclis Dux ille impius, quos militares articulos? Hæc unica ipsius lex est, ut qui sub castris illius militant, sinè

ſine Deo & ſine lege vivant, ut in omnibus ſuas cupiditates expleant, ut ſuorum appetituum & inclinationum ſenſualium ſive paſſionum ſint ſervi, mancipia, ut tanquam muta animantia in his, quæ naturaliter norunt, corrumpantur, tandemque ut his qui ſua caſtra ſequuntur, nulla ſit fides pietaſque; O Legem immaniſſimam.

Expende 5tò Adverſùs quem hoſtem, exercitus tam numeroſus à malitioſiſſimô hoc Duce colligitur? Et noveris non contra hoſtem, ſed contra Deum, legitimū Principē & Dominū, contra Creatorem, Patrem & munificentiſſimum Benefactorem, totum hunc exercitum congregari. Non alia mens eſt iniquiſſimi Ducis, niſi Deo bellum inferre, eum impugnare, laudem ipſi eripere & gloriam ejus tollere. Hoc propoſitum & immutabile decretum Ducis improbi eſt, Deum ex ſuô ſoliô, hoc eſt ex cordibus & animabus hominum, in quibus tanquā in ſuâ ſede per gratiam reſidet, exturbare. Movet præterea ſua caſtra idem Dux, contra juſtitiæ & virtutis amatores, ad expugnandam virtutem, eam è cordibus mortalium penitus eijciendam, ut ſervituti Ducis hujus, totum hominum genus ſubijciatur & in æternam trahatur perditionem.

Expende 6tò Quæ præmia quæ ſtipendia Dux iſte daturus ſit ſuis Militibus? Non alia ſtipendia ſolvit ille, niſi ipſa peccata, cupiditatum expletiones, vanitates, voluptates momentaneas &c. Hæc autem ipſa conſequitur aliud ſtipendium, illud nimirum, cuius meminit Apoſtolus, *Stipendiū peccati mors.* Mors inquam Animæ, non ſolùm per amiſſionem gratiæ Sanctificantis, ſed etiam mors ſecunda per amiſſionem vitæ æternæ.

His expenſis, Reflecte te, An & tu ſub ſignis hujus Ducis non merueris ſtependia, vel etiam nunc non merearis? An Dux ille ex cathedrâ ſuâ igneâ & fumoſâ non ſuſcitet in te cupiditatum tuarum ignes,

ignes, an tibi non propinet vanitatum fumos? Reflecte te 2*dò* An hujus pestilentis ducis non fueris aliquando minister, & instrumentum, sive pravô exemplô corrumpendo alios, sive perversis pseudopoliticis principiis, consiliô & suasione inducendo in legum Divinarum, vel humanarū transgressionem, sive virtutis alienæ sugillatione & per strictione, à virtute, bonis operibus, & perfectione deterrendo. Reflecte te 3*tiò* An non sis filius superbiæ, an non sentias aliam legem in membris tuis, repugnantem legi mentis tuæ, captivantem te in lege peccati. Tandem te reflecte quæ stipendia ab hoc duce acceperis, an non sensualitates, voluptates prohibitas, an non vanitates & commoda studiosiùs à te quæsita? An mors animæ, amissio gratiæ, non fuerint stipendium tuum?

Confundere coram DEO. Fac proposita: Ejura & detestare castra & signa Dæmonis. Postula ut DEUS, te, potenti manû suâ eruat, ex servîtute Diaboli; & ad Christi castra transferat.

PUNCTUM II. Audi illa verba Patris æterni de Christo, Isaiæ 55. *Ecce testem populi dedi eum Ducem ac præceptorem gentibus.* Et imaginare, Christum tanquam Ducem summè amabilem, in loco humili constitutum, in amplô & amænô juxta Hierosolymam, Campo, sua signa explicare, & sub ea omnes invitare Mortales: expedire etiam suos ministros, ut omnes homines, ad se congregent & sub sua convocent signa.

Expende iterum 1*mò* Qualitates Ducis Christi. Dux iste est Rex regum, & Dominus Dominantium, cui omni titulo famulari, & sub ejus signis militare obligaris. Est Dux amabilissimus, quia speciosus formâ, præ filijs hominum, quia omnis figura ejus, amorem spirat, quia non suum bonum & emolumentum, sed nostrum bonum quærit. Quia non vult mortem cujusquam, sed ut, omnes

vitam habeant, & abundantiùs habeant. Quia hic ipse Dux, vulnera nostra alligat & sanat, ipse Pharmaca propinat, ipse transit benefaciendo & sanando omnes. Est Dux amabilissimus, quia omnia providet suis militibus, vires & robur suppeditat, ùt vincant & triumphent, Explicat signa sua, in loco humili constitutus, quia & consiliis à se datis & propriô exemplô humiltatem suos milites docet, Docet ab hoc inchoandum esse, in illâ, toto vitæ tempore consistendum, nec aliter Ducem superbiæ nisi humilitate debellandum. Explicat signa sua in campo: nimirum infirmitati nostræ condescendendo, planâ & facili virtutis viâ, accedentes milites ducit, ùt postea ad sublimiorem perfectionem, & sanctitatis eluctentur fastigium. Explicat sua signa, in amplo campo, per quod ostendit, eos qui Christi Ducis signa sequuntur, amplissimum habere campum exercendæ virtutis, faciendi in viâ perfectionis, progressus, habere item omnem commoditatem debellandi hostis, metendi palmas, laurus, & triumphales coronas, atq; fructū centuplum colligendi. Explicat sua signa, in amænô, juxta Hierosolymam, campô, quia illis, qui Christum sequuntur, amæna sunt omnia, consolationibus abundant, & casta, eâq; verâ fruuntur voluptate. Consistunt tales, juxta Hierosolymam quæ, visionem pacis significat. Quia hi, pacem cum DEO colunt & custodiunt, de illâque, ex conscientiæ suæ testimoniô, sunt securi, imò eam quodammodo intuentur & vident. Et exinde serenitate animi, & magnâ, conscientiæ, fruuntur tranquillitate. Signa quæ Christus explicat, sunt crux, flagella, spinæ, omniaq; Passionis Christi instrumenta, quæ licet aspera videantur, consolationibus tamen cælestibus, quibus condiuntur, redduntur, suavia & amæna.

Expende 2dò Quos & Quales ministros habeat

beat Dux iste Sanctissimus, per quos, sub sua signa milites convocat. Ministri ejus sunt Sancti Angeli, quibus, de unoquoque nostrûm mandatum est, ùt eum custodiant in omnibus vijs suis. Hi, sub signa Ducis hujus invictissimi vocant nos, per internos instinctus, excitando unumquemq; ùt Christo serviat, ùt sub ejus signis militet, & stipendia mereatur. Ministri Ducis hujus sunt præterea Sancti Apostoli, Prædicatores Evangelij, omnesq: alii circa salutem proximorum laborantes, qui non solum verbô & doctrinâ, erudiunt multos ad justitiam, & viam DEI, in veritate docent, sed etiam bonô exemplô provocant alios, ùt glorificent Patrem, qui in cælis est

Expende 3tiò. Quinam, Duci huic adhæreant & castra ejus sequantur? Adhærent Christo, qui non adhærent nec acquiescunt carni & sanguini, qui exuunt omnem sæculi affectum, qui Diabolo & operibus ejus renuntiant, qui abnegant semetipsos, crucem Christi tollunt, carnem suam cum concupiscentijs crucifigunt, & Christi mortificationem, in suo corpore, semper portant. Ducem hunc cælestem sequuntur, qui armis ab ipsô ministratis utuntur, ad debellandum hostem, qui induuntur loricâ justitiæ, sumunt scutum fidei, assumunt galeam salutis, pugnantq; in gladio spiritûs, qui Christi vestibus & insignibus, pro ejus amore & reverentiâ utuntur, optantq; contumelias, falsa testimonia & injurias pati, ac stulti haberi & reputari.

Expende 4tò. Quas leges Christus, suis militibus statuat? Leges militum Christi, sunt per omnia contrariæ legibus Ducis infernalis. Leges militum Christi sunt: *si vis ad vitam ingredi, serva mandata: si vis perfectus esse, vade & vende omnia, & sequere me.* Lex militũ Christi est, quàm perfectissimè imitari Ducem suum, ùt quemadmodũ ille

fecit, ita & milites ejus faciant. Lex militum Chriſti eſt: Ducis ſui inſignibus indui, abnegare ſeipſum, crucem ſuam tollere, & conſilia Evangelica implere.

Expende 5*tò*. Contra quem hoſtem Dux Chriſtus colligit ſuum exercitum? Hoſtes hi ſunt concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, ſuperbia vitæ, ſeu caro, mundus, & Diabolus, hi hoſtes contra quos, militibus Chriſti pugnandum eſt, ſunt quæcunque vitia, pravæque noſtræ inclinationes, Paſſiones, & habitus. Contra hos hoſtes, die ac nocte decertandum eſt: victoriæ de his hoſtibus reportandæ: dummodo aggredi eos, & ſtrenuè contra ipſos pugnare velimus, ſpem nobis facit Dux noſter, ſuôq; animat exemplô: Confidite, ego vici mundum.

Expende 6*tò*. Quæ præmia, quæ ſtipendia, Dux Chriſtus daturus ſit ſuis militibus? Et ab ore ipſius diſce: *Non quemadmodum mundus dat, ego do vobis.* nimirùm longè diverſa eſſe ſtipendia Ducis Chriſti, & Ducis Babylonici. Dux Babylonicus, in ſtipendium dat voluptates momentaneas, Chriſtus, æterna gaudia: ille, tranſitorias divitias, Chriſtus theſauros indeficientes in cælis, ille honores mundi, & gloriam tranſeuntem: Chriſtus, gloriam cæleſtem, & honorem illum, quô, nimis honorati ſunt amici tui DEUS: ſtipendium & merces militum, Duci Babylonico adhærentium, ſunt bona extrinſeca, ſenſualia, temporanea: ſtipendium militum Chriſti, eſt gratia Divina ſanctificans, & dona DEI ſupernaturalia, gaudium, pax, conſcientiæ tranquillitas exſuperans omnem ſenſum, conſolationes internæ & ſpirituales, viſio DEI perpetua & amor ejus Beatificus. Stipendium, quòd ſuis ſolvit Luciper, eſt mors, perditio & damnatio æterna. Stipendium, quod Chriſtus ſolvit, eſt vita, ſalus, & æternum in cœlis præmium.

His

His expensis, iterum tecum dispice an sis Christi miles. Decurre singula quæ expendisti & facilè advertes an ad signa & castra hujus Imperatoris pertineas.

Elice affectus, forma proposita, pete à Christo, ut te inter suos milites connumeret.

PUNCTUM III Audi illa verba Eliæ Prophetæ 3tij Regum 18. *si Dominus est DEUS, sequimini eum, si autem Baal, sequimini eum*, Et considera ex his duobus Ducibus quorum unus est Christus alter Luciper, alterutrum omninò cuivis adeoquè & tibi eligendum & uni ipsorum adhærendum esse. Nequè enim fieri potest, ut quis utrumq; hunc Ducem sequatur, cum hi duces sibi sint per omnia contrarii, unus incessanter oppugnet alium, eiq; omni conatu & viribus adversetur. Non potest etiam fieri, ut quis sit neutrarum partium, & neutri ex his ducibus adhæreat, siquidem Veritas dicit. *Qui non est mecum, contra me est.* Et S. Augustinus expressè affirmat: *Aut cum Christo, aut cum Diabolo nos esse oportet, non est locus medius.*

Quisnam vero ex his ducibus eligi debeat, ex adductis Prophetæ verbis, facilè intelligi potest. Nimirum illi duci adhærendum est, & sub ejus signis militandum, qui DEUS Tuus est. *Si Dominus est DEUS, sequimini illum.* Tum quia si Dux ille, quem secutus fueris, DEUS est, eô ipsô Bonitas imo fons omnis boni, adeoque summè amabilis, & per consequens summè dignus est, ut illi adhæreas. tum quia si Dux tuus DEUS erit, eô ipsô est sibi sufficientissimus, bonorumq; tuorum non indiget, adeoquè si vult ut eum sequaris, in hoc ipsô non suum sed tuum bonum quærit & intendit. Tum quia si Dux tuus DEUS est, bellum quod hostibus ejus inferes justissimum erit, victoria indubitata, præmium certissimum & merces superabundans. Cum ergo Dux Christus

DEUS ſit: DEI Filius, DEUS verus de DEO verò, Dux verò Babylonicus ſit creatura, eaq; ratione peccati, & odij, quô DEUS ipſam, & viciſſim illa DEUM proſequitur, ac etiam ratione ſuæ æternæ damnationis viliſſima & infeliciſſima, clarum eſt Chriſtum in Ducem tibi & omnibus eligendum eſſe.

Sed forte dices per hoc ipſum, quòd Chriſtianus ſis, pridem te Chriſtum in Ducem elegiſſe. Utinam verô ita ſit, ſed hoc adhuc neceſſarium eſt, ut Chriſtum non à longè ſolum ſequaris, ſed ut illi adhæreas, ut illum aſſequaris, quid enim prodeſt Chriſtum ſequi, ſi non contingat conſequi, neceſſarium eſt ut non ſolum profeſſione, quia Chriſtianus es, ſed etiam re ipſâ, Chriſtum ſequaris. Multi ſiquidem etiam Chriſtiani ad peſtilentem Ducem pertinent, qui nomen habent quod vivant & mortui ſunt, qui ore & fide confitentur DEUM & Chriſtum, factis autem negant, neceſſarium autem eſt, ut ſi etiam re ipſâ ſecutus fueris caſtra Ducis Chriſti, ut conſtanter hæc ſequaris, ne illa per peccatum aliquando deſeras, & ne ad hoſtiles partes te transferas.

Fac reflexiones quæ ex præſenti conſideratione erui poſſunt, proteſtare quòd velis militare ſub Chriſti ſignis, Duciq; huic ſanctiſſimo adhærere, & nunquam ab eo avelli.

In Colloquio pete ſuppliciter à Patre æternô ut ille te potenti ſuâ virtute & gratiâ, trahat ad Chriſtum, ad quem nemo poteſt venire, niſi Pater æternus traxerit illum, nemo eidem poteſt firmiter adhærere, niſi ipſe tenuerit eum.

Pete etiam à Chriſto, ut ille te ad ſe atractum ſuſcipiat in ſuum militem, inferno terribilem efformet, nec te unquam ſeparari à ſe permittat.

In fine, Anima Chriſti

Meditatio III.
De tribus hominum Claſſibus.

Prældium I. Imaginare à diverſis Chriſto Domino proponi illam quæſtionem: *Magiſter quid faciendo vitam æternam poſſidebo.* Proponitur à Legisperito Lucæ 10. Quæſtioni quæſtionem opponit Chriſtus: *Quid in lege ſcriptum eſt* & ſolis diverſis interrogationibus, res tota abſolvitur, nec quidquam præterea egiſſe Legisperitus ſcribitur.

Proponit deinde eandēm quæſtionem dives aliquis Princeps Lucæ 18. cui cum Chriſtus reſpondiſſet, ut non contentus obſervatione mandatorum, venderet omnia, daret pauperibus, & Chriſtum ſequeretur, audiens hæc idem Princeps cum non ad ſuum votū eſſent, contriſtatus receſſit.

Prældium II. Pete à DEO gratiam quâ à DEO illumineris: quomodo in negotiô ſalutis & perfectionis tuæ, te gerere debeas.

PUNCTUM I. Audi illa verba Proverb: 21. *Deſideria occidunt pigrum, noluerunt enim, quidquam manus ejus operari: totâ die concupiſcit & deſiderat.* Et conſidera, his Scripturæ verbis deſcriptos eſſe illos homines, qui in diviſione hominum, de ſuâ ſalute, aliquomodo cogitantium, in tres hominum claſſes à S. IGNATIO factas, ad primam hominum claſſem ſpectant. Hanc, dictus ſanctus Pater, in ſuô exercitiô de his claſſibus, alijs verbis, ſed ſenſu eodem, ſic deſcribit. 1*ma* claſſis optat quidem acquiſitæ rei exuere affectum, ut conciliari DEO poſſit; ſed media & adminicula, totô vitæ tempore non admovet.

Claſſis hæc optat acquiſitæ rei exuere affectum, optat conciliari DEO. En deſideria! idque bona & pia deſideria: quia, ad ſalutis negotium ſpectantia. Quia verò, non admovet media & ad

 minicula

minicula, habes hominem pigrum :cujus manus nolunt operari quidquam. De pigro dicitur: vult & non vult piger. Tales homines sunt ad primam classem spectantes: illi pariter unum idemque volunt & nolunt. Volunt : quia optant exuere affectum ad res creatas : quia optant conciliari DEO. Nolunt : quia manus eorum nolunt operari quidquam: quia media & adminicula non admovent, sine quibus, finis non obtinetur : & quæ nolle adhibere, est nolle ipsum finem consequi.

Hujusmodi desideria inefficacia occidunt hominem pigrum, ipsosq; homines ad primam classem spectantes perdunt. Dum enim negligunt media salutis, non consequuntur salutem, Tales non habent excusationem in peccatis suis. sed sicut illis Philosophis, qui, cum cognovissent DEUM, non sicut DEUM glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, cognitio ipsa DEI, ita sterilis & infructuosa, fuit in majorem condemnationem, ita eos, qui in desiderijs suis, circa res salutis & perfectionis evanescunt, nec illa exequuntur, aut media adhibent, hæc ipsa desideria condemnabunt & occident.

Hujusmodi homines, sunt infirmi illi, qui ita appetunt sanitatem, ut respuant omnes medicinas, quibus, si non utantur, nullâ ratione sanari possunt. Sunt saucij, qui membri corrupti & pestilentis, suum virus, in corpus reliquum diffundentis abscissionem nullatenus pati volunt, cùm tamen curari exoptent. Sunt naufragantes, qui ita ex naufragio enatare volunt, ùt tabulam, sibi oblatam, qua salventur, nunquam arripiant & sic infeliciter pereant.

Illud vel maximè dolendum, quòd totâ vitâ non adhibeant media : quòd totâ die concupiscant & desiderent, & interim nihil manus eorum, operentur. Differunt executionem suorum desideriorum

fideriorum, propofitorum, differunt pœnitentiam & fructuofum circa falutem laborem, ad horam 11. diei, hoc eft ad finem vitæ: fed quia noluerunt qui-quam operari, cum, per bona defideria excitarentur à DEO, in pœnam talis procraftinationis, DEUS permittit, ùt de die in diem, executionem defideriorum differendo, in finali impœnitentiâ moriantur, adeoq; quòd talia defideria ipfos occidant.

Fac reflexionem fupra tua propofita, quæ fæpiùs elicis, five in Sacramento pœnitentiæ, five dum accedis ad Sacramentum Euchariftiæ, five in examinibus confcientiæ tuæ, in meditationibus rerum cæleftium alijfque occafionibus: An hæc exequaris: an de exequendis feriò cogites: an media & adminicula abhibeas? An poft repetita toties, hujufmodi propofita, vitam tuam corrigas: an non immeditate ftatim in eofdem relabaris defectus? Vide ne hæc propofita ita inefficacia & inutilia, te mergant in interitum & perditionem.

Excute aliquando, ô! Anima mea noxium hunc torporem. Manum operi admove & ùt defideria ac bona propofita tua, quâm primùm exequaris, toto conatu allabora. Adhibe induftrias, adverte, quid maximè impediat, propofitorum tuorum executionem: atq; hæc impedimenta amove, vince humanos refpectus, vince vanos metus, vince difficultates. Adverte etiam quæ te media, maximè juvare poffunt ad exequendum, quod proponis & defideras; & quæ opportuniora ac efficaciora videbuntur, illa affume, ac teipfum urge, ùt incipias: urge cùm inceperis, urge iterum ùt cœpta perficias, nec à labore circa falutem & perfectionem tuam, unquam defiftas.

Supplica Divinæ Omnipotentiæ, ut non quomodocunq; tua propofita & defideria confirmet, fed ut efficiat, quatenus illa opere compleas; & ut invictâ ac infuperabili virtute gratiæ fuæ, tuam,

quantumvis rebellem voluntatem, compellat, ad exequendum suæ voluntatis beneplacitum.

PUNCTUM II. Audi illa verba Marci 10. *Accedunt ad JESUM Jacobus & Joannes, filij Zebedæi dicentes: Magister volumus ut quodcunq; petierimus, facias nobis.* Et considera, hos duos Apostolos taliter Christum alloquentes, esse secundæ classis hominum, quam sic describit S. Pater IGNATIUS. Secunda (intellige hominum classis) affectum malè ordinatum auferre cupit, sed rem ita mordicùs tenere, ac DEUM potiùs trahere ad votum proprium, quàm relictô impedimentô, per conducibiliorem statum, ad illum tendere.

Fac comparationem cum illis duobus discipulis, hominum secundæ classis. Accedunt illi ad JESUM, hi affectum malè ordinatum auferre cupiunt, quòd desiderium, est quidam motus & accessus ad DEUM. Dicunt illi: volumus ut facias, hi rem mordicùs tenent: utrique non contenti solis desiderijs, voluntatem efficacèm habere & ad media adhibenda progredi videntur. Illi volunt, ùt quodcunq; petierint, DEUS homo Christus ipsis faciat: hi pariter volunt trahere DEUM ad vota sua, hoc est, ùt DEUS faciat, quòd ipsi volunt. In particulari, duo illi Discipuli Jacobus & Joannes petebant, ùt sederent in gloriâ & Regnô Christi, unus ad dexteram, alter ad sinistram, de laboribus verò, de cruce ferenda, de bibendo calice passionis, ne cogitabant quidem. Etiam hi, nimirum, qui, ad secundam hominum classem spectant, in votis habent, ùt per honores, gloriam, bonam famam, æstimationem, munia & functiones honorificas, ac per omnes commoditates ducantur, ùt in ulteriori vitâ suâ tanquam in monte Thabor gloriosè transfigurentur & ad hæc vota sua, DEUM trahere volunt. Non cogitant verò, quòd, hæc sint impedimenta, ne ad DEUM perveniant,

quòd

quòd, conducibilior modus perveniendi ad DEUM ſit contentū eſſe his, quæ de ipſis DEUS ſtatuerit, & plenè ſe relinquere voluntati & diſpoſitioni Divinæ.

Diſcipuli illi duo reprehenſionem Chriſti, aliorū verò Apoſtolorū indignationē promeriti ſunt. Hæc merentur & illi, qui in electione mediorum, per quæ ad DEUM perveniant, DEUM ad ſua vota trahere & inclinare conantur. Certè magna fatuitas & dementia eſt, primæ & infallibili regulæ, voluntati Divinæ ſtatuere, pro regula arbitrium & voluntatem creatam, cui illa, ſe conformare debeat: ſupremo Legislatori legem ferre, quam ſequatur: velle ut Dominus univerſorum dependeat à placitô & nutû viliſſimi ſui ſervuli & mancipij: Regi ſæculorum præſcribere modum, quo mundum, & te gubernet, coronam illi detrahere: & de thronô ſuô ipſum deturbare velle: Increatam docere ſapientiam, quid illa facere, & per quæ media, te ad finem tuum ultimum, & ad ſe perducere debeat. Non toleranda indignitas eſt, quôd pulvis & atomus intumeſcat, & in montem excreſcere velit, quòd lutum & figmentum contra fictorem ſuum expoſtulet, ùt ex ſe, vas non in contumeliam ſed in honorem efformet, quòd vile lignum, ſcipionem manibus nobiliſſimis geſtandum, ex ſe, elaborari potiùs quàm titionem exambiat. Dum DEUM, ad vota tua trahis, tanquam inſanus & mentis inops puer, cultrum petis, quo te ſaucies: tanquàm naufragus, ferrum vel molarem lapidem poſtulas, non út enates, ſed ùt mergaris faciliùs, tanquàm æger phreneticus, non medicinam, ſed venenum appetis, quô te conficias: tanquàm viator viæ ignarus, Ducē cæcum, quia cæcā tuā voluntatem eligis, quæ tibi, nonniſi eſt futura dux in præceps.

Hæc conſiderans reflecte te, an non ſis ex hac hominum claſſe: an non trahis ad vota tua

DEUM? An ut ad DEUM pervenias non eligis media, quæ tibi magis placent, quæ magis arrident sensualitati & inclinationi tuæ, atque amori proprio? An non dicis cum Petro: *Domine jube me venire ad te super aquas*: an, dimissâ naviculâ quâ securè potes ad Christum & felicem portum pervenire, non vis ambulare super aquas? hoc est, an omissâ viâ asperâ, saxosâ, non eligis viam mollem & facilem: ideoq; mari & aquis te committis, non attendens firma & fixa vestigia, te, in hoc elementô in tali viâ, in tali statû figere non posse, nec priùs te ambulare super aquas, quàm incipias mergi, & fluctibus absorberi.

Expressiùs loquendo reflecte te, si necdum in certô vitæ statû, es constitutus, an non velles ad eum te vocari, ad quem te vitia tua ducunt, ad quem inclinant rationes humanæ, respectus vani, amor proprius sensualis. An ad talia vota non velis DEUM trahere. Quòd si jam, in determinato, vitæ statù es constitutus, quisquis demum ille est, cogita quid in tali tuô statû quæras? quid intendas? Quæ vota, quæ desideria tua? fortassis velles, ut DEUS te ducat viâ rosis consitâ, viâ molli & facili, per honores, per ministeria honorifica, per plausus, magnum nomen, bonam famam, æstimationem talentorum, per pretium & amorē tui apud omnes, valetudinē firmā & integrā, commoditates sensuales, opes, divitias & similia.

Erubesce tantam tuam imperfectionem. Detestare & corrigere stude defectus, quos advertes: protestare, quòd optes & desideres, ùt deinceps non tua, sed DEI voluntas fiat, ùt cum DEO, ita tibi sit unum velle & nolle, ùt tua voluntas, Divinam semper sequatur, illiq; tanquam suæ Regulæ, in omnibus conformetur.

Punctum III. Audi illa verba Apostoli 1. Corinth. 10. *Sive manducatis, sive bibitis sive aliud quid faci-*

tis

tis, omnia in gloriam DEI facite. Et conſidera, eos, qui juxta hanc Apoſtoli doctrinam, in omnibus ſuis actionibus, gloriam DEI quærunt, & intendunt, in tertiâ hominum claſſe conſtitui, quam ſic explicat S. Pater JGNATIUS. Tertia claſſis affectum inſincerum volens abijcere, rem ipſam vel tollere vel tenere, æquè parata eſt, prout ad Divinum cultum commodiùs fore, vel ex Divinô inſtinctû vel ex rationis dictamine animadverterit: nec aliam admittit relinquendæ aut retinendæ rei acquiſitæ cauſam, præter rationem ac deſiderium Divinæ gloriæ, ùt quàm maxima ſit. Circa quam hominum claſſem.

Conſidera ulteriùs Imò. Inſincerum affectum non abjici, niſi per indifferentiam, & animi præparationem ad volendum vel nolendum id, quòd cum gloriâ DEI fore, ex Divinô inſtinctû & rationis dictamine intelligitur. Inſincerus affectus eſt, quô non ſincerè DEO adhæremus, non ſincerè eum amamus. Qui ſincerè DEUM amat & quærit, amat & quærit gloriam ejus, nec qualicunq; contentus eſt Divinâ gloriâ, ſed quærit, ùt quam maxima ſit: non adhæret affectû, creaturis, nec aliter ipſis afficitur, niſi, in quantum conferunt ad cultum, gloriam, & amorem DEI, ac iſta, magis ac magis promoveant.

Conſidera 2dò Indifferentiæ hujus, per quam, abijciendus eſt affectus inſincerus, in obſequiô DEI, reſolutorium & regulam, ſecundùm quam, eadem indifferentia tolli & determinari debet, non aliam eſſe debere, niſi gloriam DEI, ejuſq; cultum, ita ùt cùm, te reduxeris ad plenam & perfectam indifferentiam, ex vi cujus, paratus ſis ad id volendum vel nolendum, quòd cum gloriâ DEI eſt futurum, non ad aliud quid attendere debeas, ùt te ad unum determines, niſi unicè ad laudem & gloriam DEI, ùt unica, & non alia ſit cauſa motiva omnium voli-

volitionum & electionum tuarum, nisi ratio, spes, desiderium gloriæ Divinæ; ùt hæc sit quam maxima: et ex his, ad quæ es indifferens, illud eligas, quòd confert & conducit ad finem majoris gloriæ Divinæ.

Considera 3*tiò* In his quæ circa te eveniunt dependentque non tam à tua, quam à Divinâ vel etiam creatâ quacunque voluntate; à te autem eatenus dependent, ùt ea acceptes, eisq; ad cultum & gloriam Divinam utaris; qualia sunt: bona valetudo vel infirmitas, longior vel brevior vita, opes seu divitiæ, vel paupertas, honores, plausus, æstimationes, vel contemptus; in his inquam antequam eveniant, hæc tenenda est regula. Oportet te indifferentem & æquè paratum esse ad id, quòd è majore gloria DEI sive ipsum beneplacitum Divinum, sive arbitrium voluntatis, & cujuscunq; potestatis creatæ determinabit, & ad DEI gloriam conferre censebitur. Postquam veró aliqua evenerint, ea, quæ te magis assimilant Christo pauperi, contempto, humiliato, nostras infirmitates perpesso, & viâ crucis ac tribulationis te progredi faciunt, hæc inquam libenter acceptare convenit, in his singularis habendus est gustus, persvadendumq; tibi est, per hæc, gloriam DEI quàm maximè promoveri. Ab his verò, quæ circa te eveniunt, & videntur amori proprio & corruptæ naturæ inclinationibus congruere, quæ cui DEUS confert, censetur illum molliori sed simul periculosiori viâ ducere: qualia sunt sunt bona valetudo, speciosa officia, honoratiora munia, felix functionum successus, plausus, respectus & affectus hominum &c: ab his inquam abhorrere, taliaque beneficia Divina timere convenit, An etiam aliqua acceptari expediat, magnâ deliberatione opus erit. Quodsi, non erit tuæ potestatis illa declinare, cautè per hæc incedendum est, tibiq; multùm

tùm invigilandum, ne te amor proprius decipiat; ne visco vanitatis inhæreas; omniaq; hæc magno studio, in DEI gloriam, ùt hæc per te, ac illa omnia promoveatur, ordinanda erunt. In ijs verò, quæ à tuâ electione & voluntate immediatè dependent, ut sunt, electio certi & determinati, vitæ statûs, acceptatio vel contemptus honorum, & dignitatum, statui tuô non repugnantium, intra statum, in quô constitutus es, electio vitæ perfectioris : in his inquam & similibus, præ oculis, unicè habere debes gloriam Divinam, illudq; eligere, quod ex Divinô instinctû, vel rationis dictamine, adverteris futurum, cum DEI gloriâ majore.

Considera 4tò Per Divinum instinctum deprehendi, esse vel fore cum majore DEI gloriâ, quando acribus stimulis & forti voluntatis impulsu, de quô judicas prudenter, impulsum Divinum esse, sentis te impelli ad hoc potiùs, quàm ad aliud eligendum; idq; non ob alium finem, nisi unicè, ob finem gloriæ Divinæ promovendæ; quam hac ratione promovendã esse magis, quàm per oppositũ persvades tibi, ex internâ Divinâ illustratione. Per dictamen verò rationis, idipsum deprehendis, quando, factô aliquô intellectûs ratiociniô, & expensis rationibus ac motivis pro utrâq; electionis parte, Divinô lumine illustratus, & auxiliô supernaturali adjutus, advertis rationes fortiores & validiores esse, pro unâ potiùs, quàm pro alterâ parte : Et quòd, talis electio conducibilior sit ad cultum Divinum, ejusq; majorem gloriam.

Considera 5tò. Hanc classem hominum esse, in quâ, omnes nos esse oportet, ùt salutis nostræ certi & securi esse possimus. Laboriosum hoc promovendæ Divinæ gloriæ studium, esse unicam tabulam qua inter frequentia, vitæ hujus mortalis pericula, imò naufragia, salvari, & ad felicem, æternitatis portum, enatare possumus. Spes & deside-

rium

rium gloriæ Divinæ, est stella illa, ad quam, dum procellosum hoc navigamus mare, respicere, & quâ cursum nostrum dirigere oportet: Est medicina probatissima, quâ, vitam animæ nostræ servamus, omnesq; morbos, & infirmitates depellimus.

His consideratis, reflecte te ad singula, qualiter te, hac in parte gesseris hactenus, qualiter deinceps gerere debeas. Præpara animam tuam ad Cruces, tribulationes, persecutiones & confusiones: hæc enim tritissima & securissima via est, assequendæ gloriæ Divinæ. Nihil faciendum aggredere, nisi quod cognoveris, conferre ad DEI gloriam, eamq; promovere.

Elice affectus confusionis, desiderij promovendi quàm maximè gloriam Divinam, hancque unicè respiciendi, in omnibus tuis actionibus. Erue ex his omnibus considerationibus, & reflexionibus, convenientia proposita, illorum exequendorum tempora, occasiones, circumstantias & modum designa.

In colloquio Postula à DEO gratiam ut juxta illud Isaiæ 48. *Laude mea infrænabo te, ne intereas*, ùt inquam te laude & gloriâ suâ infrænet. Confitere te tanquam indomitum equum, tuis pravis inclinationibus & malâ voluntate in præceps in interitum ferri, & nisi, te hôc frænô detinuerit manus Divina, omnino periturum. Solus DEUS efficere potest, ùt non intereas, ùt in omnibus illi consentias, si te tali circumduxerit fræno.

In fine, Anima Christi.

DIEI VI.

Meditatio I.

De tribus modis seu gradibus Humilitatis

Præludium 1. Imaginare Chriſtum humiliatū uſque ad pedes Judæ, humiliatum item cum exinanitione ſui, uſque ad mortem Crucis.

Præludium 2. Poſtula gratiam, quâ illuminatus, cognoſcas in quô ſtet vera humilitas, ut illam conſequi poſſis.

PUNCTUM I. Audi illa verba Matth. 19, *Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata.* Et illa 1. Petri 5 *Humiliamini ſub potenti manu DEI.* Et conſidera primum modū humilitatis conſiſtere in hoc, ut DEO aliquid prohibenti, vel præcipienti, ſub obligatione peccati mortalis, humiliter obediamus, & talia ejus præcepta, imò & præcepta, humana ſub mortali obligantia, ſanctè obſervemus, quæ ſervare eſt humiliari ſub potenti manu DEI, ſub illâ ſcilicet, quæ poteſt animam mittere in gehennam. Hunc humilitatis gradum S. Pater Ignatius his proponit terminis: *Primus Humiliatis modus hic eſt ad ſalutem neceſſarius, ut me penitùs ſubdam Divinæ legi obſervandæ, atque ut Mundi quidem totius oblatô mihi Dominiô, vel extremô vitæ diſcrimine objectô tranſgrediar ex deliberatô mandatum ullum Divinum vel humanum, quod quidem peccati mortalis vinculô nos obliget.*

Expende ſingula. Et *Imprimis:* Obſervatio hæc mandatorum, ſub peccatô mortali obligantium, eſt vera humilitas, eſt enim ſubjectio Creaturæ rationalis, ſuo Creatori, tanquam ſupremo Domino & Legiſlatori, cùm recognitione ſupremæ ejus poteſtatis, idque eſt ſubjectio in rebus difficilibus, quia in rebus ſenſui repugnantibus, idque cum jacturâ & diſpendiô totius mundi, imò cum ipſius etiam vitæ diſcrimine, eſt ſubjectio non ſolùm legibus Divinis, ſed etiam humanis, ſi tam hæ, quam illæ, obligent ſub mortali.

2*do* Hic modus humilitatis, eſt neceſſarius ad ſalutem, nam impletio & obſervatio mandatorum,

requiritur, ut quis salutem consequatur. Dicit enim Veritas æterna : si vis ad vitā ingredi, serva mandata.

3*tiò* Hic modus humilitatis requirit in nobis eam animi constitutionem, ut ne oblatô quidem totius Mundi dominio, vel vitæ discrimine objectô, resolvat se quis ad transgressionem præcepti sub mortali obligantis. Quare ad perfectionem hujus gradûs non sufficit, ita legi sub mortali obliganti subjici, ut illam deliberatè non trasgrediamur, si ad transgressionem invitemur, brevi, & momentaneâ voluptate, si invitemur privatô aliquô & particulari emolumentô, & lucrô moderatô bonorum fortunæ, vel famæ, & honoris, sed, ut quis primum humilitatis conscendat gradum, necessarium est, ut ne totius quidem Mundi Dominiô, supremisque honoribus & maximis voluptatibus oblatis, paratus sit propter hæc, mandatum graviter obligans transgredi. Et hæc est illa humilitas Christiana, de qua dicebat S. Agatha Virgo & Martyr. *Multò præstantior est, Christiana servitus & humilitas, regum opibus ac superbiâ.* Parùm item est, nec sufficit ad conscendendum hunc humilitatis gradum, si quis non transgrediatur mandata sub mortali obligantia, propter evitanda aliqua minora vel leviora mala, ut ad evitandam indignationem amici, item ad avertendum damnum, qualia communiter & ordinariè evenire solent in bonis famæ, fortunæ, corporis, etiam ad declinandum vitæ discrimen non debes deliberatè transgredi, mandatum sub mortali obligans.

4*tò* Ad eundem hnmilitatis gradum, ejusque perfectionem spectare videtur, ut non solùm objectô vitæ corporalis discrimine, sed etiam objectô discrimine vitæ & salutis æternæ, non trasgrediaris ullum mandatum, sub mortali obligans, hoc est, si de animæ tuæ salute ageretur ac evitanda morte æternâ, pænisque inferni ex una parte, ex altera parte ageretur de committendo etam unico peccato

to mortali, esset que necessariò, alterutrum eligendum; potius deberes eligere mortem æternam & pœnas inferni, quàm in peccatum mortale consentire. Humilitatis, vitam corporalem aspernantis, nec ejus objectô discrimine adduci se permittentis ad committendam culpam lethalem, habes exempla in S. Casimiro Regio Poloniæ Principe, qui mori potiùs elegit, quàm labefactatâ suâ pudicitiâ fædari: in Sanctô item Ludovico IX Galliarum Rege, qui hanc humilitatem edoctus à Matre suâ sanctissimâ, S. Blancâ Regina, constitutum firmissimè habuit, priùs mortem oppetere, quàm in lethale peccatum consentire. Humilitatis verò, vitæ insuper æternæ, & saluti animæ renunciantis, nec talis vitæ discrimine objectô resolventis se in transgressionem mandati, obligantis sub mortali, exemplum habes in S. Anselmo Canthuariensi Archiepiscopo, qui sæpius protestari solitus fuit: *Si hinc peccati horrorem, inde inferni dolorem, corporaliter cernerem; & necessariò uni eorum immergi deberem, priùs infernum, quàm peccatum appeterem.* Idem Sanctus, Cœlo etiam renuntiabat, si cum peccato illud obtenturus esset; ut habetur lib. de Beatit. *Mallem priùs à peccato innocens, gehennam intrare, quàm peccati sorde pollutus, Cælorum regna tenere.*

Hæc considerans erue inde sequentia dictamina: 1*mum*. Propter nullum quodcunque bonum consequendum, etiam propter totiùs mundi Dominium, committere te debere peccatum mortale. 2*dum* Propter nullum bonum possessum, ulteriùs retinendum, illiusque jacturam ac damnum avertendum, etiam pro retinendâ & defendendâ vita, committere te debere, ullum peccatum mortale. 3*tium*: Ad avertenda, etiam quæcunque mala quantumcunque magna, quæ fortè sustines, non debere te resolvere in peccatum mortale.

4tum ad avertenda mala, quæ nondum pateris, timere tamen potes, & quæ fortè imaginaris tibi eventura, nullatenus tibi committendū esse, ut transgrediaris mandata, sub peccatô mortali obligantia.

Reflecte deinde te, an primum hunc humilitatis, jam conscènderis gradum? scito verò, conscendendum omnino esse, si vis, ut in cœlum ascendas, & ad Cælum pervenias. Percurre singula, quæ expendisti, & fac reflexiones convenientes.

Fac item proposita, ac etiam protestationes à Sanctis, Casimiro, Ludovico, & Anselmo usitatas. Confundere, si fortè necdum hunc gradum attigisti. Quod si conscendisti jam eundem, age Divinæ Bonitati gratias, humilia te sub potenti manû Dei? & postula ut Deus, eâdem potenti manu suâ in hoc humilitatis gradû, firmum te & constantem teneat, ne ex eô aliquando decidas.

Punctum II. Audi illa verba Christi Matth. 18. *Quicunque se humiliaverit sicut parvulus iste, hic est major in Regno Cœlorum.* Et considera secundum humilitatis gradum, à S. Patre Ignatiô per hoc describi: ut fixô animô, ad divitias, & paupertatē, honorem & ignominiam, brevitatem vitæ, & longitudinem, æquè sim propensus, ubi æqualis est Divinæ laudis, & salutis meæ occasio: utque nullâ vel humanæ quantæcunque felicitatis vel propriæ mortis, conditione propositâ, adducar unquam ut culpam, licèt venialem tantùm, decernam admittere. Sic descriptus, secundus gradus humilitatis, videtur expressus esse sufficienter, per similitudinem humilitatis parvulorum, in adductis Christi verbis. Parvuli enim non sunt soliciti de divitijs, honoribus, longitudine vitæ; sed ad hæc videntur æquè indifferentes, atque ad paupertatem, ignominiam & brevitatem vitæ, itâ ut horū vel illorum electionem & tolerantiam, persvadeat illis facile, Parentum propriorum voluntas vel conditio.

Iidem

Iidem per suam simplicitatem, & innocentiam, non solùm suis Parentibus, sunt obsequentes, in rebus majoribus & gravioribus, sed etiam in minimis.

Porro ut ad hunc secundum, humilitatis gradum ascendatur.

Necessarium 1*mò* est, ut fixô animô, simus æquè propensi, ad divitias & paupertatem, ad honorem & ignominiam, &c. ubi æqualis est Divinæ laudis, ac salutis nostræ occasio. Ad humilitatem enim veram spectat, ut non quæramus nosmetipsos sed Deum: ut nostra commoda, emolumenta & nosmetipsos, postponamus honori, & gloriæ Divinæ. Jam verò qui determinati, vel certè magis propensi sunt ad quærendas divitias, honores, & similia, si laudis Divinæ, major sit occasio per paupertatem, ignominiam, hi seipsos, sua emolumenta & commoda quærunt, atque præferunt Deo, ejusque laudi & gloriæ Qui etiam, dum æqualis est occasio laudis & gloriæ Divinæ, sive per divitias, & honores, sive per paupertatem & ignominiam, non sunt æqualiter propensi ad utraque; sed magis sunt inclinati, & determinati ad divitias & honores, illi seipsos, suaque bona & commoda, & non solùm Deum, ejusque gloriam quærunt & æstimant; adeoque in verâ humilitate deficiunt, quæ Deum ita præfert; ut perfectè hominem, ejusque omnia bona, Deo subjiciat ac postponat, & hæc propter Deum, contemnere faciat.

2*dò* Necessarium est ad acquirendum secundum humilitatis gradum, ut nullâ vel humanæ quantæcunque felicitatis, vel propriæ mortis conditione, adducamur unquam, ut culpam licèt venialem tantùm committamus. Hanc animi dispositionẽ exigit, non solùm ipsa Dei dignitas, & excellentia, ut hunc, ne leviter quidem offendàmus, non solùm item, peccati venialis malitia & odibilitas, quæ tanta est, ut veniale non possit assumi, pro mediô ad conse-

consequendum etiam maximum bonum, aut evitandum quodcunque malum, cum non sint facienda mala, ut eveniant bona: Sed insuper, eandem dispositionē & præparationē animi exigit ipsa subjectio Naturæ rationalis creatæ, suo Creatori, Supremoq; Domino ac Legislatori; ut creatura hæc humiliet se Deo, ejusque legi subijciat, etiā tunc, dum hæc solùm obligat sub veniali.

Hic humilitatis gradus, non est quidem simpliciter necessarius, ad salutem, út primus, facit tamen, ut quis abundantiùs vitam habeat, & per media perfectiora, consequatur salutem, & ut sit major in Regno Cœlorum, ut item nihil hominem retardet in obtinendâ salute. Per accidens etiam potest esse, ad salutem necessarius, quatenus qui non contendit, hunc gradum humilitatis conscendere, etiam de primo gradû decidit.

Ex his consideratis hæc apud te conclude & statue firmiter, 1*mò* quòd omnem affectum ad tua commoda, honores, bonam famam, valetudinis firmitatem, vitæ longitudinem ita sis moderaturus, ut non magis ad hæc propendeas, quàm ad opposita, si utraque æqualiter, Divinam promovebunt gloriam, & te ad tuum finem consequendum juvabunt. 2*dò* quòd nullum veniale, maximè deliberatum sis commissurus, propter quodcunque bonum, quàntumcunque illud fuerit, consequendum, vel malum, etiam maximum avertendum. Licèt verò aliqua venialia humilitati specialiter repugnantia numerentur, qualia sunt: dicere aliquid in laudem sui: vanam laudem ex suis actionibus appetere: ex fine vanæ gloriæ aliqua facere, complacere sibi in sui æstimatione, plausibus, & similibus, præferre se alijs: moveri invidiâ, si alij laudentur, lætari, si contemnantur, si contemnaris, affligi, si reprehendaris, excusare te ipsum, tuasque actiones: & similia, tamen non solùm hæc, sed etiam quæcunque venialia

nialia fecundo humilitatis gradui repugnare, pro certô & indubitatô habebis & omnia ac fingula, ftudiô præcipuô cavebis. Fac iterum reflexiones convenientes, elice affectus, & propofita, Divinamque opem ad ea exequenda implora.

PUNCTUM III. Audi illa verba Chrifti Matth. 11. *Difcite à me quia mitis fum, & humilis corde.* Et cogita, tertium humilitatis gradum confiftere in perfectâ imitatione humilitatis Chrifti. S. P. Ignatius hunc humilitatis gradum, ita explicat. Tertius eft modus humilitatis abfolutiffimæ, ut priores jam duos adeptus, etiamfi nullô fuperadditô, laus DEI par foret; ad majorem tamen imitationem Chrifti, eligam potiùs, cum eô paupere, fpretô, & illufô, pauperiem, contemptum & infipientiæ titulum amplecti, quàm opes, honores, & fapientiæ exiftimationem.

Expende fingula 1*mò* Ad hunc humilitatis gradum confcendendum, neceffarium effe, ut quis priores duos, humilitatis gradus fit adeptus. Fruftra enim vult fequi confilia, qui præcepta Divina negligit: fruftra laborat in perfectè imitandô Chriftô, ejusque perfectione, exactè in fe exprimendâ, qui necdum habet rudimenta vitæ Chriftianæ.

Expende 2*dò* Etiamfi nullô fuperadditô laus DEI par foret &c. hoc eft, etiamfi feclufâ imitatione humilitatis Chrifti, & independenter à tali fine & refpectû, ex alijs circumftantijs & rationibus præcifè confideratis, laus DEI par foret ex paupere, contemptu, atque ex opibus, honoribus: in quô cafû indifferentia ad utrumque curanda eft, tamen propter imitationem humilitatis Chrifti eligendam effe, pauperiem, contemptum, infipientiæ titulum. Quòd fi independenter ab hôc fine & refpectû imitationis Chrifti, major laus DEI effet ex unô, quàm ex aliô, certum eft, illud effe eligendum, ex quô major laus DEI eft futura.

Expende 3*tiò* Ad majorem imitationem Christi pauperis, spreti, illusi, pauperiem, contemptum, insipientiæ titulum eligenda, esse. Hôc ipsô enim, quòd Christus hæc elegerit magnum fecit pretium & æstimationem paupertati, contemptui, ut hæc eligi debeant præ oppositis. Hôc ipsô ista magis conducunt ad perfectionem, siquidem Christus, qui est idea omnis virtutis & perfectionis, hæc præelegit. Hôc ipsô, major Dei gloria est, ex præelectâ pauperie & contemptû, cum magna sit inde laus Dei & gloria, quòd Christum Filium Dei imitemur. Hôc ipsô denique certior esse potes, salutis tuæ consequendæ: illa enim certius obtinetur, per paupertatem, contemptum, & similia, siquidem Christus qui est Dux & Magister noster, Viâ, Veritas, & Vitâ, Hanc viam per paupertatem contemptum, & tribulationes ostendit ad salutem? hæc exigit à sequentibus sua signa. Cùm è contra à Christi signis avocet, & ad sua signa invitet diabolus, propositis divitijs, honoribus, ac per hæc, mortales, in perditionem trahat.

Reflecte te, & tecum recogita, quem habes animum ad conscensionem hujus gradus humilitatis. In meditatione de Regnô Christi, invitavit te idem Chistus Rex tuus, ut ijsdem insignibus; & vestibus induaris, quibus ille induebatur si tunc necdum te resolvisti, iterum te invitat in præsenti, vide quid te facere conveniat. Illud noveris in nullô vitæ statû, quemquam Sanctorum (quisque verò status plures magnos Sanctos numerat) ad magnam perfectionem & Sanctitatem aliter conscendisse, nisi conscensô hôc tertiô humilitatis gradû. Quare etiam tibi, conscendendus est, si nolis esse trivialis tantùm & imperfectus Dei, servus. Quò verò paratior, & promptior sis, ad ferendam & eligendam paupertatem, contemptum, insipientiæ titulum, & similia: ipse te contemnere stude, de te

sentias

ſentias quàm abjectiſſimè, reputes te peccatorum maximum, ipſô Diabolô & damnatis pejorem, Dei gratiâ & quibuſcunque ejus beneficijs, ac etiam aliorum conſortiô indigniſſimum, reputa nihil tibi deberi; non deberi tibi ullum honorem, ullam æſtimationem, ullos reſpectus, actiones tuas plenas eſſe defectibus, & imperfectionibus. Opta, ut in tuis talentis, non advertatur niſi ad ſolos defectus, & ut ea, quæ poſſent æſtimari prætereantur Ad omnes tuas laudes, tanquàm tibi indebitas, atque ſi tui eſſent irriſoriæ, confundere. Lætare, ſi parvi æſtimeris ab alijs, ſi tua talenta extenuentur, ſi alijs poſtponaris. Quære occaſiones tuæ humiliationis & contemptûs, ſuſcipiendo obſequia proximorum viliora, ad eas functiones, Dei gloriam promoventes, promptè te offerendo, quæ te magis contemptibilem reddunt.

Colloquium triplex, primum ad Beatiſſimam, poſtulando, ut quæ humilitate ſuâ placuit Altiſſimo, impetret tibi perfectiſſimam humilitatis Filij ſui imitationem. 2*dum* ad Chriſtum Hominem, ut impetret à Patre æterno hanc ipſam gratiam 3*tium* ad Patrem æternum, ut annuat petitioni Chriſti Domini, & interceſſioni Sanctiſſimæ ejus Parentis.

In fine: Anima Chriſti.

Meditatio II.
De fine & obligatione Hominis Chriſtiani, ac medijs ad ſuum finem.

Præludium 1. Imaginare Chriſtum Dominum datum eſſe, non ſolùm in Redemptorem Mundi,

sed etiam in Ducem, veritatis Magistrum, & exemplar omnis virtutis, ac perfectionis, quem si sequantur Christiani, doctrinam ejus impleant, & exempla imitentur, magnum hinc adjumentum habent, ad finem suum consequendum.

Præludium 2. Pete gratiam, quâ illuminatus possis cognoscere, finem & obligationem hominis Christiani, ac etiam media, ad hunc finem consequendum, atque ut his medijs juvari possis.

Punctum I. Audi illa verba Christi Joan. 10. *Ego veni ut vitam habeant, & abundantiùs habeant*: Et considera finem, hominis Christiani hunc esse debere, qui etiam est finis cujusvis hominis, nimirùm ut Dominum Deum suum laudet, revereatur, eique serviens, tandem salvus fiat. Cum aliquâ tamen differentiâ circa modum, quô Deum laudare, revereri, eique servire homo Christianus debet, cum aliquâ item differentia circa salutem, quàm consecuturus est. Finis itaque hominis Christiani est, ut non solùm sacri Baptismi susceptione, & verâ fide in Christum, sed etiam bonis operibus, & vitâ Christianâ hoc est conformi doctrinæ Christi, & ejus, veræ Ecclesiæ, confiteatur se Deum & Christum nôsse: et ut illustratus veræ fidei lumine, intra Ecclesiam à Christô ipsô, supra firmam petram, hoc est, supra Petri fidem fundatâ, Deum in essentiâ unum, in Personis trinum laudet, vitâ & actionibus, doctrinæ Christi conformibus, eundem revereatur, observatione non solùm præceptorum decalogi, aliorumque legis Naturæ, sed etiam præceptorum Christi Evangelicorum, & præceptorum ipsius Ecclesiæ, eique taliter serviens, tandem salvus fiat.

Hic ipse, cujusvis Christiani finis expressus est, brevibus illis Christi verbis: *Veni, ut vitam habeant & abundantiùs habeant*: Finis cujusque Christiani à Christo intentus, eique præfixus est, ut vitam, (vitam.

tam ſpiritualem animæ intellige) non quomodocunque, ſed abundanter habeant. Porro vita animæ duplex eſt, una, quâ anima, in hôc adhuc corpore mortali exiſtens, vivit Deo per gratiam ſanctificantem. Altera vita animæ eſt, quâ poſt mortem carnis, anima Deo vivit, per æternam felicitatem, ejusque viſionem & amorem. Cura igitur, & ſingulare ſtudium, hominis Chriſtiani eſſe debet, ut utramque hanc animæ vitam, abundantiùs habeat. Quia verò vita illa feliciſſima, quâ anima Deo vivit in gloriâ, & Patriâ cœleſti, conſequitur vitam illam, quâ anima exiſtens in corpore, Deo vivit per gratiam, talisque vitæ eſt præmium, cui tanquam ſuò merito proportionata reſpondere debeat, eâ ratione ut qualis vita præſens animæ, & quàm abundans fuerit, tam abundans, aut potiùs proportionatè ſuperabundans, futura ſit vita cæleſtis; ideo omnes vires, & omnia ſtudia homini Chriſtiano conferenda ſunt unicè, ut vitam animæ per gratiam, dum in corpore vivit, habeat, & abundantiùs, imò abundatiſſimè habeat.

Per hoc autem, mi Chriſtiane, vitam animæ, per gratiam habes, quòd Deum verum & Jesum Christum, propter tuam ſalutem miſſum in mundum, vivâ fide cognoſcas; quòd cognoſcas illum, & confitearis non ſolùm ore, & intellectû tuô, ſed omnibus potentijs tuis, omnibus ſenſibus; omnibus actionibus & operibus tuis, quòd omnia oſſa tua dicant Deo: *Domine quis ſimilis tibi?* ſiquidem ex oraculô Sapientiæ Incarnatæ: *Hæc eſt vitâ æternâ* (hoc eſt ad felicem æternitatem hominem ordinans, & vitæ illi æternæ præludens) *ut cognoſcant te ſolum DEUM Verum, & quem miſiſti JESUM Chriſtum.* Habes vitam animæ, ſi regeneratus in Chriſtô per baptiſmum, gratiam baptiſmi conſervas & cuſtodis, & peccata mortem animæ afferentia ſanctè caves & declinas. Si

etiam

etiam eandem gratiam, & innocentiam baptismalem, per grave peccatum fortè amissam, per Sacramentum pœnitentiæ reparare studuisti, ejusque conservationi, majori supra teipsum vigilantiâ & solicitudine, invigilas.

Hanc ipsam animæ vitam habes abundantiùs, si gratiam Sanctificantem in baptismô acceptam, vel etiam post sui amissionem per Sacramentum pœnitentiæ restitutam, non solùm conservare sed etiam per majora, & majora semper incrementa augere studes, Sacramenta Ecclesiæ frequentando, eaque cum dispositione conveniente suscipiendo, pietatis, & charitatis opera exercendo, in virtutibus homine Christianô dignis proficiendô, consiliâ Christi adimplendo, exempla imitando, ejusque merita & satisfactionem usurpando, & tibi approriando. Habes vitam abundantiùs, si abundas in omne opus bonum, si facis, ut justitia tua abundet, plus quàm scribarum & Pharisæorum, nec permittis, in implendis præceptis Religionis tuæ, vinci te ab infidelibus & hæreticis, eorumque studiô circa implenda præcepta per sectas ipsorum præscripta.

Hæc considerans fac reflexiones, quæ cura tua sit & fuerit hactenus circa consecutionem finis hominis Christiani? Qualis item sis Christianus? an non solo nomine, an non ex charactere tantùm in Baptismô acceptô? an non ille? qui ore confiteris te nosse Christum, factis autem negas? An Deum laudes & reverearis, juxta Christi & Ecclesiæ ejus doctrinam & institutionem? in templis Deo & Christo in Eucharistiâ præsenti quam reverentiam & honorem exhibes? An de illâ tuâ laude, quam Deo reddis non verificetur illud: *Non est speciosa laus in ore peccatoris* An in omnibus tuis actionibus cultum Dei & gloriam intendas & quæras!

Reflecte iterum te; quomodô DEUM verearis! An timorem DEI, præ oculis habeas? percurre breviter sive legis Naturæ, sive legis Divinæ scriptæ præcepta, ac etiam præcepta Evangelica, & præcepta Ecclesiæ, & cogita, quâ curâ & sanctitate, illa observes?

Reflecte te ulteriùs An Anima tua vivat DEO per gratiam? An hanc vitam abundantiùs habes? quâ solicitudine studes, hanc vitam conservare, ac etiam augere? An Sanctissimum, Eucharistiæ Sacramentum ad vitam, an certè ad judicium manduces? quàm frequenter sive ad hoc cæleste epulum; sive etiam ad Sacramentum Pœnitentiæ accedas? cum quâ dispositione, quô fructû & cùm quantô vitæ spiritualis & gratiæ augmentô hæc Sacramenta suscipias? Quantùm abundes in opera misericordiæ, & charitatis, & utrum in omne opus bonum? An justitia tua abundet, plùs quàm scribarum & Pharisæorum, seu plus, quàm multorum hæreticorum & infidelium? an in judicio DEI non confundent te multi Ethnici & infideles, virtutum naturalium exercitio & frequentatione, ac etiam vitæ conformis rationi rectæ honestate? an non confundent te illæ in tribunalibus, comitijs comitiolis, variorum judiciorum subsellijs, hæreticorum & diffidentium sententiæ, vota & decisiones? certè confundet non unum Catholicum, illa quædam conscientiæ in hæreticis teneritudo, in reddendô unicuique quod suum est, in persolvendis punctualiter, famulitio promeritis stipendijs, in dandâ condictâ mercede, artificibus & operarijs. Confundent non unum, acatholicorum opera misericordiæ, liberales in pauperes eleemosynæ, data indigentibus subsidia, paternus subditorum amor, proximi dilectio, opere ipso comprobata, observatio accurata festorum, aliaque bona opera.

Ex his factis reflexionibus habebis copiosam mate-

materiam tuæ coram DEO confusionis & humiliationis, ac opportunam occasionem faciendorum propositorum, circa vitæ tuæ emendationem & reformationem.

PUNCTUM II. Audi illa verba Deuter. 32. quibus sacra Scriptura describit modum, quô DEUS populum Isráël ex Ægypto eductum in terram promissionis induxit: *Invenit eum in terrâ desertâ in locò horroris & vastæ solitudinis. circumduxit eum & docuit, & custodivit quasi pupillam oculi sui. Dominus solus Dux ejus fuit.* Et considera in his verbis intelligi posse, plura expressa media perveniendi, ad finem homini Christiano præfixum.

I*mum* mediùm est, provida & solicita Divinæ Bonitatis de salute nostra, cura, quæ non expectat, ut priùs ad DEUM veniamus, sed ipsamet nos quærit, non tantùm per Incarnationem, Nativitatem, Conversationem Filj DEI in carne assumptâ cum hominibus, passionem & mortem ejusdem, sed etiam nunc, perfectô redemptionis nostræ opere, quærit unumquemq; nostrum adducendo ad gratiam Baptismi, ante cujus susceptionem fuimus in terrâ desertâ, in locô horroris & vastæ solitudinis, quia tunc, cùm essemus gratiâ sanctificante spoliati, ac in statû peccati originalis, quærit nos, media salutis, quæ intra solam Ecclesiam Catholicam habentur, & haberi possunt, providendo & ordinando. Quærit per gratias prævenientes, liberaliter nobis, sinè nostris meritis collatas.

Quô consideratô, agnosce in hôc mediô magnum tibi præstitum esse beneficium, profitere cum S. Augustinô: *Antequam egò nascerer, filius Ancillæ tuæ, Domine spes mea ab uberibus Matris meæ, tu me prævenisti, præparans mihi semitas, quibus incederem, & venirem ad gloriam Domûs tuæ, priusquàm formares me, in uterô, novisti me, & quidquid tibi placuit ordinasti de me.*

2dùm

2dum medium consequendi, finis hominis Christiani, est Divina Bonitas, non solùm nos præveniens, & ad Catholicam vocans Ecclesiam, mediaque salutis pro nobis ab æternô disponens, sed insuper in Ecclesiâ jam constitutos, & gratiâ DEI præventos, instruens nos & custodiens. Considera, quò descendat Bonitas Divina, ut non solùm quærat hominem, in terrâ desertâ, in locô horroris & vastæ solitudinis, cumq; inveniat; sed etiam, ut inventum ducat, gressus ejus formet, dirigat in viam salutis, & ne aberret, custodiat, ut pupillam oculi sui, hoc est, ut non solùm ad gratiam justificationis perducat; sed in hâc præterea constitutum, ducat viâ mandatorum suorum, & ne ab hâc aliquando declinet, instruat, tum per externam Ecclesiæ, & ministrorum ejus prædicationem, tum per interiores illustrationes, quomodo in viâ salutis progredi debeat, tandemq; illum custodiat, ut pupillam oculi, ne deinde, suâ pravitate, vel fraudibus hostium, generis humani, à gratiâ ipsius consequenter à salute æternâ excidat.

Hoc considerato Erumpe in affectum; Scio Domine, quià non est, hominis via ejus, nec ejus est, ut dirigat gressus suos. Quod ergo non valet perficere homo, hoc supplet Divina Bonitas, formans gressus ejus, instruens cum tanto amore, quia ut pupillam oculi sui custodiens. Gratias age pro his medijs salutis tuæ. Confide de obtinendâ à te felicitate æternâ. Confundere, si DEO ducente, dirigente, ùt pupillam oculi sui te custodiente, ex viâ mandatorum ipsius deflexisti.

3tium Medium homini Christiano, perveniendi ad vitam immortalem, & æternam felicitatem est, quòd Dominus solus Dux ejus factus sit, ut Christiani sine errore, & cum omni facilitate, ac sine aberrandi periculô, incederemus, non Prophetis, non Angelis commisit nos deducendos, sed ipse-

ipsemet DEUS Dux noster esse voluit. Filius unigenitus Patris, à Regalibus sedibus venit ut nos deducat in terrã promissionis, hoc est in Patriam cæleste, nobis appromissam. Ducit autèm nos triplici modô 1*mò* Cælestibus doctrinis, à se ad nostram institutionem, in Evangeliô & Ecclesiâ relictis. 2*dò* suô propriô exemplô, quòd dedit in exercitiô omnis generis virtutum. 3*tiò* Comparatô nobis infinitô meritorum suorum thesaurô, ex quô non solùm habemus pretium redemptionis nostræ, de servitute peccati, sed etiam habemus, & habere possumus, impensas longissimi ad felicem æternitatem itineris, scilicet tam gratias actuales, quàm gratias habituales, & dona habitualia, quorum ipsorum providendorum, alia rursus providit nobis media, scilicet instituta á se Sacramenta.

Reflecte te, qualiter usus sis hôc salutis tuæ, tam præstanti & efficaci mediô? fuit ne tibi Christus Dux ad salutem, & in resurrectionem, ex inveteratis peccatis tuis.? Quomodo te juvit suâ doctrinâ, ut vitam haberes & abundantiùs haberes? Quomodo usus es Sacramentis? Esne secutus ductum præceptorum & consiliorum Christi? An instireris vestigijs virtutum illius? Quantùm te juverint gratiæ Divinæ, ex meritis Christi tibi collatæ? An quidquid tibi defuit, usurpaveris in tuum commodum, ex vulneribus Domini tui JESU Christi?

Elice affectus 1*mò* gratiarum actionis pro tam efficaci salutis tuæ mediô, dicens cum S. Augustinô: *Quærebam ego viam ad fruendum te & non inveniebam, donec amplecterer Mediatorem DEI & hominum JESUM Christum DEI Filium, vocantem me, & dicentem: ego sum via, veritas & vita.*

2*dò* Confusionis & humiliationis tuæ coram DEO, quòd alium, quæsieris vel secutus fueris Ducem, quòd secutus fueris aliquando mundum, car-

carnem, sensualitatem, amorem tuum proprium, inordinatum aliquem affectum, qui tibi fuerunt Duces in præceps. 3tiò Firmi propositi & protestationis, quòd abhinc solum hunc Ducem sequi velis, vivendo juxta doctrinam, præcepta, ac etiam juxta aliqua saltem ejusdem tui Ducis Christi consilia, imitando ipsius virtutum exempla, charitatis, misericordiæ in pauperes, patientiæ, humilitatis, resignationis in Divinam voluntatem, amoris inimicorum, & aliarum virtutum similium, utendo infinitô thesaurô meritorum Christi, obediendo inspirationibus Divinis, cooperando gratijs excitantibus, frequentando & dignè suscipiendo Sacramenta. Protestare dicens: valete Duces alij, quos hactenus sequebar, & sequens in viâ salutis errabam. Abhinc solus Dominus Dux meus erit. 4tò tandem postula à Christo ut tuus ille Dux semper esse velit, & ut te in Patriam cælestem feliciter inducat.

PUNCTUM III. Audi illa verba Psal: 104. de ijsdem Isràëlitis ad terram promissionis euntibus dicta: *Expandit nubem in protectionem eorum & ignem, ut luceret eis, per noctem.* Et considera, homini Christiano, ut finem suum consequi possit, etiam hoc provisum esse medium, quòd DEUS expanderit nubem in protectionem ipsius.

Per hanc nubem intelligi potest ipsa singularis DEI providentia, quæ suis gratijs, contra insultus & tentationes inimici nos protegit, non permittens nos tentari supra, quàm possumus, sed faciens cum tentatione, gratiæ suæ adjuvantis proventum. Tu intellige per hanc nubem, maternum Sanctissimæ DEI Parentis affectum, quô illa omnes fideles prosequitur. Hæc est illa nubes, quæ pluit nobis Justum, cujus desiderio illi tenebantur, qui dicebant: *Rorate cæli desuper & nubes pluant justum.* Hæc est nubecula illa quasi vesti-

gium hominis, quòd in illa expressit DEUS homo, ex utero illius in mundum procedens. Hanc nubem expandit DEUS, super omnes Christianos, ut hæc illos protegeret contra æstus vindictæ & furoris Divini, ut ex hac nube decidat pluvia, quam segregavit DEUS hæreditati suæ, scilicet: ut per manus Mariæ omnes gratias, omnia dona & beneficia accipiant. Sub hac protectionis nube si quis peregrinari velit, & ad cœlum contendere, magnum adjumentum habet perveniendi ad terminum vitæ & felicitatis æternæ.

Considera deinde medium insuper aliud esse, quô in consequendo fine suo Christiani singulariter juvari possunt, custodiam Sanctorum Angelorum, Patrocinium Sanctorum Patronorum. Hi sunt ignis ille nobis datus, ut luceat per noctem. Sunt ignis ratione amoris DEI & zeli salutis animarum nostrarum, quô æstuant. Sunt ignis illuminans: illuminant enim nos Sancti Angeli Custodes nostri, suis instinctibus & illustrationibus, in viam salutis nos dirigendo. Illuminant alij sancti, virtutum suarum exemplis, dum in vita hac mortali viverent, à se relictis, ut ea imitemur. Ignes hi Sanctissimi, semper quidem nobis lucent, sed maximè lucent in nocte, in nocte inquam tentationis, tribulationis, tristitiæ, desolationum, impetrando nobis gratiæ Divinæ, hanc noctem dissipantis; splendorem, impetrando lumina cælestia, consolationes spirituales, serenitatem animi, & potestates tenebrarum cum suis tenebris dispellendo, sed maximè lucent in nocte, quam nobis facit vitæ nostræ occasus, faciuntque ut ipsorum præcipuè intercessione, ingrediamur viam æternitatis, eoq; perveniamus, ubi nobis lux gloriæ cælestis illucescet & lucebit in æternum.

Fac reflexiones supra te ipsum; & cogita quantas tuas fæditates protexerit Mater Sanctissima.

Ex

Expende: quòd DEI irati vindictam, justitiæ Divinæ fulmina non effugisses, nisi hæc nubes te protexisset. Reflecte te: quòd æstus tuarum cupiditatum, desideriorum, tentationum, tantopere tibi non noceat, cui hoc debeas? An non nubi huic sanctissimæ, te à tali æstu protegenti? quòd illa pluvia gratiarum illustrantium, excitantium, sanctorum propositorum copiosè in te decidat, nubi huic expansæ debes, eidem debes tot alias gratias, nimirum conversionem tuam, pænitentiam, extirpationem pravorum habituum, amotionem occasionum peccandi, aliaq; innumera DEI beneficia.

Reflecte te rursus: quòd illumineris in nocte tribulationis, tentationis; in nocte quam in anima faciunt peccata tua, habere te beneficio ignis illius, qui tibi lucet in nocte: nimirum beneficiô S. Angeli Custodis tui, debesq; id instinctibus & monitionibus ipsius. Habes item ex beneficio Sanctorum Patronorum tuorum, quorum non solùm exemplô ad virtutem provocaris, sed etiam ex eorum intercessione & patrocinio lumen & splendorem excipis.

Reflecte te tandem, quàm gratus tanti affectûs exstiteris, sive Sanctissimæ DEI Parenti, sive S. Angelo Custodi, sive alijs Sanctis tutelaribus tuis?

Elice actus gratiarum actionis pro singulari protectione & illuminatione, quam experiris: Confusionis propter ingratitudinem tuam. Fac proposita circa cultum Matris Beatissimæ, Sanctorum Tutelarium tuorum, circa reverentiam exhibendam Sancto Angelo Custodi tuo.

Colloquium ad Beatissimam, S. Angelum, & Sanctos Tutelares tuos, quibus supplica, ut semper quidem, sed vel maximè in nocte illa, in quam, te moriente, corporis tui claudentur lumina, suo tepatrocinio protegant, omnesq; dissipent animæ tenebras; illudq; efficiant, ut Anima tua, lumine gratiæ

 sanctifican-

ficantis, & plurium meritorum, illustrata, è corpore prodeat, & in splendoribus ac consortio eorundem ipsorum Sanctorum, locum inveniat.

In fine sub tuum Præsidium.

Meditatio III.
De Imitatione Vitæ, Doctrinæ & Virtutum Christi.

Præludium 1. Imaginare, quòd præ oculis habeas Christum Dominum, ejus Doctrinam & prædicationem audias, & in eo spectes quascunq; perfectiones & omnis generis virtutes.

Præludium 2. Pete à Patre æterno gratiam, ut possis te confomare imagini Filij ejus.

PUNCTUM I. Audi illa verba Isaiæ 6. *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis.* Et considera, quòd inter alios fines adventùs Christi in mundum, hic non postremus fuerit, ut tanquam sapientissimus mundi Magister nos erudiret, qua ratione DEUM laudare, eum revereri, ipsi servire, ac demum ad ipsum pervenire debeamus, ut tanquam supremus Dux & Dominus, milites castra sua sequentes, partim suâ Doctrinâ, partim exemplo instrueret; quomodo eum imitari, sub ejus signis militare, hostesq; suos mundum, carnem, & diabolum debellare debeant.

Considera ulteriùs Christum hanc Discipulorum suorum & militum institutionem, à sua statim nativitate inchoâsse; ut meritò, dum adhuc parvulus esset, nobis datus, nobis natus esse diceretur. Percurre multas circumstantias nativitatis & teneræ ætatis Christi ; et ex ipsis disces, qualis discipulus, qualis miles Christi esse debeas. Et *imò* quidem Considera Paupertatem Christi nati, & ejus in

in paupertatem amorem. Christus infans tantò amore ferebatur in paupertatem, ut eam pro matre habuisse videatur. Ex paupertate tanquam matre nascitur, quia ex pauperrima Virgine: Paupertas Christum deponit in præsepio, paupertas vilibus involvit pannis, paupertas pascit, paupertas salutat, in pastoribus invisit & complectitur. quomodo igitur illi non Mater paupertas? Nulla re Christus tanquam propriâ disponit. Accipit munera à Magis, ea nec digito quidem tangit, sed his disponebant MARIA & JOSEPH. Illa tunc non nisi penes ipsum dispositio fuit: dabat potestatem filios DEI fieri, dabat gratiam, lumen cæleste, dabat Spiritum Sanctum. Ex hôc Ducis & magistri tui exemplô disce, non debere te affectu immoderato affici opibus & divitijs, nec illas inexplebili quærere appetitu. Disce non debere te abhorrere à paupertate Christi, nec eam vilifacere, quam Christus tanti æstimavit, quinimò desidera, ut pauper pauperem, nudus nudum Christum sequaris, si DEI hæc voluntas fuerit, vel Divina vocatio, aut ratio salutis tuæ id postulaverit.

Considera 2dò. Puritatem hujus infantis plusquàm Angelicam, quia Divinam. Nascitur sine peccato, nascitur ex Matre ab omni labe immuni, ex Matre ante partum, in partu, post partum Purissima Virgine. Et hoc exemplô excitare, ut ad puritatē quàm maximā animæ & corporis enitaris.

Considera 3tiò. Obedientiam parvuli JESU, quomodo sit subjectus Matri suæ, quomodo in omnibus permitit se tractari secundùm ejus placitum, ad omnia paratus, sive ut manibus sustentetur, sive ut præsepio deponatur, sive ut Mater illi super genua sua blandiatur, sive ut pannis constringatur; et disce debere te tuis Præpositis, Magistratibus, & cuicunq; jurisdictioni, habenti supra

te potestatem, ita subiectum & ita tractabilem esse, tanquam si infantulus esses.

Considera 4tò Alias virtutes Christi nascentis. Temperantiam & abstinentiam ipsius, modico lacte pastus est, omnium incommodorum tolerantiam, in frigore nascitur, lecti ejus asperitatem, sua Mater reclinavit eum in præsepio, & ipse in fæno jacere pertulit. Considera humilitatem DEI nascentis, descendit ad stabulum, inter animalia collocatur, Pastores suscipit, eorumq; munera non dedignatur. Considera zelum Christi, hunc ille statim ab infantia exercuit, quo die Christus natus est, ab hoc die Salvator mundi exstitit, *Natus est hodie Salvator mundi* Non verbis, sed vî quadam interna traxit ad se Pastores, & Magos suæ sanctitatis radijs illuminavit. Disce has virtutes à Duce & Magistro tuo, easq; imitari stude.

Similem tui institutionē per exempla Christi habere potes in Circumcisione ipsius. Ex qua, Christi patientiam, & carnis mortificationem usque ad sanguinis effusionem intelliges, tolerantiam item omnium confusionū, despectuum, contumeliarum. Christus peccatum non contraxit, peccatum non fecit, nulli peccato obnoxius fuit, pro peccatore tamen haberi voluit, pœnam peccati sustinuit, castigare in se peccatum, cujus non fuit reus, permisit. Ut discas, quomodo & tu carnē tuam tractare debeas, ut discas castigare in te peccata tua propria, ut discas confusiones, pœnitentias, reprehensiones, etiā sine culpa tua, patientissimè prompto animo tolerare.

Ex fuga Christi in Ægyptum, disce pati persecutiones, disce indifferentiam ad omnem locum, sisq; paratus ibi commorari, ubi spes erit major Divinæ gloriæ per te promovendæ, & DEO majus præstandi obsequium. Disce resignationem in DEI voluntatē, ejusq; omnē circa te dispositionem.

Ex remansione Christi in templo, disce affectum

fectum ad res ſpirituales, in ijſq; guſtum habere ſtude. Diſce, relictis tuis Parentibus, conſanguineis, amicis, relictô etiam mundô, ſi DEUS ad id te elegerit, exire de terra tua, de cognatione tua, & de domo Patris tui. Diſce obſequio Divino te addicere, & occupari in his, quæ ſunt Patris æterni. Diſce, poſthabitis quibuſcunq; rationibus, & reſpectibus humanis, gloriam Divinam quærere. Diſce libenter tractare res Divinas, cum doctis & Sanctis converſari, cum ijſq; ſpirtualia miſcere colloquia.

Ex vita Chriſti abſcondita, diſce tuam etiam vitam debere eſſe in Chriſto abſconditam. non debere te quærere vanitates, honores, apparentias, magnā hominū æſtimationē. Per multos vitæ ſuæ annos Chriſtus latere voluit, ut & tu latere velis, nec in publicum prodeas, niſi quando DEI gloria, vel proximi obſequium, aut boni communis amor id à te poſtulabit ; Ut ignorari, teq; pro minimo reputari velis. Chriſtus antequam mundo innoteſceret, antequam prædicationem ſui Evangelij inchoaret, creſcebat ætate, ſapientiâ, & gratiâ coram DEO & omni populo, ut ſcias, à tua ad DEUM converſione, ab infantia vitæ perfectioris, continuò te in virtute proficere, & in perfectione Chriſtiana creſcere oportere, idq; non ſolùm coram DEO, ſed etiam in oculis hominum, ut videant opera tua bona & glorificent Patrem Cæleſtem, hoc eſt, ut tuô exemplô ædificentur, & accenddantur ad DEUM glorificandum, illique ſerviendum.

Fac reflexiones, præſenti materiæ ſervientes, ſupra vitam tuam antea actam, reflexiones item ſupra vitam tuam ſequentem, qua ratione eam inſtituere debeas. Elice affectus accommodatos, Propoſita etc: Pete à Chriſto, ut ſuis exemplis addat gratiam fortem, & victricem, quæ te

excitet ad eadem quàm perfectiſſimè imitanda. Advolvere infantilibus Chriſti pedibus, eoſq; arctiſſimè complectere, lacrymis ob malè tranſactam vitam tuam profuſis ablue, benedictionemq; poſtula ad vitam aliter inſtituendam dicens. Non dimittam te ô benigniſſime JESU, niſi benedixeris mihi.

PUNCTUM II. Audi verba Chriſti Joan: 10. *Si ſermoni non creditis, propter opera quæ ego facio credite.* Atq, pro materia hujus & ſequentis puncti, aſſume doctrinam Chriſti & vitam ejuſdem, ab inchoata prædicatione Evangelij, ad tempus Paſſionis. Doctrinam hôc Punctô conſidera. Hæc quatenus ad mores & vitam rectè inſtituendam ordinatur, continet præcepta Evangelica, & ſanctiſſima Chriſti Conſilia. Præcepta obligant ſub peccato ut ſerventur, Conſilia ex ſe non obligant, promovent tamen perfectionem hominis.

Præcepta Chriſti Evangelica ſunt: de facienda pœnitentia, de dando bono exemplo alijs, de reconciliatione proximô ante muneris oblationem, de amovendis proximis occaſionibus peccandi, de diligendis inimicis, de non iraſcendo, de fugienda vana gloria, de curanda attentione in orando, de moderando affectu ad res temporales, de moderanda nimia ſolicitudine circa neceſſitates corporales, de cavendo judicio temerario, de cura ad animam pertinentium, de rerum ſpiritualium & ſacrarum reverenti tractatione, de tenenda via ſalutis, de curanda ſimplicitate, de adhibenda correctione fraterna, & ſi quæ ſunt ſimilia.

Conſilia Evangelica ſunt, de ſervanda paupertate ſpiritûs, de eſurienda & ſitienda juſtitia, de patienter ferendis perſecutionibus, de curanda perfectione, de ſequendo Chriſto, de exuendo ſeculi affectu, de exercenda humilitate, de relinquendis omnibus, & diſtribuendis pauperibus, de ſervanda virginitate

virginitate & ducenda vitâ continenti. de ponenda anima pro proximis eorumq; salute, de benefaciendo inimicis, & alia his similia.

Reflecte te supra singula sive præcepta sive Consilia Evangelica, & expende quid singula velint. Reflecte item te, an & quomodo præcepta Evangelica hactenus observaveris? & quomodo in posterum ea sis observaturus? Reflecte etiam te, quid animi habeas ad sequenda Christi consilia? In quocunq; demum statu vitæ vivis, vel victurus es, aliqua saltem Consilia Christi à te observari convenit, non est securum negligere omnia, timenda est illa Divina comminatio Prover. 1. *Despexisti omne Consilium meum. ego quoq; in interitu tuo ridebo.*

Fac proposita, convenientes elice affectus.

Punctum III. Audi illa S. Gregorii Magni verba: *Omnis Christi actio, nostra est institutio.* Et verba hæc applica exemplis & actionibus Christi quas fecit ab initio prædicationis Evangelij, ad suam usq; Passionem. Percurre aliquas &, ex illis disces plurima.

Et imprimis Considera Baptismum Christi, Per hujus susceptionem docet nos, humilitate, conciliandos esse hominum affectus, quô faciliùs ad DEUM trahi & converti possint, siquidem ipse Christus, humilitate, quia humili susceptione Baptismi Joannis, conciliavit sibi animos Discipulorum ejusdem, ut eum sequerentur. Docet item, quantum alijs etiam, ijs qui te inferiores sunt, deferre debeas, neminemq; contemnere, cùm ipse Joanni, se inferiori, tantùm detulerit, ut voluerit ab eo baptizari. Docet præterea, quòd aliorum acta, labores, pro gloria DEI susceptos, laudare; approbare, & pretium ipsorum apud alios facere conveniat, cùm ipse Christus, Baptismum Joannis, sua illius susceptione approbaverit. Docet tandem

debere te frequentare baptiſmum pænitentiæ, quem Chriſtus non eſt dedignatus ſuſcipere. Per baptiſmum hunc, tu intellige Sacramentum pœnitentiæ, actuſq; & ſtatum pœnitentiæ.

Conſidera 2*dò* Victoriam ex ſuperatis tentationibus à Chriſto reportatam. Tentavit Chriſtum dæmon triplici tentatione in deſerto. Inprimis tentavit illum gulâ. *Dic ut lapides iſti panes fiant*, Deinde tentavit eum elatione, & præſumptione, volendo ut Chriſtus DEUM tentaret, ex pinnaculo templi ſe deorſum mittendo, tandem tentavit illum idololatriâ & quadam apoſtaſiâ à DEO. Omnia regna mundi & eorum gloriam Chriſto oſtendendo & offerendo. *Hæc omnia dabo tibi ſi cadens adoraveris me.* Omnes has tentationes Chriſtus fortiſſimè ſuperavit, ſuperavit verò per actus oppoſitos. Gulam vincendo guſtu in rebus ſpiritualibus, & in verbo DEI, Præſumptionem in DEO tentando, vicit per illa verba: *non tentabis Dominum DEUM tuum*. Avaritiam & idololatriam ſuperavit adoratione veri DEI. *Dominum DEUM tuum adorabis*. Idq; hæc ſuperavit, tela tentatoris retundendo armis ex Scriptura deſumptis, dæmonem contemnendo, à ſe abigendo, nullaſq: diſceptationes cum eo habere volendo. Ex quo exemplo diſces fortitudinem in ſuperandis tentationibus, conſtantiam in reſiſtendo eiſdem, quantumvis frequentes, continuæ, & moleſtæ fuerint, diſces modum, quo ſuperare debeas.

Conſidera 3*tiò* Orationem Chriſti, quantum guſtum Chriſtus in ea habuerit, ad eam ſæpius ſe ſubtrahebat, & in ea pernoctabat. Qualiter item Chriſtus in ea ſe geſſerit, procidebat in faciem ſuam. Patri æterno ad omnia ſe offerebat, tædia ſi quæ patiebatur, invictô animô tolerabat, & orandi aſſiduitate vincebat. In oratione conformitati

cum

cum divina voluntate ſtudebat. Diſce à Chriſto hunc orandi modum & has orationis virtutes ac perfectiones.

Conſidera 4tò Converſationem, & modum agendi Chriſti cum Diſcipulis ſuis. Fuit omnibus amabilis, fuit ſvaviſſimus, exhilarabat omnes ſuo conſpectu tanti ſuos æſtimabat, ut eos non diceret ſervos, ſed amicos. Tanta inter illos vivebat humilitate, ut inter eos eſſet, quaſi qui miniſtrat. Ita fovebat eorum ad ſe fiduciam & amorem, ut Joannes ſupra pectus ejus recubuerit; ſua Doctrinâ ita animos Diſcipulorum devicerat, ut ab eo avelli non poſſent.

Conſidera 5tò Labores Apoſtolicos Chriſti, & modum agendi cum his, quorum ſalutem quærebat. Et diſce indefatigabilitatem in laboribus, diſce Miſericordiam & commiſerationem ſupra pauperes, quandoquidem Chriſtus miſeretur ſuper turbas. Diſce occaſione tuorum laborum non exigere propria commoda, non exigere reſpectus, favores aliorum, ſingularitates, cùm Chriſtus in ſuis maximis laboribus tanta incommoda paſſus ſit, ut non haberet ubi caput reclinaret. Diſce contemptum honorum, plauſuum; ſiquidem Chriſtus fugit, cum eum vellent facere Regem, ſiquidem tot & tanta patrando miracula, prohibuit hæc propalari, in Patrem æternum omnia hæc referre ſolitus. Diſce unicam in omnibus ſectari Gloriam DEI, ut DEUS clarificetur, cùm Chriſtus id ſemper intenderit & à Patre petierit; clarifica nomen tuum. Diſce æquô animô tolerare invidias, contumelias, ſiniſtras operum tuorum interpretationes, extenuationem eorum, quæ bene agis pro gloria DEI. Diſce libertatem ſpiritûs nullis reſpectibus ſuperabilem.

Reflecte te quám procul ſis ab exemplis Ducis tui, corrige in poſterum quæ corrigenda adverteris

teris, fac proposita, elice affectus.

In Colloquio pete à Christo, ut te in locum Judæ suscipiat, & suâ doctrinâ, ac exemplis efforment ex te vas electionis portans nomem suum coram gentibus.

In fine. Anima Christi, Pater noster.

DIEI VII.

Meditatio I.

De Imitatione Christi Patientis.

Præludium I. Imaginare Christum patientem, & in sua passione non solùm Patientiæ, sed etiam & aliarum virtutum exempla dantem, ad eaque sequenda te invitantem.

Præludium II. Pete à Christo gratiam, ut hæc exempla quàm perfectissimè imitari possis.

PUNCTUM I. Audi illa verba Christi Joan: 13. *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci ita & vos faciatis.* Et considera in Passione Christi plurima virtutum ejus elucere exempla, secundùm quæ efformari debent discipuli & milites ejus. Iterum decurre præcipua Passionis hujus mysteria, ac in ijs vide multiplicia virtutum Christi exempla, quæ imiteris.

Et imprimis considera orationem Christi in horto. Ante orationem Christus patitur tædia, pavores, tristitias, ut te doceat contra tædia, tristitas &c: Orationem esse præsentissimum remedium, ut scias in oratione non debere te promittere tibi consolationes, cælestisq; suavitatis abundantiam, sed potiùs te experturum ariditates & desolàtiones, neq; tamen ob hanc causam ab oratione de

ſiſtendum eſſe. Orat Chriſtus ante paſſionem ſuam, ut ſcias, nullum negotium, præcipuè arduum, & difficile, ſenſibus & ſenſualitati repugnans, debere te aggredi, abſq; prævia oratione. Maxima & optima præparatio ad omnes labores, ad quævis ardua pro DEI gloriâ agenda & patienda, eſt oratio. In hac vires & robur eſt quærendum, ut quaſcunque difficultates & moleſtias ſuperare valeas. Orat Chriſtus, & Pater æternus calicem paſſionis ipſi propinat, ut diſcas hunc maximum fructum orationis tuæ eſſe debere, ſi DEUS tibi ſuum callicem propinet, hoc eſt ſi te faciat: aliquid pro nomine ſuo pati. Ut diſcas non alias in oratione quærendas tibi eſſe conſolationes, niſi guſtum calicis Chriſti, eô omnes tuæ debent collimare intentiones, ut calicem ſalutaris de manu Domini ſuſcipias, hoc eſt, ut æquô animô feras quaſcunque cruces, flagella, amaritudines, confuſiones, contemptus, perſecutiones, quas immittet manus Domini. Orat Chriſtus, & ab Angelo de cælo confortatur, ut diſcas non eſſe tibi ſperandum, quòd ſis ab Angelo de cælo confortandus, ut tædia, mærores, triſtitias & tentationes quaſcunq; fortî animô ferre & ſuperare poſſis, niſi priùs ad orationem recurreris, Angelus etiam Chriſtum non confortat niſi orantem. Orat, & prolixiùs orat, ut tibi longior oratio & meditatio ſapiat. Prolixiùs orans Chriſtus factus eſt in agonia; oratio enim conſtans fortem te facit, facit luctatorem in agone decertantem, facit ut mundo & carni moriâris, ſoli autem DEO vivas. Hinc etiam diſce, orandum tibi eſſe ad defectionem virium, ad deliquia, ad agonem. Orans Chriſtus ſudore ſanguineo perfunditur, ut diſcas orationis beneficio te obtinere, ut tentationibus tuis uſq: ad ſanguinem reſiſtas, ut in laborando pro gloria DEI nullis ſudoribus parcas.

Con-

Considera 2dò Proditionem Christi à Juda. Proditur Christus orbis Magister, à Juda discipulo. O quanta ingratitudo ? proditur osculô, ad quod imò ad arctissimum amplexum Christus Judam admisit, ejus sceleris conscius. O quantus in Christo inimicorum amor ? Proditur post abjectionem Christi ad pedes proditoris in cænaculo factam. O quanta Judæ obstinatio ? Proditur à Juda, qui in hoc impio proposito, sanctissimum Corpus Christi, in Sacramento Eucharistiæ tunc primùm instituto, susceperat. O sacrilegium ? proditur, post Christum levissimô pretiò venditum. O depretiatio ? proditur in sensissimis Christi hostibus, nimirum, Sacerdotûm Principibus, eorum ministris, & immanissimis lictoribus. O crudelitas ? Ex hac Judæ proditione disce, debere te præparare ad omnes ingratitudines, laborum tuorum circa proximos non aliam tibi pollcearis mercedē, nisi ingratitudinem. Disce inimicos tuos affectu & amore speciali complecti, nec aliter injuriam vindicare, nisi amoris contestatione, & obsequiorum ac etiam beneficiorum exhibitione. Disce humilitate devinciendos esse peccatores, ut eos DEO lucreris, etiam tunc dum nulla cujusquam fructûs spes affulget. Disce quò deducant sacrilegia : sacrilega illa in cænaculo susceptio sacratissimi Christi Corporis, Judam ad tantam deduxit malitiam, ut Christum in mortem proderet ac deinde, ex desperatione, laqueô vitam finiret. Disce ulteriùs, ut Christi pretium quàm maximum habeas, ne Christum pro re levi, pro parvo emolumento, pro momentanea voluptate, & sensualitate vendas. Tandem ex eadem proditione disce, non debere te Christo esse meliorem, Christus maximis suis hostibus tradi voluit, & tu ubiq; hostes habiturum te noveris, si Christi volueris esse miles & Discipulus.

Fac reflexiones, affectus, & proposita materiæ accomodata.

PUNCTUM II. In alijs adhuc myſterijs Chriſti Paſſionis, exempla virtutum, à tuo Duce & Magiſtro tibi, data intuere.

Et imprimis conſidera flagellationem Chriſti. Flagellatur Chriſtus, virgis, ſpinis, catenis, unguibus, ut memineris te ad multa flagella præparari debere, multa ſiquidem ſunt flagella peccatoris. Flagellatur Chriſtus immaniſſimè, ut tu patienter feras flagella paternæ manùs. Flagellatur filius DEI, ne tibi grave videatur, ſi tu flagelleris filius iræ & ſervus peccati: Flagellatur ad columnam alligatus, ut & te tua columna, hoc eſt voluntas & beneplacitum DEI, cui te alligare debes, teneat, dum te DEUS permittet graviſſima pati & ſuſtinere flagella. Ante flagella denudatur, ut & tu tuorum defectuum denudationes æquô animô feras, imò ipſe vulnera tua medico ſpirituali, hoc eſt Confeſſario & conſcientiæ tuæ directori, forti & generoſô animô detegas. Flagellatur Chriſtus innocens, nè tu tot criminū reus, ſine flagellis eſſe velis, ne tibi in ulteriori vita, pœnitentiæ tuorumq; peccatorum pœnæ, in hac vita perferendæ, ſint graves, flagellatur toto corpore, ut & tu mortificationē ejus toto corpore circūferas.

Conſidera 2dò. Coronationem Chriſti coronâ ſpineâ. Chriſtus poſtquam contempſit coronam regalem, coronatur coronâ ſpineâ, ut cum S. Catharina Senenſi diſcas coronæ aureæ in hac vita præeligere ſpineam. Coronatur ſpinis caput tuum Chriſtus, ne tu ſub ſpinoſo capite, ſis membrum delicatum. Caput ſapientiæ æternæ ſpinas recipit in coronam, ne tu laurus appetas, & tuorum talentorum, ingenij, eruditionis, doctrinæ, eloquentiæ, activitatis pretia & æſtimationem, ne cum licentioſis juvenibus corones caput tuum roſis. Chriſtus ſepit aures ſuas ſpinis, ut & tu ſepias aures tuas adverſus omnes mundi, carnis & dæmonis ſuggeſtiones, & ad omnes tentationes obſurdeſcas.

Pro-

Profundè penetrant caput Christi spinæ, ut ex tuo capite expungant omnes vanitates, cogitationes terrenas, sensuales, mundanas. Coronatur Christus in Regem dolorum, ne tu sis voluptatum, sensualitatum, tuorumq; commodorum mancipium.

Considera 3tiò. Crucis bajulationem, fert crucem Christus, ut scias te, nisi crucem tuleris, Christi militem & discipulum esse non posse. Hæc sunt arma, quibus DEI & tuos hostes debellare te oportet. Timet crucem diabolus, sed maximè illam, quam Christum sequentes deferimus. Fert crucem Christus gravissimam, ut discas nulli cruci, etiamsi ei ferendæ te imparem judicares, si tibi à Divina manu & voluntate imponatur, humeros tuos te subducere debere. Faciet DEUS cum tentatione proventum, addet robur & vires, ut quantumvis crux gravis fuerit, illam ferre & sustinere valeas. Fert crucem Christus, ad quam secum ferendam angariari debuit Cyrenæus de villa. Tu tecum dispice, an & tu ad crucem Christi ferendam, hoc est: ad ferendas confusiones, contemptus, afflictiones, & persecutiones angariari & compelli non debeas. Si tibi crux Christi, si labores pro Christo, tua incommoda, mortificationes, & pœnitentiæ ad vindicanda peccata susceptæ, graves sunt, si ab his abhorres, tanquam à furca & ligno maledicto, si ad hæc compelli debeas, si hæc ex necessitate quadam, quòd hæc evitare non possis, non verò ex amore crucis Christi, & ex gustu in ipsa cruce, sustinere consvevisti, Cyrenæus es, idque Cyrenæus de villa, hoc est, villani, abjecti, & vilis animi. Vilis enim & abjecti animi est crucem Christi fugere, & ad eam ferendã necessitate cõpelli.

Reflecte te supra vitam tuam, supra flagella, spinas, & bajulationem crucis tibi impositæ, quô animô hæc pertuleris hactenus? & cogita quomodò tibi hæc deinceps exemplô Christi perferenda?

Fac

Fac propoſita elice affectus gratitudinis, compaſſionis, confuſionis, doloris, alioſque ſimiles.

Punctum III. Audi illa verba Exodi. 25. *Inſpice, & fac ſecundùm exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt.* Et conſidera in monte Calvariæ propoſitum tibi eſſe exemplar, cui præcipuô ſtudiô te cônformare debes. Tale exemplar eſt ipſe Chriſtus cruci pro tuâ ſalute affixus.

Ex Cruce tanquam ex Cathedra (Crux ſiquidem ſecundùm S. Auguſtinum, facta eſt Cathedra Magiſtri docentis) docet te Chriſtus, docet ſuos milites & diſcipulos, quid agere, quid in Duce ſuô imitari debeant, idque ita docet exemplô, ut doceat ſimul & verbo, imo non unô verbô, ſed ſeptem verbis, de Cruce prolatis docet, magnamque nobis conatur perſvadere perfectionem.

Orando pro crucifixoribus: *Domine dimitte illis, quia neſciunt, quid faciunt,* docet nos amorem inimicorum noſtrorum, docet orandum eſſe pro perſecutoribus noſtris, oſtèndit quales imprecationes noſtræ eſſe debeant.

Per Verbum: *DEUS DEUS meus ut quid dereliquiſti me.* docet in afflictionibus doloribus, morbis, ad Orationem confugiendum eſſe, poſtulanda tunc vel maximè Divinæ gratiæ auxilia, ne nos tunc Deus derelinquat, ne auxiliante ſuâ gratiâ deſtituat.

Per verbum: *ſitio* docet, ut ſitiamus Juſtitiam, ut ſitiamus majora & majora ſemper pro gloria Dei pati, ut deſideremus ſaturari opprobrijs, confuſionibus, ut ſitiamus perfectionem & ſalutem ſive noſtram, ſive proximorum noſtrorum.

Per Verba ad Latronem dicta: *Hodie mecum eris in Paradiſo,* docet nos, de ſalute noſtra, poſt quantacunque peccata à nobis commiſſa, non de ſperandum eſſe, ſi in toto corde ad Deum convertamur, docet in noſtris afflictionibus & doloribus,

ſpe æternæ retributionis & gloriæ animum erigendum eſſe, illudque quàm maximè à nobis curari debere, ut in ſupremo vitæ noſtræ momento audiamus à Chriſto *Hodie mecum eris in Paradiſo*:

Per Verba: *Ecce Mater tua, Ecce Filius tuus* ſecuros nos reddit, de materno SanctiſſimæDEI Parentis in nos affectu, docet etiam, quanto amore debeamus in eandem ferri? non alio ſcilicet, niſi affectu filiali tanquam in Matrem noſtram. Docet, in maximis noſtris afflictionibus, anguſtijs tribulationibus, dum videmur à DEO derelinqui, ad hanc Matrem recurrendum eſſe, docet curandum nobis eſſe, ut tantæ Matris filij eſſe mereamur, ut filialem ipſi teſtemur affectum, fiduciam, & reverentiam.

Per illa verba: *In manus tuas commendo Spiritum meum*, docet enitendum nobis eſſe, ut per hanc vitam, quâ in corpore mortali vivimus, ſpiritus noſter ſit ſemper in manibus DEI, ſit inquam per gratiam ejus ſanctificantem, ne quando per peccatum ex his manibus infeliciter elabamur; magis tamen curandum eſſe, & ſpiritum noſtrum manibus Divinis ferventiùs commendandum, in afflictionibus, doloribus & tentationibus noſtris, atque in cruce, dum hanc patimur. Maximo autem ſtudiô allaborandum eſſe, ut dum ſpiritus noſter per mortem à corpore dividetur, non in alias manus deveniat, ſed à manibus Divinis ſuſcipiatur, & in eis tota æternitate quieſcat.

Tandem per verbum, *Conſummatum eſt.* docet Chriſtus, conſummanda eſſe omnia, conſummanda eſſe ea, quæ propter DEUM, Juſtitiam, patimur, ſuumque finem acceptura. Docet, ſicut paſſionis Chriſti conſummatio præceſſiſſe debuit, ut redimeremur, ita ut ſalvemur, noſtrorum bonorum operum conſummationem neceſſariam eſſe, nec opera noſtra bona aliter nobis profutura, niſi in quantùm

quantùm consummata fuerint, hoc est, si in ipsis ad mortem perseveraverimus.

Ex eadem Crucis cathedra docet Christus exemplô milites & discipulos suos, & eosdem in præcipuis virtutibus instituit, ita ut verè dicatur, exemplar in monte nobis monstratum esse, quod nos inspicere & imitari oportet. Affigitur Cruci Christus, ut discas etiam te Cruci Christi configi debere. Vita Christiana secundùm præcepta & consilia Christi instituta, è mente S. Augustini *Crux est & Martyrium*, huic Cruci si Christianus es, affigi debes. Tribus clavis Christus suæ Cruci affixus est. Tu quoque affigi debes tribus clavis, affigi debes Fide, Spe, & Charitate, affigi debes taliter, ut unô clavô tecum simul affigatur Cruci Christi concupiscentia carnis, seu tua caro, præcipuus animæ tuæ hostis, alterô clavô ut affigatur concupiscentia oculorum, seu mundus, alter animæ hostis, tertiô clavô ut cruci affigatur superbia vitæ, seu diabolus. Porro Christi & tuæ Cruci affiges concupiscentiam carnis, si renuntiaveris carnis voluptatibus, saltem illicitis, sensualitatibus immoderatis, nimio commodorum appetitui, affiges Cruci concupiscentiam oculorum seu mundum, si inordinatum affectum ad divitias & rerum omnium affluentiam exueris, affiges Cruci superbiam vitæ, contemnendo propter Christum honores, æstimationem, apud homines, favores & rèspectus, omnesque vanitates. Tres clavi affigentes Cruci carnem mundum & diabolum, debent esse, mortificatio carnis, Paupertas Spiritûs, humilitas.

Christus in sua Cruce ita constanter perstitit, in eaque mortuus est, ut nullis irrisionibus, contumelijs opprobrijs, nullis promissionibus induci potuerit, ut de Cruce descenderet. Disce exemplô Magistri tui & tibi in cruce fortiter permanendum esse, nec unquam de cruce descendendum. Propo-

sita tua, quæ statuisti, ita tibi exequenda sunt, ita in eorum executione persistendum, & perseverandum est, ut nullis virtutis tuæ irrisionibus, nullis persvasionibus, à benè cæptis retraharis, ut in vita Christiana, præceptis & consil'js confromi tanquam in Cruce, cui te affixisti, superatis quibuscumque tentationibus, ad mortem usque perseveres.

In Colloquio statue ante oculos tuos Christum durissimæ Cruci, amore tui affixum, sangvinē ex sacris vulneribus ac toto corpore copiosissimè profluentem: Intuere invictâ patientiâ sustinentem crudelissimæ mortis suppliciū & inclinato capite morientem. Audi etiam de cruce clamantem & te alloquentem. Vide homo quæ pro te patior, ad te clamo qui pro te morior. Eique supplica humillimè ut tali & tam dolentî spectaculo movearis ad detestanda & deflenda peccata tua, ad illum ipsum propter te cruci affixum, toto cordis affectu amandum; ut etiam Doctrina sapientissimi hujus Magistri, ex Crucis cathedra tibi tradita, cordi tuo altè infixa hæreat. eamque exequi studeas, tandem ut patientiæ, aliarumque virtutum Christi, patientis & morientis exempla quàm perfectissime imiteris & cum ipso in Cruce ad mortem usque perseveres.

In fine, Anima Christi.

Meditatio II.
De Resurrectione & Ascensione Christi ac de Spiritûs S. missione.

Præludium 1 Imaginare quod spectes gloriam Christi resurgentis, in cœlū ascendentis atq; in dextera Patris sedentis, & Spiritū S. imittentis in discipulos

Præludi-

Præludium 2 Postula gratiam ut ex hac Christi gloria & Spiritûs S. missione, derives aliquid in bonum animæ tuæ.

Punctum I. Audi illa verba Pauli Apostoli ad Roman. 6. *Quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Et considera Resurrectionem Christi, ejusque modum debere esse exemplar & ideam novitatis vitæ, in qua omnes quidē Christiani, sed maximè illi qui exercitia S. Patris Ignatij peragunt, & ex ipsis sunt prodituri, ambulare debent. Quod ut meliùs assequaris, expende proprietates & circumstantias Resurrectionis Christi, ex his enim cognitis, intelliges, qualis vitæ tuæ novitas esse debeat, & quomodo in hac tibi sit ambulandum?

Et *Inprimis* Noveris Resurrectionem Christi fuisse veram, juxta illud: *Surrexit Dominus verè*, non fuisse verò resurrectionem phantasticam, simulatam, & apparentem, non fuisse talem, qualis existimatur fuisse resurrectio Samuelis, dum hic in gratiam Regis Saul à Pythonissa fuit suscitatus.

Unde colliges etiam novitatem vitæ tuæ non debere esse fictam, apparentem, & simulatam, sed debere te ambulare in novitate vera, hoc est conjuncta cum vera mutatione morum & actionum tuarum.

2*dò* Resurrectio Christi à mortuis fuit perfecta & stabilis, hoc est talis, ut Christus post illam ampliùs non moreretur, qualis futura est resurrectio omnium Beatorum pro die Judicij, qui tunc ita resurgent, ut ampliùs non sint morituri. Non fuisse verò Resurrectionem Christi similem resurrectioni Lazari, aut alicujus alterius à Christo vel quopiam Sancto resuscitati, siquidem hi iterum mortui sunt, de Christo autem canit Ecclesia. *Christus resurgens à mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* In tali & tu ambula novi-

tate scilicet in novitate perfecta, in novitate stabili & immutabili, ut stabiliter Christo adhæreas, præcepta & consilia ejus sequaris, ejus vestibus & insignibus induaris, ut ea, quæ tibi in his exercitijs Deus inspiravit, sanctè exequaris, & constanter in ijs exequendis perseveres, ut gratiæ tibi datæ & dandæ fortitudo in vincendis tentationibus, & debellandis animæ tuæ hostibus sit perpetua, indefectibilis, & nullâ unquam vetustate corrumpenda. 3*tiò* Christus surrexit cum quatuor dotibus gloriosi sui corporis, scilicet cum claritate, subtilite, seu penetrabilitate, agilitate & impassibilitate. Similes dotes requirit vitæ tuæ novitas, in qua ambulare debes, requirit claritatem exclusivam profunditatis & obscuritatis animi, hoc est talem claritatem, ex vi cujus tua conscientia & interior animæ tuæ status confessario, Conscientiæ tuæ directori, ac etiam Superiori si quem nactus es, vel nactus fueris, clarissimè pateat. Requirit item eadem novitas vitæ tuæ subtilitatem & penetrabilitatem. Ratione talis dotis, Christus habuit, ut nullum corpus illi obsisteret, nihilque impediret, quominùs de loco quocunque in alium quô vellet, se transferret, omniaque ipsi pervia essent. Et tu ex his exercitijs subtilitatem & penetrabilitatem efferre debes, ut caro spiritui rebellis, sensualitas tua, affectus terreni, in Dei servitio & continuô in virtute progressu, te non impediant, ut nullæ difficultates obsistant, nihilque sit quod te in via salutis & perfectionis retardet, sed omnia tuæ fortitudini & magnanimitati sint pervia. Ulteriùs resurrectio Christi habuit dotem agilitatis ex vi cujus, Christus velocissimè ex uno loco in alium quantumcunque distantem transire potuit. Similem agilitatem debet habere novitas vitæ tuæ, ut in te nullus reperiatur torpor, ut tepiditas & acedia locum non habeat, sed ut ambules in fervore spiritûs ut sis promptus

ptus ad omnia, ad quæ te Deus ſuis inſpirationibus & motionibus vocat, & Spiritûs Sancti impellit gratia. Tandem Chriſti reſurgentis Corpus Sanctiſſimum, habuit dotem impaſſibilitatis, quòd nullis vulneribus, doloribus, injurijs, nulli corruptioni eſſet obnoxium. Similem impaſſibilitatem novitas vitæ tuæ habere debet, ut virtus & perfectio tua, nullâ re lædi, & ne in minimo quidem offendi imminui aut corrumpi poſſit, ut illi nihil prorſus noceat non noceant prava aliorū exēpla, non occaſiones non converſationes nocumentum quodpiā afferant non linguæ malevolorum, non criſes, & cenſurationes, non ulli reſpectus humani.

4*to* Chriſtus poſtquam ſurrexit à mortuis Matri ſuæ Sanctiſſimæ inprimis apparuit, viſendum etiam ſe præbuit Petro & Magdalenæ pœnitentibus, Diſcipulos ad ſepulchrum currentes de reſurrectione ſuâ edocuit, laborantibus adfuit, ſpiritualia colloquentibus, comitem ſe adjunxit.

In tali novitate & tibi eſt ambulandum, ut ſæpius ante Beatiſſimam Virginem compareas, affectum ad eam filialem induas, vitæque tuæ emendatione eam ſolari & ipſi placere velis. Ut laxiorum & diſſolutorum familiaritatem & converſationem fugias, illis verò te communices quos verè emendatos & pœnitentes, atque cum Deo conjunctos conſpicies. Ut laborioſis, in via virtutis currentibus, & charitatem atque animorum unionem amantibus, te familiarem reddas. Tandem ut ijs qui ſpiritualia tractant, & coloquuntur de rebus Divinis, ſocium te libenter adjungas, ac eorum converſatione delecteris.

5*tò* denique Chriſtus reſurgit à mortuis, cum 5. vulnerum ſuorum ſacris ſtigmatibus ſeu clavorum & lanceæ ſignis, ac veſtigijs in corpore ſuo glorioſo relictis. Per quod docemur, novitatem vitæ noſtræ non futuram ſimilem & conformem reſur-

rectioni Christi, nisi stigmata Domini nostri Jesu Christi in corpore nostro portaverimus. Stigmata Christi in nobis expressa, hoc est continua & in rebus omnibus quæsita corporis mortificatio, probat quod in vitæ novitate ambulemus.

Ille in novitate vitæ conformi resurrectioni Christi ambulat, cujus manus, dura & aspera, ac labores pro gloria Dei graviores non refugiunt, & per hoc ipsum ostendunt se esse perforatas, ac signatas cicatricibus. Cujus pedes vulnerati declarant, quod via virtutis, spinis ac vepribus horrente incedant. Cujus latus apertum, clamat se esse cruentam amoris sedem.

His consideratis reflecte te, qualis vitæ tuæ novitas sit futura abhinc, & cum qua novitate ex his collectionibus es prodirurus; certè cum novitate vitæ est tibi hinc prodeundum. Christus surrexit, ut suam virtutem Divinam ostenderet juxta promissionem illam; *Solvite templum hoc & in triduo reædificabo illud*, pariter vitæ tuæ novitas ostendet, an virtute Divinâ gratiæ ipsius in te sit reædificatum templum Spiritûs S? quod per tuam licentiosam legibusque Divinis difformem vitam destructum fuerat. De Christo dicit Apostolus Paulus: Si Christus non surrexit, inanis est prædicatio. Nisi & tu in novitate vitæ ex his collectionibus prodieris, vana est S. Patris mei Ignatij per hæc exertia prædicatio, inanis labor gratiæ Divinæ. Ut Christus resurgeret, inter alia, etiam hoc incentivum & motivum fuit, ut expleret vota & satisfaceret exspectationi Matris suæ Sanctissimæ, & sua resurrectione afferret eidem solatium, ut item satisfaceret exspectationi Apostolorum, aliorumque Discipulorum, & omnium Credentium. Pariter & tuam Resurrectionem & vitæ novitatem exspectat Mater Dei Beatissima, expectat S. Angelus Custos, SS. Patroni tui, expectat tota Curia cœlestis,

ſtis, ex ſeria & conſtanti tua ad Deum converſione & vitæ in melius reformatione, gaudium & ſolatium acceptura.

Excita te ad hanc vitæ novitatem, in eaque te ab hinc ambulaturũ, forti & invicto animo ſtatue, atque à Chriſto Reſurgente poſtula, ut virtute ſuæ Reſurrectionis faciat te in novitate vitæ ambulare.

Punctum II. Audi Verba Deuteron. 32. *ſicut aquila provocans ad volandum pullos ſuos & ſuper eos volitans, expandit alas ſuas.* Et cogita Chriſtum in glorioſa ſua Aſcenſione eſſe veluti aquilam magnarum alarum. Aquila hæc expandit alas, quatenus aſcendit in Cœlum elevatis manibus. Volitat autem ſuper pullos ſuos, quia ſpectantibus, Apoſtolis & diſcipulis levatur in Cœlum. Eadem aquila provocat ad volandum, dum corda noſtra ſecum in cœlum trahit, & ſuo exemplo docet, ut aſcendamus, & quomodo aſcendere debeamus. Immorare pauliſper contemplationi Aſcenſionis Chriſti &.

Conſidera ulteriùs *imò* Chriſtum in cœlum aſcendere corpore, ut tu aſcendas corde, prout Chriſtianos omnes adhortatur. Auguſtinus. *Aſcendamus cum Chriſto interim corde: cum dies ejus promiſſus advenerit, ſequemur & corpore.* Porro aſcendes corde in cœlum, ſi aſcenſiones diſpoſueris in corde tuo, quas ipſas diſpones, continuo in virtute & perfectione creſcendo, eundo de virtute in virtutem. Diſpones, aſcenſiones in corde, ſi per Meditationem æternorum & Cœleſtium, cor tuum illuc aſcendit, quod in cor hominis non aſcendit. Diſponimus aſcenſiones in corde ſi ibi noſtra fixa ſunt corda, ubi vera ſunt gaudia. Aſcendis corde in cælum per frequentes mentis ad Deum elevationes. Quas ipſas aſcenſiones etiam nunc diſpone, ſtatuendo frequentem talium elevationum uſum,

per usurpatas orationes ejaculatorias, frequentes intentionis renovationes, & per sæpius elicitos breves actus amoris DEI, Fidei, Spei, contritionis, desiderij videndi DEUM aliosque similes. Ascendis corde; si ex occursu cujuscunque creaturæ accipis occasionem, DEUM Creatorē laudandi, glorificandi, & super omnia amandi. Tandem ascendis corde, dum non adhæres affectu ad res terrenas & sensuales, sed hunc à terra omnino avellis & abstrahis ut liberiùs amore tuo & mente in DEUM ferri possis.

Considera 2dò Quòd Christus ascenderit in cælū, impressis & relictis in monte, ex quo ascendit, vestigijs pedum suorum, ut scias vestigijs Ducis tui, per illius perfectam imitationem insistendum esse. Vestigia hæc ostendunt viam, quâ ad astra eundum est, quâ nisi iveris, cum Christo nunquam ascendes. Porro vestigia à Christo relicta, sunt via Crucis, via Mortificationis, hâc enim Christus in cœlū ivit, hanc tibi Christus reliquit, ut sequaris vestigia ejus.

Considera 3tiò Christum in cœlos ascendisse elevatis manibus, unde disces ascendere cum Christo non posse eos, quorum manus sunt remissæ, & langventes, verùm manus ejus, qui vult cum Christo ascendere, elevatas esse debere, hoc est ferventes in opere, & omnia instanter agentes. Manus ascendentis in cœlum non debent ad terram demitti, non debent extendi ad iniquitatem, sed debent elevari per sublimes intentiones, per actus meritorios intensos, heroicos, ea operando quæ Angelorum ministerio ante DEI conspectum deferri, DEOque præsentari possunt. Ascendit Christus elevatis manibus, quia in illis cicatrices ferebat, quas Patri æterno præsentaret. Quia in manibus ferebat thesaurum meritorum suorum. Tu etiam si cœlum ascendere desideras, vacuis manibus ne compareas, debes multa aggregare, quæ in tuis manibus & manipulis feras. Ad Cœlum ascendentes veniunt

unt cum exultatione portantes manipulos suos.

Considera 4tò Christus ascendit, nube illum suscipiente ab oculis Discipulorum, per quod docet, ut & tu ascendas, necessarium esse, ut nubes illa Sanctissima, quæ nobis in carne humana, velatum Deum depluit, hoc est Beatissima Dei Parens, te suscipiat, & materno complectatur affectu, suáque intercessione in cœlum attollat. Docet etiam tunc te cum Christo ascensurum, si latueris, & latere volueris, si gloriam mundi contempseris, si multa tua bona opera & mortificationes latere volueris.

Considera 5tò. Christus ascendit videntibus Discipulis & in cœlũ euntẽ intuentibus, ne tu tibi frustra blandiaris, de tuo in cœlum & ad magnam perfectionem ascensu, si non ascendas videntibus alijs, hoc est si tua virtus non emicat exteriùs, si bonô exemplô non præluces alijs. Necessarium quidem est, ut multa tua bona opera sint nube tecta, ut sint in abscondito, qualiter tectæ esse debent mortificationes, & plura opera tua bona, tuæ libertati plenè relicta, cæterùm simul est necessarium, ut illa opera, quæ sunt præcepta, & ad quæ, aliquâ ratione multis communi, obligaris, videantur ab alijs, fiantque illis videntibus. Ascendit Christus in cælum videntibus discipulis, non est enim difficile ascendere in cælũ, inter homines spirituales cælestia meditantes, Deum & cœlum intuentes. At inter eos, quorum oculi sunt in finibus terræ, inter homines vanitatem, commoda sensualia spectantes & sectantes, inter eos qui terrena sapiunt, qui terræ & carni immersi sunt, ascensus in cælum est difficilis, & vix non impossibilis juxta illud *Cum Sancto Sanctus eris, cum perverso perverteris.*

Considera 6tò Ascendit Christus loquens de Regno Dei. Loquentes enim vana, secularia, terrena &c. non ascendent. Hoc est indicium, quod quis cum Christo ascendat in cælum per communiones

niones Sacras, usum Sacramentorum, pia opera, Examina conscientiæ, meditationes rerum cælestium, si in confessibus libenter audiat & loquatur de Regno Dei, de rebus Divinis, de rebus ad salutem spectantibus.

Considera 7mò Christus ascendens captivam duxit captivitatem. Etiam tu, ut cum Christo ascendas, per frequentes actus fidei, captiva intellectum tuum in obsequium fidei, ut ascendas per actus aliarum virtutum, per observationem præceptorum DEI, & quarumcunq; legum, captiva voluntatem, intellectum, potentias, & sensus omnes, in obsequium legis & voluntatis Divinæ. Si voluntas tua, sensus, passiones, & quæcunq; potentiæ aliæ gemunt in captivitate dæmonis, educ eas ex hac captivitate. Educ hos captivos è domo carceris, ita enim fiet ut ascendens captivam ducas captivitatem.

Considera 8vò. Christus asendens ita ascendit, ut ipse sit qui & descendit in inferiores partes terræ, ut loquitur Apostolus. Et tunc maximè te ascensurum noveris, si te humiliaveris, si per demissionem & vilem tui æstimationem descenderis infra omnes. Tunc ascendes in cælum; dum descendes in inferiores partes terræ, hoc est in sepulchrum, & infernum, per fructuosam mortis & pœnarum inferni considerationem.

Tandem eodem Apostolo attestante: *Christus ascendit, ut impleat omnia:* Ad ascensum enim requiritur, ut quis impleat omnia, quæ in lege sunt, ut nullus apex de lege prætereat, ut impleat omnem Justitiam, qui hæc non implet, is descendit, non ascendit.

Reflecte te supra ascensus tuos, reflecte te supra vitam tuam præteritam, ut defleas errata tua, & supra vitam futuram, ut scias quâ ratione tibi cum Christo sit ascendendum.

Elice

Elice affectus materiæ servientes, tandem à Christo ascendente postula ut jubeat te suis vestigijs ad se ascendere, ut te in hoc ascensu potenti suâ gratiâ juvet, & cor tuum secum in cælum trahat.

PUNCTUM III. Audi Christum per Prophetam dicentem Ezech: 36. *Dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri.* Atq; hæc verba missioni Spiritûs S. in Apostolos accōmoda, eàq; de tali missione intellige. Circa quàm

Considera 1mo Spiritum S. etiamsi sit coæternus Patri & Filio, ab ipsisq; ab æterno procedat, dici tamen Spiritum novum, tum ex eo quòd venerit, cum tanta gratiæ, aliorumq; donorum plenitudine, cum qua nunquam ante venerit in veteri lege, tum ex eo quòd Spiritus S. venerit in Apostolos cum nova lege Christi, cum lege gratiæ, per quam abolita est lex vetus, tum ex eo; quòd Spiritu sancto adveniente, nova facta sint omnia, quòd tunc maximè Spiritus S. orbi innotuerit. Quia item venit in forma insolitâ, venit in igne corda purificante, venit in lingvis igneis & dispertitis.

Considera 2dò Cum descensu Spiritûs S. in Apostolos, datū esse ijsdem cor novum. Ante adventum Spiritûs S. Apostoli propter metum erant in unum congregati, unius domûs angustijs continebantur, pedem inde efferre non audebant.: excordes erant & sine corde. Adveniente Spiritu Sancto datum est illis cor novum, quia datum est animi robur ad superandas quascunque difficultates, ad tolerandas persecutiones, ad respectus contemnendos, tormenta quævis sustinenda, & mortem pro Christo fortiter subeundam. Datum est illis cor novum, quia cor docile, Spiritus Sanctus docuit eos omnem veritatem, docuit omnia. Datum est illis cor novum, quia cor sanctum, virtuosum

cor amore DEI æstuans, ardens & flagrans zelo animarum, studio propagandi gloriam DEI, desideriô fundendi sanguinem pro Christo.

His consideratis reflecte te supra Exercitia spiritualia S. P. IGNATII quæ agis, & ex parte majore egisti. Tempus hoc, tempus illud fuit quô Christus daturus tibi erat spiritum novum. An hic spiritus in te descenderit, tecum dispice. Accepisti plenitudinem gratiarum, si merita cumulâsti, si gratiam sanctificantem & alia dona habitualia auxisti, si gratias illustrantes & excitantes plures tibi contulit DEUS, si inspiravit proposita practica & efficacia, si ad hæc exequenda contulit robur & animum. Accepisti spiritum novum, si deinceps vives & animaberis spiritu novo, juxta legem gratiæ, juxta legem Christi, juxta legem quam Digitus Paternæ dexteræ Spiritus Sanctus, per inspirationem sanctorum luminum, propositorum, per electionem status, vel certè sanctioris vitæ, intra tuum statum, in tabulis cordis tui descripsit. Accepisti spiritum novum, si in igne, hoc est in fervore, in magnis ardoribus & Divini amoris incendijs descendit in te Spiritus Sanctus, si igne hoc, & lingva & cor tuum fuerint purgata.

Reflecte te deinde an acceperis cor novum, hoc est contra omnia adversa obduratum, nullis cedens difficultatibus, in viâ virtutis & perfectionis occurrentibus, an acceperis tantum animi robur, ut omnes pusillanimitates, vanos metus; humanos respectus superare valeas; An acceperis cor docile, an practicè cognoveris, quis finis sit tuæ creationis? quæ obligatio serviendi DEO, ipsum amandi, imitandi Christū, quis finis, quæ obligatio hominis Christiani? quæ necessitas vivendi Christianè?

An acceperis cor virtuosum? esne indutus vir-

tute

tute ex alto ? An flagras amore DEI ? zelo propriæ perfectionis ? zelo salutis animarum ? desiderio promovendæ gloriæ DEI? fundendi pro Christo sangvinis ?

Fac proposita & defectus toto hoc tempore commissos per ferventem exercitiorum decursum corrigere stude.

In colloquio invita ad cor tuum Spiritum Sanctum, & postula, ut cùm gratiis copiosissimis in te descendat, atq; cor novum in te creet, cor illius ipsius igne ardens & æstuans.

In fine Veni Sancte Spiritus.

Meditatio III.

De gloria Cælesti, & æterna Beatitudine.

Præludium 1. Imaginare S. Stephanum Protomartyrem, dum lapidaretur, contemplantem gloriam cælestem & in cælis apertis intuentem Dominum JESUM stantem à dextris virtutis DEI, taliq; contemplatione animatum, mortem fortiter subijsse.

Præludium 2*dum* Pete à DEO ut exemplô S. Protomartyris, ita contempleris gloriam Sanctorum, ut accendaris ad perferenda quævis adversa, & ad fortiter ac strenuè cum hoste animæ tuæ decertandum.

PUNCTUM I. Audi illa verba Psal: 86. *Gloriosa dicta sunt de te civitas DEI*, Audi item illam definitionem communem Beatitudinis: Beatitudo est status omnium bonorum agregatione perfectus. Et considera gloriàm illam Beatorum, quam DEUS præparavit diligentibus se, tantam esse, ut quamvis non possit pro merito magni-

tudo

tudo ejus explicari, juxta illud Apostoli : *Nec occulus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit DEUS diligentibus se.* De illa nihilominus quidquid gloriosi est dicibile, non im meritò dici debeat. Quodcunq; bonum verè ac propriè tale, nulli inhonestati, turpitudini, aut malitiæ permistum cogitari potest, illud in illa sanctorum beatitudine & gloria reperiri censendum est, si non in se formaliter, saltem in aliquo eminentiore & perfectiore. Quod ut meliùs assequaris,

Expende 1*mò* In illà beatitudine & gloria Sanctorum, nihil aliud futurum, nisi solum & purum bonum, hoc est nullam habens admistonem miseriæ. Hic dum vivimus, versamur in valle lacrymarum. Ipsa gaudia & solatia, lacrymas ex oculis nostris eliciunt. In illa gloria, *Absterget DEUS omnem lacrymam ab oculis sanctorum.* In hac vità sumus inter continuas mortes, inter multa pericula, inter insidias, latrocinia. Continuò nobis luctandum est cum hostibus animæ, ipsorum insultus ita nobis molesti sunt, ut tædeat nos plerumq vivere; morbis continuò affligimur, egestatem patimur, in siti, famè, frigore, nuditate, totq; alijs miserijs vitam præsentem ducimus, gravibus obruimur laboribus, pascimur pane in sudore vultûs nostri, tot & tantis ærumnis incessanter concutimur. In patria illa cælesti *neq: mors neq: luctus, neq; clamor neq; dolor erit ultra.* Summa ibi securitas, pax perpetua, magna tranquillitas. Ibi thesauri indeficientes, ad quos fur non appropiat, & quos nec tinea nec rubigo corrumpit. Ibi ver perpetuum, requies opulenta. Ibi sancti requiescent à laboribus suis, ibi exultabunt, sicut qui exultant in messe, nullus ibi contemptus sed summus honor.

Expende 2dò Magnitudinem illorum præmiorum

miorum, in hoc etiam futuram: Quòd ſtatus ille Beatorum complectetur omnes non quidem brutales, ſeu homini cum brutis cōmunes, ad quas, ex corruptione naturæ per peccatum vitiatæ, inclinamur, ſed complectetur alias voluptates ordinis altioris, exuperantes omnem ſenſum. Quidquid te honeſtè oblectare poteſt, totum id eminenter continebit ſtatus ille beatitudinis. Imaginare hortorum, pratorum, fontium amænitatem. Patria illa cæleſtis erit paradiſus amæniſſimus, conſitus pulcherrimis floribus, arboribus ſemper virentibus, maturos eoſq; ſuaviſſimos fructus ſpargentibus; ibi paſcetur agnus inter lilia, reperietur illic fons ſaliens in vitam æternam. Imaginare urbium, palatiorum, ſplendores. Illam cæleſtem Jeruſalem bene deſcriptam habes in Apocalipſi S. Joannis. Ipſa *Civitas aurum mundum ſimile vitro mundo, & fundamenta muri civitatis omni pretioſo lapide ornata, & duodecim portæ duodecim margaritæ ſunt. & platea civitatis erit aurum mundum tanquam vitrum pellucidum.* Manſiones ibi ampliſſimæ & plurimæ, ſinguli Beati ſplendiſſima palatia, imò ampliſſima & opulentiſſima regna poſſidebunt. Imaginare ulteriùs lauta & ſplendida convivia. In illa cæleſti Patria celebrabuntur nuptiæ agni. Homo DEUS faciet cænam magnam, aſſidebunt beati menſæ exquiſitiſſimis inſtructæ dapibus. Ipſe tunc Chriſtus præcinget ſe & miniſtrabit, epulabuntur omnes in conſpectu DEI, propinabitur illis vinum germinans virgines, bibent Sancti de illo genimine vitis, de quo ſe bibiturum, in regno Patris ſui, ipſe Chriſtus appromiſit. *Torrente voluptatis potabit DEUS electos ſuos, & illi inebriabuntur ab ubertate domûs DEI.* Imaginare concentus ſvaviſſimos, aures & animum demulcentes, In cœlo concentus Angelici audientur, ibi omnis generis muſica perſonabunt inſtrumenta, ibi can-

ticum audietur, quod solæ virgines cantare poterunt. Imaginare conversationes doctas, gratas, amænas, honestas. Jn cœlo conversationes erunt nobilissimæ, quia cum solis Regibus & principibus, cum hæredibus cœli, regni ac etiam DEI filijs, imò cum ipso Christo, beatissima DEI Matre, & quod maximum est, cum ipsa sanctissima Trinitate. conversationes illæ sunt futuræ doctissimæ, quia cùm sapientissimis, quorum unusquisq; erit plusquàm Salomon, intuitivè enim DEUM videndo quisq; Sanctorum cognoscet clarissimè omnia, quæcunq; ad ejus perfectam beatitudinem scitu erunt digna & necessaria. Conversationes illæ erunt amænissimæ, quia cum personis gratissimis; quisq; Beatorum erit conformis imagini filij DEI, qui est speciosus formâ præ filijs hominum. Quia cùm personis summè felicibus, quia erunt inter Sanctos summo amore mutuò se prosequentes, & arctissimâ conjunctos amicitiâ; erunt conversationes honestissimæ, quia inter Beatos DEO ipsi immersos, DEUM mente continuò versantes, & ejus voluntati, quæ est suprema omnis honestatis regula, maximè conformes. Tandem imaginare quæcunq; cogitabilia bona, status ille beatudinis omnium horum bonorum aggregatione erit perfectus.

Expende 3tiò Magnitudinem illam beatitudinis, derivandam in omnes Beatorum sensus. Visus fruetur conspectu sanctissimæ Christi Humanitatis jam glorificatæ, conspectu Matris DEI Beatissimæ exaltatæ supra omnes Angelorum choros, conspectu corporum glorificatorum Sanctorum. Videbimus gloriosa Martyrum vulnera pro Christo tolerata. Videbimus corpora illorum Sanctorum, eorumq; gloriam, quibus in terris specialiùs afficiebamur, quibus conviximus. Fruetur insuper Visus ineffabili illa claritate, splendore, Ma-

jestate

jeſtate, opulentiâ cæleſtis illius Jeruſalem.

Auditus ſvaviſſimis concentibus recreabitur concentu illius triſagij: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus; illius cantici quod canent Virgines Agnum ſequentes. Recreabitur auditus, dum percipiet continuas jubilationes, exultationes, glorificationes DEI, mutuas inter Sanctos tantæ felicitatis gratulationes. Guſtus fruetur nectare illo cæleſti, illa ineffabili ſvavitate convivii, nuptiarum Agni & cænæ magnæ. Odoratus ſatiabitur ſvaviſſimo odore omnis generis florum, aromatum, lignorum, ſatiabitur odore gratiſſimo, quem glorificata Sanctorum afflabunt corpora; odore illo Incenſorum, quæ inceſſanter DEO offeruntur. Tactus demum ſuam voluptatem habebit tum ex dotibus glorificati corporis, tum ex pretioſiſſimis veſtibus, quibus tegentur corpora Sanctorum, tum ex reclinatorijs moliter ſtratis, in quibus corpora Sanctorum requieſcent,

Expende 4tò & conſidera felicitatem illam etiam in potentias animæ derivandam, etiam hæ ſuis diffluent delicijs. memoria recordatione tot DEI beneficiorũ ſibi in vitâ conceſſorũ tot mediorum ſalutis à DEo benigniſſimè proviſorum, boniq; ſui eorundem uſus; recordatione illorum periculorum, ex quibus miſericordiâ DEI erepti ſunt. Dicentq; exultantes Beati: *laqueus contritus eſt & nos liberati ſumus* Recordatione præterea brevium vitæ hujus ærumnarum, quæ tantæ felicitatis càuſa ipſis exſtitêre, eritq; tunc dulce meminiſſe quod hic dulce fuit pati. Intellectus ſummam habebit felicitatem & beatitudinem ex DEO viſo, ſeu clarè & intuitivé cognito, ex cognita intuitivè eſſentia DEI, attributis & perfectionibus Divinis ex viſis omnibus & ſingulis Sanctiſſimæ Trinitatis Perſonis. Ex cognitione altiſſimorum circa ſe conſiliorum DEI. Ex cognitione ſeriei

N2 præ-

prædestinationis, & gratiarum, per quas DEUS te salutem consequi voluit. Percipiet præterea intellectus felicitatem ex cognitione clara & perfecta tot & tam variarum creaturarum, naturæ & proprietatum earundem, ex cognitione meritorum Christi, omnium actuum elicitorum ab ejusdem humanitate, ex cognitione gratiæ sanctificantis, & aliorum donorum collatorum Beatissimæ, totq; alijs Sanctis. Fruetur intellectus magna voluptate ex apprehensione suæ aliorumq; Beatorum felicitatis. Ex illis judicijs, quibus approbabit quæcunq; ante recta judicabat, quibus judicabit quàm vana & vilia fuerint, propter quæ multi exciderunt ab æterna felicitate, quàm item modica illa fuerint? quàm leves & exigui labores ? pro quibus illi tam copiosa retribuitur merces. Fruetur adhuc intellectus singulari voluptate ex discursibus & illationibus, quas tunc circa salutem suam formabit, quomodò à fine suo excidisset, si certis occasionibus se non subduxisset, si alium vitæ statum elegisset, si non vixisset juxta statum ad quem vocatus est, si certos defectus non præcavisset, non correxisset. Tandem voluntas perfruetur ineffabili gaudio, & sui appetitûs summè expletivo, ex amore summi Boni, scilicet DEI per intuitivam visionem cogniti, & gaudiô quô superabundabit de tanto possesso bono, perfruetur item singulari voluptate ex amore sanctissimæ Christi Humanitatis, pretiosissimæ DEI Parentis, Sanctorumq; aliorum ejusdem secum beatitudinis consortium; ex variarum virtutum actibus statui illi beatitudinis non repugnantibus, quos voluntas Beati tunc eliciet; ex summa sua conformitate cum Divina voluntate, ex implacabili adversus peccata & reprobos odiô.

Expende 5tò et postremò quòd Beatitudo illa Sanctorum, duplicem complectetur partialem beatitudinem. unam quâ beatificabuntur ipsæ animæ

nimæ Sanctorum, alteram quâ post resurrectionem corporum ipsa etiam Sanctorum corpora glorificabuntur. 1*ma* Consistit in visione clara & intuitiva DEI, quâ DEUM videbimus facie ad faciem, & in amore fruitivo DEI. Visione hac DEI & amore reddentur Beati summè felices, his plenissimè explebitur ipsorum appetitus, contemplatione summæ illius pulchritudinis increatæ ita abripientur, ut nihil aliud possit illos oblectare, quòd non sit conjunctum & compossibile cum tali visione. Vi talis beatitudinis Sancti efficientur similes DEO, in seipso felicissimo, *cùm apparuerit, similes ei erimus quoniam videbimus eum sicuti est.* Per illam DEI, visionem & amorem, introibimus in potentias Domini, DEO perfectè uniemur, imò in DEUM quodammodò transformabimur. Altera partialis beatitudo consistit in glorificatione ipsa corporum, hoc est in quatuor dotibus gloriosi corporis, & in felicitate in ipsos sensus & potentias exteriores derivanda.

His consideratis, cogita & conclude apud te 1*mò* quòd non sint condignæ passiones hujus temporis ad futuram illam gloriam, quòd quævis adversa magno animô sint tibi perpetienda, ut illam gloriam cœlestem assequaris, quòd omnî studiô curare debeas, ne ab illa Beatitudine excludaris. Conclude 2*dò* Cœlum tibi contemplanti, & magnitudinem præmij illius cœlestis consideranti, quantum omnia terrena, transitoria, sensualia vilescere & sordere debeant, sicut sordebant meo sancto Patri IGNATIO, cujus frequens ille actus erat; *sordet mihi terra, dum cœlum aspicio.* Quòd item infelicem te existimare debeas, quamdiu felicitate illa non potiris, *infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?*

Conclude 3*tò*. Quàm meritò conversatio tua in cœlis continua esse debeat, quòd ibi opor-

teat corda fixa esse, ubi vera sunt gaudia. conclude *postremò* quantùm tibi aspirandum, quô desideriô anhelandum ad supernam illam Patriam, quantùm tibi mors sit exoptanda, ut quàm primum DEO frui possis, quàm familiaris ille actus Apostoli esse debeat: *Cupio dissolvi & esse cum Christo.*

Fac proposita materiæ præsenti servientia, et pete, ut DEUS, amore Patriæ illius cœlestis, te plenè ad se trahat, ut spe illius gloriæ te roboret, & accendat ad fortiter contemnendas transitorias, sensuales voluptates, & ad strenuè pro illa gloria decertandum.

PUNCTUM II. Audi illa verba 1mâ ad corinth. 15. *Alia est claritas solis, & alia lunæ, & alia claritas stellarum, stella enim à stella differt, sic & resurrectio mortuorum.* Quæ intellige de inæqualitate Beatitudinis, qua Beati in cœlo præmiabuntur, nimirum quanta est differentia inter claritatem solis, claritatem lunæ, claritatem stellarum, idq; sive hæ secum invicem, sive cum sole, aut luna comparentur, tanta erit differentia inter beatitudinem & felicitatem Sanctorum. Sicut enim Sancti in hac vita in æqualia habuerunt merita: ita in cælo inæqualia recipient præmia, DEO retribuente unicuiq; secundùm opera ejus.

Inæqualitas hæc erit *imprimis* secundùm beatitudinem essentialem; quamvis enim omnes Beati in hoc futuri sunt pares, quia omnes videbunt DEUM facie ad faciem, & sicut est in se, seu intuitivè, omnes etiam eundem amore fruitivo amabunt, qui amor necessariò visionem ipsam consequetur; tamen illi beati qui DEUM in terris perfectiùs amabant, perfectiùs ejus præcepta & consilia observaverunt, prefectiùs virtutum Christi exempla imitati sunt, majori fortitudine & resistentiâ tentationes superârunt: hi, inquam, in cælo per-

fectiù

fectiùs & clariùs DEUM videbunt, perfectiùsq; eundem amabunt, ita ut tanta differentia claritatis visionis Beatæ in diversorum meritorum Sanctis sit futura, quanta differentia est inter claritatem solis, claritatem lunæ, & claritatem stellarum.

Erit deinde inæqualitas hæc quo ad beatitudinem accidentalem, siquidem specialem habebunt gloriam, qui amore Christi reliquerunt omnia, eum nudum nudi secuti sunt, quales sunt religiosi hi enim sedebunt super sedes 12. judicantes duodecim tribus Israël. Aliam gloriam habebunt viri Apostolici, laborantes circa salutem proximorum(*qui enim erudiunt multos ad justitiam, fulgebunt sicut stellæ*, (stellas intellige primæ magnitudinis, aliam gloriam habebunt qui corpora sua tradiderunt ad supplicia, sanguinemq; pro Christo fuderunt, hi enim accipient laureolam martyrij; aliam gloriam, qui intaminatum virginitatis florem conservârunt, hi accipient laureolam virginitatis, sequentur etiam Agnum, & cantabunt canticum, quod nemo alius cantare poterit. Propter suam humiltatem, S. Franciscus Seraphicus, sedem superbi luciperi occupabit; aliam & aliam in sua perfectione inæqualem accipient gloriam: qui jam in hac, jam in illa virtute, specialiùs excelluerunt.

His Consideratis reflecte te, quantùm tibi accumulanda sint merita, qua intentione, teneritudine, appretiatione amandus DEUS. quàm felix es futurus, si propter Christum, non reipsa tantùm, sed etiam affectu, reliqueris omnia, si Christum per imitationem perfectam secutus fueris ? cogita quô zelô debeas curare salutem proximorum tuorum. Quàm cautè custodiendus sit thesaurus virginitatis & castitatis ? quantùm debeas appetere, ut quàm plurima pro Christo patiaris, ac etiam sanguinem pro DEO fundas ? quantùm curare de-

beas ut excellas in humilitate, tui ipsius abnegatione, cæterisque virtutibus, quarum singulæ specialia sua habebunt præmia.

Fac proposita elice affectus.

Punctum III. Audi illa verba Daniel. 12. *Fulgebunt sicut stellæ in perpetuas æternitates.* Et considera hanc præcipuam Beatitudinis Sanctorum futuram proprietatem, quòd sit futura æterna, sitq; duratura in æternum, in perpetuas æternitates. Non modicum felicitatis hinc accedet Beatis, quòd scient suam beatitudinem non terminandam unquam. felices putamus eos Principes, qui plures annos regni sui; gloriæ & terrenæ hujus felicitatis numerant, quàm felices sunt futuri, qui cum Christo sint regnaturi perpetuò. Quæ nunc major est Regum solicitudo, quæ illos inquietare solet? an non illa, ne illis aliquando regnum & vita eripiatur? Hæc solicitudo homines in summis honoribus constitutos reddit infelices. In Beatis nulla talis solicitudo erit, sed summa securitas, quòd Regni ipsorum & regnandi cũ Christo non erit finis.

Cogita iterum quid sit æternitas? non solùm infelix illa, sed etiam beata æternitas, duobus illis adverbijs sufficienter exprimitur *Semper, nunquã.*

Exardesce amore perennis illius & æternæ felicitatis, sint tibi õnia quæcunq; pro Christo temporaliter pateris levia, & dulcia, propter spem æternæ illius retributionis, sæpiusq; mente & animô revolve illud Apostoli: *Momentaneum & leve tribulationis, æternum in nobis gloriæ pondus operatur.*

In colloquio Pete à Christo, ut amore cœlestis illius Patriæ cor tuum inflammet & accendat, ut hoc igne succensus, ipsi quàm ferventissimè servias, ut ea omnia quæ pateris & sustines, præ magnitudine amoris & desiderij gloriæ illius, appareant tibi levia & momentanea.

In fine: Pater Noster

DI-

DIEI VIII.

Meditatio I.
De amore DEI & proximi.

Præludium I. Imaginare non solùm propter identitatem Naturæ, sed etiam propter perfectissimum amorem, quô Divinæ Personæ se amant, & secum sunt conjunctissimæ, earundem Divinarum Personarum perfectissimam unitatem.

Præludium 2. Pete à DEO, ut sicut Pater æternus, & filius ejus Unigenitus, ac Spiritus Sanctus, unum sunt, ita & tu, per amorem DEI, sis cum DEO quid unum.

PUNCTUM I. Audi illa verba Proverb. 23. *Fili mi præbe cor tuum mihi.* Et considera, quòd DEUS, dum cor à te petit, petat à te amorem & dilectionem, ut ipsum ames. Quod ut obtineat petit cor à te tanquam Pater, petit tanquam à filio, & quodãmodo per filialem obtestatur affèctũ, Patri nihil magis debetur à filio, quàm amor & dilectio.

Petitionem hanc ut meliùs & penitiùs intelligas,

Considera ulteriùs 1*mò*. Quòd DEUS tuum amorem exigat à te suo amore. Ut tu illum ames tanquam filius, ille te amat tanquam Pater. Ille dicit: *In Charitate perpetua dilexi te.* Ille te dilexit ab æterno. Ille ex sua dilectione quâ te diligit, creavit te, redemit, vult te salvare. Ille te amat totô se, totâ suâ essentiâ, omnibus suis perfectionibus & attributis. Amat te suâ omnipotentiâ, creando te, conservando, & in momenta, alia & alia beneficia conferendo. Amat te DEUS sua immensitate, est tibi præsens, ut in ipso sis, vivas, & movearis. Amat te suâ æternitate, dum facit, ut

ipsi coëxistas, idq; etiam tunc, dum illum offendis; amat te suâ misericordiâ, tuæ succurrendo miseriæ, ad pœnitentiam te provocando, pœnitenti peccata benignissimè condonando: Amat suâ justitiâ, quando propositis præmijs te in vitat, ut ipsi servias, dum comminatione pœnarum deterret, nè illum offendas, dum te castigat temporaliter, ut in æternum parcat. Amat te suâ felicitate, ejus te participem facere volendo, ut cum ipso felix sis & regnes in æternum.

Amant te omnes Personæ Sanctissimæ Trinitatis. Amat Pater, Unigenitum suum Filium dando pro tua salute. Filius æternus amat te carnem humanam assumendo, in ea se humiliando ad exinanitionem, & mortem acerbissimam subeundo, ut pro peccatis tuis condignā exhibeat satisfactionem. Amat Spiritus S.' cum tot donis supernaturalibus in te descendendo, animam tuam inhabitando, & suis gratijs te incessanter ad bonum excitando.

Considera 2dò. Quòd DEUS exigat à te, ut cor tuum illi non alteri præbeas, ipsumq; ex toto corde ames, ut nihil ames contra DEUM, seu ejus bonitati & amori repugnans, ut nihil ames magis, quàm DEUM, ut nihil ita ames sicut DEUM, ut nihil ames præter DEUM, propter se, aut propter aliud quod non est DEUS, ut omnia ames propter DEUM & in DEO, ac in tantùm, in quantùm hæc DEUS vult propter se amari; etiam te ipsum amare non debes, amore repugnante bonitati DEI ejusq; amori, vel amore amorem DEI imminuente, imò ut ames DEUM, debes te ipsum odisse & abnegare. Etiam æternam animæ salutem debes amare, non quia hæc tibi bona est, non quia te felicem æternaliter reddet, sed quia per ipsam assequeris, ut DEUM dilectione æterna, immutabili, & perfectissimâ ames.

Considera 3tiò. Quòd DEUS à te exigat a-

morem

morem operativum, exigit ut ſermones ejus hoc eſt præcepta & conſilia ſerves, ut non mente tantùm, non verbô, ſed reipſa & opere DEUM ames. De amore DEI dicit Gregorius magnus. *Amor DEI otioſus non eſt, operatur enim magna, ſi eſt, ſi verò operari renuit, amor non eſt.* Et ipſa Veritas incarnata Chriſtus, pro amoris indicio conſtituit obſervationem ſuorum ſermonum. *ſi quis diligit me, ſermones meos ſervabit.*

His conſideratis, reflecte te ſupra amorem & dilectionem qua DEUM diligis. Et *imprimis* Reflecte te, an amorem Divinum, quo te DEUS amat, amore reddis, certè ſi amare piget, redamare non pigeat. Amat te DEUS ab æterno, & tu amâſtine DEUM à primò rationis tuæ uſu? an cúm primo evigilas, amorem DEI in te excitas? amat te DEUS charitate perpetua, conſtante, & indefectibili, et tua erga DEUM charitas eſtne perpetua, conſtans, & immutabilis? ô quoties hanc per peccata tua ex corde excluſiſti. Amat te DEUS totô ſe, omnibus ſuis perfectionibus, amant te omnes Perſonæ Divinæ; quidquid DEUS eſt, amor eſt. Et tu amaſne DEUM totô te, ex toto corde, ex totâ animâ, ex omnibus viribus tuis? amantne DEUM omnes Potentiæ tuæ?

Reflecte te 2*dò*. An cor tuum totum creatori tuo DEO exhibeas? cor nullam diviſionem pati poteſt. Si illud divides vivere deſinis, te ipſum & cor tuum perdis. ſi etiam affectum & amorem tuum, in DEUM & in creaturas dividis, nec DEO vivis, nec DEUM amas, & vitâ & amore DEI te ſpolias. Vide etiam, an non ames aliquid amori DEI repugnans? An non magis aliquid ames, quám DEUM & non propter DEUM & in DEO? An ames DEUM ſupra te ipſum, ſupra commoda tua ſenſualia, ſupra vitam tuam

imò supra salutem animæ tuæ?

Reflecte te 3*tiò*. An amor tuus quô DEUM amas, sit operativus? Quid & quantum in totâ vitâ tuâ feceris amore DEI? quam magnum illud est quòd in te operatus est amor hic Divinus. Ex magnitudine operum, quæ aliquando amore DEI fecisti, metire tuum erga DEUM amorem. Amor enim DEI operatur magna, si est. Quod si nihil hactenus vel exiguum quid propter DEUM egisti, confundere, fateare, quòd ne inceperis quidem amare DEUM. Tecum ipse dispice quid adhuc facere possis ex amore DEI, ad illudq; faciendum quantumcunq; id fuerit, te resolve. Propone quòd DEUM amare velis amore summè appretiativo DEI, contemptivo rerum omnium creatarum propter DEUM, amore efficaci, amore operativo.

Elice actum amoris DEI tibiq; fac deinceps familiarem: *Serò te cognovi, serò te amavi pulchritudo tam antiqua tam nova. Væ tempori illi quo te non amavi. Diligam te Domine fortitudo mea. tu scis Domine quia amo te propter te, & quidquid amo propter te, amo in te propter te, ac te in omnibus. Diligo te Domine plusquam me, imò meipsum odi & aversor ut te, amem. Diligo te ex totô corde, ex totâ anima ex tota mente mea, ex omnibus viribus meis.* Offero tibi cor meũ in holocaustũ ut ignis ãoris tui integrè illud absumat, ita te totô corde amo, ut si mille corda haberem, mille te cordibus amare vellem. Da ut amem te constanter, immutabiliter, ut amem super omnia. Amorem hunc cum gratiã tua mihi dones.

PUNCTUM II. Audi illa verba Joan: 15. *Majorem hâc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis &c.*

Considera 1*mò*. Dilectionem illam quæ circa DEUM immediatè versatur, de qua puncto præcedenti, magnam esse; cæterùm hac dilectio-

ne

ne major est illa, quæ ita porrigitur in DEUM, ut etiam extendatur ad proximum, ex vi cujus ita DEUS amatur propter se, ut etiam et proximus ametur propter DEUM.

Magna Charitas est DEUM amare, & ex ejus amore ipsum laudare, revereri, eiq; servire; sed major charitas est quæ efficit, ut non solùm ipse DEUM laudes, verearis, eiq; servias, sed etiam, ut proximi, tuâ operâ & labore ad DEUM conversi, DEUM ament, laudent, revereantur, eiq; in sanctitate serviant. Magna Charitas est ita DEUM amare in hac vitâ, ut & post mortem, obtentâ animæ salute, DEUM ames per totam æternitatem. Sed major charitas est, quæ etiam alios quàm plurimos perducit ad cœlum, ut & ipsi DEUM perpetuó ament. Magna Charitas est sermones DEI servare, nullum mandatum Patris cœlestis transgredi, consilia Christi implere, exempla ejus imitari, vestibus & insignibus ejus indui; sed major est charitas, quòd hæc ipsa ità præstas, ut etiam eadem alijs persvadeas.

Magna in DEUM Charitas est: ex amore ipsius relinquere mundum, relinquere omnia, abnegare seipsum; sed major charitas est, relicto Mundo & relictis omnibus, ex amore DEI, lucrari DEO tot parvos mundos, quot homines, animas quàm plurimas à mundi amore abstrahere, DEOq; subijcere, & facere, ut totus mundus, in animabus conversis, post Christum abeat. Magna Charitas est offerre DEO te ipsum, offerre illi munera præstantissima, offerre illi quidquid præstantissimum, & amabilissimum habes; sed major Charitas est, prætcr teipsum offerre munera illa pretiosissima, scilicet Animas, de quibus Climacus Cap. 18. ad Pastorem, *Nullum DEO munus à nobis gratius offerri potest, atq; cùm animas ad Pœnitentiam deductas illi consecramus. Non est*

tanti totus mundus atq; pretium unius animæ. Unius animæ pretium omnibus præstat, quia pretium Divini sangvinis est.
Tandem magna Charitas est, liberales facere eleemosynas, esurientes reficere, operire nudos, sed major Charitas est animas ad DEUM adducere, vitam per peccatum amissam animæ dare, eamq; à mortuis resuscitare, primâ stolâ, id est gratiâ sanctificante, exutos, & nudatos iterum vestire, Animas ab inferni prædone spoliatas, donis & thesauris cælestibus locupletare, famelicos fame pereuntes, & siliquis porcorum se pascentes, pane verbi Divini, pane Cælesti, pane Eucharistico reficere. Omnibus Eleemosinis præfert S. Christomus supra Epist. 2 ad Corint. cap. 3. Conversionem animarum, dum dicit: *Si immensa pauperibus eroges, plus tamen effeceris, si unam converteris animam.*

PUNCTUM III. Circa eadem verba Joan. 15 Considera 2*dò* quid sit ponere Animam pro amicis. Ponere animam pro amicis, seu proximis, est totum se impendere spiritualibus proximorum obsequijs, nullos abhorrere labores, nullis parcere sudoribus, incommoda perferre, adversa perpeti, difficultatibus, imò periculis se objicere, ut proximos tuos DEO & cælo lucreris; laboribus circa salutem animarum immori, velle item vitam ac sanguinem profundere, ut animas è faucibus inferni eripias, idq; reipsa præstare, si talis se offerat obsequij occasio, in qua propter lucrandas DEO animas, vitæ jacturam subire oporteat.

Ponere animam pro amicis, est adhuc non solùm vitam corporalem pro æterna proximorum salute exponere, sed etiam non aliam laborum circa proximos mercedem velle, nisi salutem animarum. Et optare cum S. JGNATIO *Societatis JESU* Fundatore, ut laborum tuorum præmia differantur

rantur, etiam cum periculo amiſſionis eorundem, & ſalutis æternæ, ut interim animas DEO lucrari, & ſpiritualia obſequia proximis impendere poſſis. Ponere animam pro amicis, eſt non aliter velle conſequi ſalutem animæ propriæ, niſi tot alijs ad ſalutem æternam perductis, & taliter, ut tuæ etiam ſaluti renunties, ſi non ſint ſalvandi illi, circa quorũ ſalutem deſudas, quem aliquando elicuiſſe fertur S. Maria Magdalena de Pacis, cùm diceret : *Domine ſi non facis mihi hanc gratiam dandi animas, quas peto, dicam & ego nolle me ad poſſidendam gloriam pervenire, quam mihi præparâſti.*

Conſidera 3*tiò* Ponere taliter animam pro amicis, eſſe dilectionem quâ major haberi non poteſt. Talis enim dilectio non ſolùm operatur magna, ſed operatur opus, quô præſtantius eſſe non poteſt, operatur opus Divinum, imò omnium Divinorum Diviniſſimum, laborem enim circa ſalutem animarum ita apellat S. Dionyſius Areopagita, dum dicit: *Omnium operum opus Diviniſſimum eſt cooperari DEO ad ſalutem.* Ut quis pro DEO, cui ſe totum debet, pro Chriſto, qui pro ſe mortuus eſt, moriatur, dilectio tanta ſperari poteſt. Pro Bono enim (dicam ego pro ſummo Bono) forſitan quis audeat mori; ſi tamen quis ponat animam pro Creatura, pro hominis ſalute, pro peccatore, res hæc charitatem maximè commendat, ſicut charitatem Chriſti commendat, quod mortuus ſit pro peccatoribus. ponere animam pro DEO à quo pro tali dilectione ſalutem æternam es conſecuturus, eſt charitas cui facilè admiſceri poteſt amor bonus ille quidem & honeſtus, talis tamen, quo perfectior dari poteſt, nimirùm poteſt admiſceri amor ille, quem docti apellant amorem concupiſcentiæ, fieri enim facilè poteſt, ut ames DEUM & animam pro illo ponas, quia ab ipſo ſalutem animæ tuæ es conſecuturus, quia tibi DEUS bonus

est, cum respectu ad te ipsum & tuum bonum, at ponere animam pro amicis ex amore DEI, ita ut etiam salutem animæ tuæ postponas saluti Proximorum, est sublimis benevolentiæ amor, est amor ab omni respectu boni proprij depuratus, in solo DEO ejusq; bonitate unicè conquiescens, adeòq; est dilectio, quâ major haberi non potest.

His consideratis, tecum dispice, quam in te animi dispositionem & præparationem sentias ad hanc reipsa & opere exercendam excelsam in DEUM charitatem, Divinissimum hoc opus cooperationis DEO & Christo circa salutem proximorum. Resolve te ad illud, excita in te desiderium tam sublimis dilectionis, protestare, velle te non uno tantum corde, sed millenis, imò omnibus omnium mortalium cordibus ad DEUM, si fieri posset, per te adductis, eundem quàm perfectissimé amare. Protestare te paratum esse, amore DEI, pro æterna proximorum salute, animam tuam ponere, & sanguinem profundere. Postula, ut tantæ charitatis victima esse possis.

In colloquio pete à SSmo Spiritu, qui charitas & amor increatus est, ut cor tuum quàm maximè ampliet, ut te accendat illo dilectionis igne, ex vi cujus, animam tuam ponas pro amicis tuis, pro salute proximorum tuorum, pro quibus dominus noster JESUS Christus non dubitavit tradi manibus nocentium.

In fine: Veni Sancte Spiritus.

Meditatio II.

De conformitate voluntatis nostræ cum voluntate Divina.

Præludium I. Imaginare summam conformitatem

mitatem voluntatis humanæ, Chriſti cum voluntate Divina Patris æterni.

Præludium 2dum. Pete à DEO, ut per conformitatem voluntatis tuæ cum Divina, Chriſtum imitari poſſis.

Punctum I. Audi illa verba Pſal. 29. *Domine in voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem.* Et conſidera, quòd ſicut omnes aliæ creaturæ, à voluntate DEI, omnem decorem, omnem virtutem & perfectionem ſuam habent; quia ab hac voluntate habent non ſolùm ſuum eſſe, ſed etiam omnia illa, quæ ſe perficiunt in ſuo eſſe ; ita & homo omnis quidem, ſed maximè Chriſtianus habens curam ſalutis animæ ſuæ, à voluntate Divina accipit, & accipere debet decori ſuo virtutem, quod ut melius cognoſcas.

Conſidera ulteriùs 1*mò* Decora & ornamenta hominis Chriſtiani in cœlum tendentis eſſe obſervationem præceptorum, & conſiliorum Evangelicorum, executionem inſpirationum Divinarum, Sanctorum item propoſitorum, & omnigenæ virtutis exercitia. Hæc ergo decora omnem virtutem, omnem æſtimabilitatem habent à voluntate DEI, ſicut moneta pretium ſuum habet a voluntate Principis & ejus ſibi impreſſa effigie, ita ut niſi DEUS voluiſſet, niſi aliqua præcepiſſet, aliqua conſuluiſſet, niſi inſpiraſſet ſancta deſideria & propoſita, niſi cohortatus fuiſſet ad exercendas virtutes, nunquam hæc habuiſſent eam gratiam, eam æſtimabilitatem & virtutem, quam defactò habent.

Conſidera 2*dò* Non ab omni voluntate Divina noſtris operibus præſtari virtutem. Actiones enim peccaminoſæ, quæ fiunt ex voluntate DEI permiſſiva, ſuntq; maxima dedecora, nullam æſtimabilitatem habent vel habere poſſunt, ſed potiùs à contraria DEI voluntate, quæ tales actiones prohibet, & cui ſunt difformes, habent, quòd ſint ma-

læ, quòd sint vitiosæ. Ab illa etiam voluntate Divina, quâ DEUS miseretur impio, ut non discat Justitiam, ex quâ item DEUS iratus dat quod petis, cùm tamen propitius neget quod petis, actiones, & opera nostra non desumunt eam, quæ secundùm DEUM est, laudabilitatem. Sed nec illa voluntas Divina, quâ DEUS accõmodat se nostræ voluntati, dum DEUM trahimus ad vota nostra, ut ipse velit ea quæ volumus, hæc inquàm voluntas non magnam virtutem refundit in actiones nostras.

Voluntas igitur DEI à quâ præstatur operibus nostris gratia, pretium, virtus, & æstimabilitas, est potiùs illa, quâ DEUS castigat filios, corrigit errantes, ad pœnitentiam perducit, per quam DEUS præcipit quod sibi placet, consulit bonum, ad illudq; propositis præmijs varijsq; motivis invivat, & cor hominis internâ suâ gratiâ trahit & inclinat. Talis item voluntas est quâ DEUS malum prohibet, ab eoq; pœnarũ comminatione deterret. Verbô, virtus, pretium, & æstimabilitas præstatur nostris operibus à voluntate Divina beneplaciti, seu approbativâ boni, & displicente sibi in malô.

PUNCTUM II. Occasione eorundem Psalmi verborum considera ulteriùs 3*tiò*. Quòd à voluntate Divinâ non æqualem virtutem & laudabilitatem accipiant bona nostra opera; siquidem nec voluntas Divina æqualiter sibi complacet in omnibus, nec æqualiter vult omnia. Quia nec omnia sunt æqualiter appetibilia, nec æqualiter conducunt ad DEI gloriam. Unde etiam Apostolus vult, ut probemus, quæ sit voluntas DEI bona, perfecta, & beneplacens, quibus verbis videtur insinuare voluntatem DEI aliam esse perfectam, aliam non æquè perfectam, quòd ipsum ita intelligi debet: omnem quidem voluntatem DEI secundùm se & suum esse, quod esse est esse ipsius DEI fons omnis

nis perfectionis, esse perfectissimam, sed ex parte objecti & termini voliti non omnem esse perfectā, sed alia est perfecta, alia perfectior, alia minùs perfecta, quòd nihil aliud est, nisi unius actus divini objectum esse perfectiùs, alterius verò actûs objectum esse minùs perfectum. Et sic in sensu explicato plures actus voluntatis Divinæ svasivæ putantur esse perfectiores, quàm sint actus voluntatis præceptivæ, plerùmq; enim ea objecta, quæ consuluntur, sunt perfectiora, quàm quæ præcipiuntur. Inter actus suasivæ voluntatis, voluntas illa quæ nos movet & excitat, ut præeligamus Paupertatem, contemptum, insipientiæ titulum, viam crucis & tribulationis, præeligamus inquam divitiis, honoribus, bonæ famæ, hominum æstimationi, est perfectior, quàm illa voluntas, quæ nonnisi vellet nos indifferentes esse ad Paupertatem vel divitias, ad honorem vel ignominiam. Perfectior voluntas illa est, quæ nos movet ad ea, quæ in nobis fiunt cum majore nostri victoriâ, cum majore repugnantia sensualitati, & amori proprio, per quæ magìs gloria DEI promovetur, & quæ ad nostram perfectionem & animæ salutem magìs conducunt.

Considera 4tò. In tantum à voluntate Divina nostris actionibus præstari virtutem & æstimabilitatem; in quantùm hæ fiunt conformes voluntati Divinæ; conformitas enim illarum cùm voluntate DEI bona, perfecta, beneplacente, facit tales actiones sanctas, virtuosas, præmiô dignas, siquidem omnis honestatis, adeoq; & sanctitatis in actionibus nostris principium & Regula est voluntas Divina, ipsis per conformitatem seu conformationē earundē actionum dictæ voluntati applicata.

Considera tandem *5tò.* Eò perfectiorem esse actionem quamcumq; nostram, quô magis & perfectiùs hanc conformitatem participat, quæ item conformatur voluntati perfectiori, hoc est perfe-

ctiora à nobis requirenti. Idq; perfectior & magìs laudabilis est actio, quæ non solùm secundùm se, independenter ab explicita & expressa intentione operantis est conformis voluntati Divinæ, sed etiã quæ eidē est conformis ex intentione expressa operantis, ex studio & conatu, quô quis studet cognoscere voluntatem DEI bonam, perfectam, beneplacentē, eiq; cognitæ, tanquàm regulæ, studet conformare suas actiones, hoc singulariter intendendo, ut expleat gustum & beneplacitum Divinum, ita ut nihil velit, nihil amet nisi quod vult & amat DEUS, idq; ideo quia amat, quia vult DEUS.

PUNCTUM III. Post considerationem eorum, quæ duplici puncto priore proposita habes, converte te ad te ipsum, & fac reflexiones sequentes.

1mò An omnes actiones tuæ sint decora à voluntate Divina suam pulchritudinem & virtutem habentia an non potiùs aliquæ? fuerint maxima tuâ dedecora? quòd in ijs voluntati beneplacenti Divinæ te non conformaveris, sed potiùs contraveneris eidem, contra legem agendo eamq; transgrediendo?

2do. Reflecte te quantū studeas conformare, voluntatem tuam voluntati Divinæ beneplacenti & perfectæ? Esne solicitus, ut cognoscas voluntatem DEI perfectam, ut cognoscas quod DEO magìs placet, ut præeligas, quod est magis perfectū, quod magìs promovet gloriam DEI, in qua DEUS magìs sibi complacet.

3tiò Reflecte te an non subinde volueris, ut DEUS sequeretur voluntatis tuæ nutum, ut id DEUS faceret, quòd tibi placet, non verò ut tu faceres, quòd à te vult DEUS.

4tó. An conformitatem cum voluntate Divina, tanquàm tuæ voluntatis Regulâ, unicè intenderis, & ad eam respexeris in tuis actionibus, an non potiùs aliquam vanitatem? Hæc ipsa exercitia an

feceris

feceris ex intentione explendi guſtū & beneplacitum Divinum, & cum eo ſtudio, ut illud quàm perfectiſſimè expleres? an non potiùs ex vano aliquô reſpectu, idq; cum multis imperfectionibus, Divinæ voluntati repugnantibus? An quidquid agis, ideo agis quia vult DEUS id á te fieri, quia in hoc ſibi complacet, quia per talem actionem magìs conformaris voluntati Divinæ?

5*tò*. Tandem te reflecte an hoc optes & deſideres, ut in te, per te, & circa te, fiat voluntas Divina perfecta beneplacens, hoc eſt talis voluntas, quæ ſit magis promotiva tuæ perfectionis? An non ſoli voluntati præceptivæ te conformare ſtudeas, non ſolicitus de conformitate cùm voluntate Divinâ ſvaſivâ, hoc eſt de implendis conſilijs & Sanctis inſpirationibus Divinis. Eſne paratus, ut voluntas Divina in ulteriori vita tua ducat te viâ aſperâ, per cruces, per adverſa, per afflictiones, confuſiones, tuiq; humiliationes & depreſſiones, per morbos item & infirmitates, aliaq; his ſimilia? fortè tibi magìs placet alia Divina voluntas? illam voluntatem & Providentiam circa te exerceri fortè deſideras, quæ te ducat per proſpera, per commoda, per favores, honores, pretia tui, promotiones, aliaq; his ſimilia.

Statue quæſiturum te abhinc in omnibus guſtum voluntatis Divinæ, perfectæ, beneplacentis, hanc te unicè intenturum, ſupra id deinceps potiſſimam adverſionem & reflexionem habiturum, quid DEO placeat & quid magis placeat? reſolve te ad omnem DEI voluntatem; propone non ſolùm voluntati præceptivæ, ſed etiam voluntati ſvaſivæ Divinæ, omnibusque motionibus, quibus tuam voluntatem movebit, & excitabit, te conformaturum. Proteſtare paratum te eſſe ad omnia, ſive te DEUS velit ducere per adverſa, ſive per proſpera, ſive per infami-

am, five per bonam famam, five per valetudinem, five per infirmitatem, five per afflictiones & cruces, five per folatia. Imò humiliter à DEO poftula, ut in te fiat voluntas DEI bona, beneplacens, & perfecta. illa fcilicet, quæ magis repugnat inclinationibus tuis, amori tuo proprio, ut DEUS te affligat, conterat, humiliet tuã virtutem infirmitatibus, adverfitatibus, contemptu, abjectione tui, ac multiplici cruce exerceat. Utq; in his omnibus hoc unicum & maximum fit tuum folatium, quia id DEO placet, quia DEUS vult.

In colloquio elice fequentem refignationis in DEI voluntatem affectum.

O fupreme rerum omnium Domine, En quã poffum perfectiffimè voluntatem meam in tuum transfundo beneplacitum. Hoc unicè amplecti & velle in totâ vitâ mea defidero, quod placitum fuerit tuæ Sanctiffimæ voluntati. Statue igitur de me benigniffime DEUS, quidquid tibi placet cui placere non poteft nifi gloria tua & falus mea. Utere me tanquam re tuâ, tanquam mancipio. En Domine ut jumentum factus fum ante te, ad omnem nutum tuum, paratum cor meum DEUS, paratum cor meum; doce me facere voluntatem tuam, non quod ego volo, fed quod tu de me ftatuifti ab æterno, hoc de me fiat. Affligens me Domine affige, omnes in me congere cruces, afflictiones, perfecutiones. Auge Dolores, auge & patientiam.

In fine: Sufcipe Dominè univerfam libertatẽ.

Meditatio III.
Concludens Exercitia Spiritualia S. P. JGNATII.

Præludium I. Occafione illorum verborum

1. Co-

1. Corinth. 4. *Spectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus*, Imaginare quod in te prodituruin, ſeu prodeuntem ex hac ſacra ſolitudine, oculi omnium ſint convertendi. fies ſpectaculum mundo; obſervabit ille an ſis adhuc de hoc mundo? quâ ratione deinceps mundo uti voles? an quæres ea quæ mundi ſunt? Fies ſpectaculum Angelis bonis & malis. Boni gaudebunt ſuper tuâ converſione & pœnitentia, mali invigilabunt, ut abſtractum te à caſtris Luciperi, ad eadem rurſus te reducant. Fies ſpectaculum hominibus, quorum pleriq; conſiderabunt, quem fructum ex hâc ſacra ſolitudine referes, quæ vitæ & morum in te ſequetur mutatio.

Præludium 2dum. Poſtula à DEO gratiam, quâ confirmet id, quod per hæc exercitia in tuâ animâ eſt operatus.

PUNCTUM I. Audi illa verba *S.* Pauli Apoſtoli ad Galat: 5. *State, & nolite iterum jugo ſervitutis contineri.* Et imaginare, quòd S. Angelus Cuſtos tuus, aut etiam S. Pater JGNATIUS, cujus Exercitia Spiritualia hoc octiduo egiſti, te alloquatur. Stetiſti tandem poſt tot errores & deviationes tuas, ſtetiſti in viâ rectâ, in viâ Juſtitiæ. In viam virtutis & perfectionis Chriſtianæ directus es à Spiritu Sancto, per tot Sancta lumina, ejuſq; inſpirationes, per tot ſalutaria propoſita, quæ formâſti, per tot agnitas veritates, quas ante vel ignorâſti, vel nunquam ita atq; nunc expendiſti. In viam ſalutis deductus es, per tuam in toto corde ad DEUM converſionem, per ſeriam de peccatis tuis à te actam pœnitentiam. Vide ergo ut ſtes in gradu tuo, ne ab hâc viâ, in quam deductus es, devies & deflectas aliquando. In beneceptis perſiſte, in exequenda Divinâ voluntate, in inſpirationibus Spiritûs *S*ancti, boniſq; tuis propoſitis adimplendis progredi ſtude, nullæ te difficultates, nulli

vani reſpectus, nullæ humanæ rationes à recto dimoveant. Sis fortis & conſtans, in quibuscunq; tentationibus ſuperandis. Excluſiſti jugum ſervitutis peccati, per deplorata vitæ anteactæ peccata, per ejuratam mundi, carnis, & dæmonis ſervitutem, à caſtris improbiſſimi Ducis Luciperi, ad caſtra Chriſti tranſiiſti. Vide ergo ne iterum collum tuum jugo duriſſimæ ſervitutis peccati & diaboli ſubijcias, potiùſq; ſvave Chriſti jugum ſuſcipe, ad illud ferendum forti animô te reſolve, illiq; portando aſſveſce.

Hæc audiens, alacrem & paratum te ad exequenda Sanctiſſima hæc monita ſive Sancti Angeli cuſtodis tui, ſive S. Patris Jgnatii, tui in his exercitijs directoris, oſtende. Statue firmiter, quòd in his quæ bene cæpiſti, ſis perſeveraturus, imò ulteriorem in virtutibus in exequenda Divinâ voluntate, & bonis tuis propoſitis, progreſſum curaturus. Renova propoſita totô hôc Collectionum tempore formata, ea deinceps ſæpiùs in memoriam revocare, & ipſorum executioni invigilare ſtude. Exiſtima inchoâſſe te primùm curam ſalutis tuæ, per hæc exercitia bonum ſemen in anima tuâ tantummodò ſeminatum eſſe, poſt illa finita ad te pertinebit facere, ut ſemen hoc in herbam, & culmum excreſcat, multiplicemq; ac centuplum ferat fructum. Fovendum erit frequenti Sacramentorum Pænitentiæ, & Sanctiſſimæ Euchariſtiæ uſu, per non intermiſſam faciendi ſingulis diebus examinis conſcientiæ conſvetudinem, quotidiana rerum cœleſtium, per aliquòd tempus, ſaltem per mediam horam meditatione, item pij alicujus & Spiritualis libri lectione, ſedulô virtutum exercendarum ſtudiô. Cuſtodiri etiam bonum hoc ſemen debebit, ne volucres, hoc eſt animæ tuæ hoſtes, ex corde tuô illud aufferant. Cuſtodiendæ erunt ſenſuũ corporis portæ, vitandæ converſationes periculoſæ,

loſæ, amovendæ peccandi occaſiones &c: Attendendum quoq; erit, ne à ſpinis cogitationum mundanarum, terrenarum cupiditatum, & vanitatum, hoc ipſum ſemen ſanctarũ inſpirationũ & propoſitorum ſuffocetur. Ad hæc omnia te excita, propoſitis obfirma, & deinceps ſanctè exequi ſtude.

PUNCTUM II. Audi illa verba 2*dæ* Petri 2. *Meliùs erat ijs non agnoſcere viam juſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum converti ab eo, quod illis traditum eſt, Sancto mandato.* Hæc audiens mente revolve & cogita. Quantùm tibi DEUS beneficium contulerit? quòd converſionis tuæ ad DEUM vitæq; melioris, & ſanctioris, per DEI gratiam in his exercitijs primùm jeceris fundamentum, quòd viam Juſtitiæ agnoveris? Ex fructibus hoc tempore collectis, ex perceptis tot Divinis luminibus, motionibus & excitationibus tuis ad bonum, metiri potes. Non poteris deinceps conqueri non cognoviſſe te viam Juſtitiæ, viam ſalutis, non habuiſſe illuſtrationes ſanctas, gratias Divinas excitantes; abundantiſſimè DEUS tibi contulit hæc omnia, oſtendit viam per quam ambules, oſtendit, qua ratione, & per quæ media, finem tuum, æternam ſcilicet animæ ſalutem & felicitatem conſequi debeas, non fecit taliter õni nationi, nec judicia ſua, conſilia ſua, voluntatẽ, & beneplacitũ ſuum, æquè alijs, atq; tibi manifeſtavit. Age gratias, cum profundiſſima humiliatione tui, liberaliſſimæ bonitati Divinæ, pro munifica tot, tantorumq; ſuorum donorum, per hoc tempus tibi collatorum, profuſione. *Miſericordias Domini in æternum cantabo. Fecit mihi magna qui potens eſt.*

Quod dum facis, conſidera: hæc Divina beneficia, attento amore in te Divinô, ex quô collata ſunt, attentâ item ipſorum præſtantiâ, efficaciâ, & magnitudine, attentis præterea commodis & utilitatibus, quæ afferre nata ſunt, ſi ijs convenienter uti

 voluerîs

volueris, hoc est: si Divinis inspirationibus obediens fueris, & agnitâ viâ Justitiæ & salutis ambulaveris. Hæc inquam Divina beneficia, quò magis, attentis illis omnibus, convenit æstimari, eò etiam magis hæc ipsa timenda esse, si post agnitionem viæ Justitiæ, post tot lumina & excitationes, ac motiones voluntatis tuæ, non responderis gratiæ Divinæ, sed converteris te retrorsum, ad tua vitia antiqua, si redieris ad inveteratos habitus, si post tuas concupiscentias abieris, si iterum ad castra Diaboli pestilentissimi ducis, quæ ejurarâsti, te transtuleris, carni & mundo adhæseris, eâq; viâ ire volueris, quæ retrorsum, hoc est ducit ad infernum & interitum; deniq; si à mandato Sancto, quod tibi traditum est, de vita in meliùs reformanda ac sanctè deinceps instituenda recesseris, voluntatem DEI, præcepta & Consilia Evangelica neglexeris & contempseris; meliùs tibi erat non agnoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem retrosum converti.

Ex quo enim tot & tanta beneficia DEI accepisti, de illis ipsis rigidior tibi ratio reddenda erit. cui enim plùs datum est, plùs requiretur ab eo. Gravius & severius judicium te manet; scienti enim & non facienti bonum, majus judicium est ipsi. Minùs excusabilis eris coram DEO, attestante Veritatate æterna, *Si non venissem, & locutus non fuissem, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Surgent in Judicio DEI viri Ninivitæ, & condemnabunt te,* quòd illi ad prædicationem Jonæ egerint pœnitentiam, tu verò post tot Spiritûs Sancti locutiones ad cor tuum, impœnitens in tuis peccatis permanseris, vel post modici temporis pœnitentiam ad eadem peccata facilè redieris; surgent illi omnes, qui ex his ipsis Sancti IGNATII excercitijs peractis, magnos perceperunt & retulerunt fructus, & in alios mutati, vitam deinceps sanctam instituerunt, & hi

omnes

omnes condemnabunt te, nisi & tu in alium mutatus fueris, & in posterum sanctiùs vixeris.

Hæc exhorrescens, firmissimè statue, à viâ Justitiæ, quàm agnovisti, nunquàm te recessurum, nec conversurum unquàm retrorsum. Electiones etiam tuas bonas, inspirationes Divinas, pia desideria, Sancta proposita, omnesq; tuas resolutiones, ad executionem te omnino deducturum. Protestare dicens cum S. Job. *Justificationem, quam cæpi tenere, non deseram.* Confitere inconstantiam & mutabiltatem tuam, supplica supremo Numini, ut te fortem, & immobilem efficiat, tibi det non solùm faciem, sed etiam cor, & voluntatem tuam, tanquàm silicem & adamantem, qui nullis tentationum ictibus, etiam validissimis, concuti, nullis artibus dæmonis emolliri, & ad vitium flecti possit.

Punctum III. Audi Apostolum Paulum ad Hebr. 6. dicentem. *Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt, gustaverunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritûs Sancti, & gustaverunt bonum DEI verbum, virtutesq; venturi sæculi, & prolapsi sunt rursus, renovari ad Pænitentiam*

Et considera horrendam hanc Apostoli sententiam verificari de prolapsu illorum, qui postquā peregerunt S. Patris Jgnatii exercitia, per illa non redduntur meliores, sed rursus post illa, ad antiqua sua redeunt vitia. De agentibus hujusmodi exercitia.

Verificatur *primò* quòd sint illuminati; ubi enim magìs illuminari poterant? certè qui ad tanta lumina, quanta in his exercitijs habuerunt, cæcutiunt, cæci sunt & Duces cæcorum.

2*dò*. Verificatur de ijsdem, quòd gustaverint donum cæleste; consolationes sæpiùs acceptæ, lacrymæ ipsæ, quas expressit pœnitentia, pax, & tranquillitas conscientiæ, fervor spiritûs, heroicæ

resolutiones, sancta proposita, omnesq; gratiæ Divinæ, sunt donum cæleste. Hoc donum quis est qui hoc tempore, hoc loco non gustaverit?

3*tiò* Verificatur de illis, quòd participes facti sunt Spiritûs Sancti, quia participes facti sunt tot instinctuum & inspirationum sanctarum. Hoc tempore in hôc sacrô secessu expectavimus promissionem Patris cælestis, nec dubium est quòd eam acceperimus, descendente in unumquemque nostrûm cum suis donis Spiritû Sanctô.

4*tò*. Adhuc verificatur de ijsdem, quòd gustaverint bonum verbum DEI, quia gustaverunt verbum salutis, verbum vitæ æternæ, verbum legis & perfectionis, quando tale verbum cum gustu susceperunt, loquente illud ad cor ipsorum Spiritû Sanctô, juxta promissionem factam animæ ad hanc sacram solitudinem descendenti: *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus.*

5*tò* tandem verificatur & illud, quòd gustaverint virtutes venturi sæculi. Has enim gustaverunt per contemplationem gloriæ Christi resurgentis, in cœlum ascendentis, & ad dexteram Patris sedentis. Per contemplationem item gloriæ cælestis, quam DEUS Justis & electis præparavit, & aliquando retribuet pro meritis ipsorum.

Hi ergò si prolapsi fuerint, & ad suæ vitæ præteritæ inveterata vitia, ad scandalosas laxitates, tepiditates, pravos habitus, ad incautas & periculosas conversationes, si redierint, si neglexerint Divinas inspirationes, à suis propositis recesserint, & leges Divinas, aut etiam humanas in conscientia obligantes, transgressi fuerint. De talibus pronuntiat Apostolus, quòd impossibile sit eos renovari rursus ad pœnitentiam, scilicet non est sperabile, ut hi aliquando verè corrigantur ut seriam, sinceram, eamq; constantem agant pœnitentiam, ut in viam salutis, à qua volentes deflexerunt, reduci,

&

& ad faciendam vitæ emendationem fructuoſam flecti poſſint. conſequenter valde metuendum eſt, ne tales æternam animæ damnationem incurrant.


Neq; hi vani ſunt terrores; conſtans ſiquidem eſt Theologorum doctrina: ſeriem gratiarum Divinarum, dependenter à quibus aliqui ſalvandi erant, ſeu filum prædeſtinationis, etiam levi defectu, imò & neglectu gratiæ excitantis ad id, quod nonniſi conſilij eſt, quantò magìs gravioribus delictis, interrumpi poſſe. Quod ſi hoc filum interrumpatur, miſer ille incidit in aliam ſeriem providentiæ Divinæ, in quâ habiturus eſt auxilia & gratias, quas culpâ ſuâ reddet inefficaces, & quibus habitis, tentationi ſuccumbet, in grave ac etiam in plura gravia peccata incidet, & in finalì impœnitentia è vitâ decedens, æternùm damnabitur. Hæc interruptio fili prædeſtinationis & fortè gratiarum, dependenter à quibus aliquis ſalvandus erat, ſi alicui defectui vel peccato alligatur, maximè illi vel illis, quæ poſt tot lumina, poſt tot propoſita, & promiſſiones, quot in exercitijs S. Patris JGNATII concipi ſolent, committuntur. Et hinc puto natum eſſe illud quorundam Aſcetarum effatum: quem exercitia S. JGNATII non corrigunt, nec ipſe corriget infernus.

Iterum hìc exhorreſce omnes defectus & relapſus tuos, & vide, quàm cautus eſſe debeas. Quomodò, poſt hæc exercitia, ſit tibi timenda etiam minima cujuſvis defectûs umbra. Rurſus propoſitis te obfirma, & propone ſæpiùs te uſurum horrendâ hâc conſideratione adductorum Apoſtoli Pauli verborum, quâ faciliùs te ipſum in virtute, voluntatis Divinæ & propoſitorum tuorum ſanctorum executione, continere poſſis.

Colloquium inſtituendum ad pretioſiſſimam DEI Parentem, à quâ humiliter poſtula, ut ipſa, quæcunq; in his recollectionibus bene egiſti, cogitâſti,

tâſti, ſtatuiſti, imò integra exercitia à te peracta, in manus ſuas Sanctiſſimas ſuſcipiat, & Sanctiſſimæ Trinitati, ſuoq; amabiliſſimo Filio præſentet, & ad majorem DEI Gloriam, explendumq; guſtum & beneplacitum voluntatis ejus, tuæq; animæ ſalutem & perfectionem, offerat, defectus omnes & imperfectiones contegat, excuſet, ac pro ipſis deprecetur, copioſamq; à Sanctiſſima Trinitate benedictionem, ad vitam meliorem ab hinc inchoandam, & ſanctè deinceps inſtituendam, juxta exemplar tibi à Chriſto monſtratum, & juxta lumina à S. Spiritû immiſſa, impetret.

In fine: Te DEUM laudamus.



PARS II.

In Qua

Continentur Meditationes, quæ particulari exigentiæ, devotioni, & uſui diverſæ conditionis & ſtatûs hominum, In octiduo Exercitiorum ſpiritualium ſervire poſſunt.



Meditatio I.

De peccatorum gravitate.

Præludium I. Imaginare Christum à lictoribus in horto Getsemani comprehensum, conculcatum, catenis & funibus constrictum, indignè tractatum, & ad ulteriora Passionis suæ tormenta, ac etiam ad mortem ipsam ductum.

Præludium 2 Postula à Deo gratiã, ut fructuosè cognoscas, quas & quantas injurias peccatum irrogat Christo, imò omnibus etiam creaturis, & ut à peccato, hac ejus gravitate deterrearis.

Punctum I. Audi Christum per Prophetam dicentem Psal. 29. *Quæ utilitas in sanguine meo, dum in corruptionem descendo?* Et considera per peccatum Christo, Passioni, infiniti valoris meritis, & pretiosissimo Sangvini ejus, gravissimam irrogari injuriam.

Gravissima Christi injuria est, quòd frustretur fine adventûs sui. Finis adventûs Christi fuit, ut homines vitam haberent, & abundantiùs haberent; peccatum homines vitâ spoliat, vitam eripit, & inducit mortem. Gravis injuria Christi, quòd impediatur fructus adventûs illius. Fructus adventûs Christi esse debuit, attestante Propheta, ut auferretur peccatum, consummaretur iniquitas, finem acciperet prævaricatio; quæ tamen finem non accipit, nec aufertur peccatum, dum de novo committitur imó plura & plura accumulantur. Meritorum & Sanguinis Christi idem omnino finis, idem fructus esse debuerat. Hôc enim pretio

tiô & vita animæ noſtræ conſtitit, & á ſervitute peccati redempti ſumus. Quanta igitur injuria Chriſti eſt, dum Chriſtus noſtrâ culpâ non conſequitur finem & fructum meritorum ſuorum, & copioſè effuſi ſanguinis, Sentit graviſſimè Chriſtus hanc ſuam injuriam, dum apud Prophetam conqueritur Jſaiæ 49. *In vanum laboravi, ſine cauſa, & vanè conſumpſi fortitudinem meam.*

Ulteriùs graviſſima injuria Chriſti eſt, quòd iterum flagelletur, crucifigatur, oſtentui habeatur; hoc etiam nunc præſtat peccatum, ſecundùm Apoſtolum dicentem *Rurſus crucifigentes Chriſtum in cordibus veſtris.* Graviſſima injuria DEI hominis ſeu Chriſti eſt, quod in conculcationem veniat, irrogatur hæc injuria Chriſto per peccatum juxta illud: *Tota die conculcavit me homo.* Graviſſima adhuc injuria ejuſdem Chriſti eſt inde, quòd is qui venit propter ſalutem omnium, ſit in ruinam multorum, quôd ipſius adventus ſit occaſio damnationis plurium, ſit occaſio tot offenſarum DEI. Si non veniſſem, peccatum non haberent, nunc autem excuſationem non habent in peccatis ſuis; quòd in opprobrium Sanguinis Chriſti, tot animabus, pretioſo hoc Sanguine redemptis, repleatur infernus, maximè verò quod repleatur infernus illis, qui aliquando dealbaverunt ſtolas in ſanguine Agni, quales ſunt homines Chriſtiani, Sanguine Chriſti aliquando abluti, tum in Baptiſmo, tum per aliorum Sacramentorum ſuſceptionem. Has injurias Chriſtus patiens, meritò dolet & conqueritur. *Quæ utilitas in ſanguine meo, dum in corruptionem deſcendo.*

Hæc conſiderans fac reflexionem ſupra te ipſum. Quòd & tu ſæpiùs impediveris in te ipſo finem & fructum adventûs Chriſti, meritorum & ſanguinis ab eo fuſi. Hoc certè ſanguine paſtus, poteras abundantiſſimè vitam habere, ipſo irriga-

tus, poteras fructum centesimum ferre, & omne auferre peccatum.

Fac reflexionem quàm crudelis Christi crucifixor fueris? quanta is in corde tuo tormenta, ignominias, opprobria, cruces sustinuerit? quoties à te conculcatus, sub tuis pedibus ingemuerit? cogita an Christus sæpius non fuerit tibi in ruinam? quam excusationem habebis in peccatis tuis, à Christo redemptus, illiusq; præceptis, consilijs, exemplis, tanto labore instructus? Cogita an per peccatum actuale, quod post Baptismum, primum cõmisisti, & per quod te evacuasti à Christo, illiusq; meritis, an Sangvis Christi non descenderit in corruptionem? Cogita iterum an post deplorata à te peccata tua, & in Sacramento pænitentiæ abluta & deleta, per sæpius commissos relapsus, rursus Sangvis Christi non venerit in corruptionem. Omnino venit per omnes & singulos lapsus, tunc verò vel maximè venit Sangvis Christi in corruptionem, quando indignè Sacramenta pœnitentiæ & Corporis Christi, aliaq; suscepisti, quando ad sacram Eucharistiam in peccato mortali non expiatô accessisti. Ita tunc Sangvis Christi descendit in animam tuam in suo stercore computrescentem, atq; si in fætentem & fædissimam sentinam missus fuisset, imò gravior longè illa est Sanguinis Christi cuntumelia, quàm hæc esset.

Exhorresce immanem hanc tyrannidem & crudelitatem. Totus contremisce considerans: an Sanguis Christi, qui tuâ culpâ toties in corruptionem descendit, non est tibi futurus in æternam animæ tuæ perditionem & damnationem? Seriò cogita an tuâ animâ, in opprobrium Sanguinis Christi, quo tam sæpè abluitur, non sit aliquando replendus infernus? execrare nefanda crimina tua, concipe odium quàm maximum, odium implacabile adversùs quodvis peccatũ lethale.

Hæc

Hæc cogitatio ſit tibi adverſùs omnes tentationes remedium: ergone ego finem & fructum adventûs Chriſti ſceleribus meis impediam? ergone vim & virtutē meritorū Salvatoris mei ipſiuſque pretioſiſſimi Sanguinis evacuabo? ergo iterūChriſtum amore mei in cruce mortuū, in corde meo crucifigam, rurſum crucē ei ignominioſiſſimam erigā? num fortè Filium Dei conculcabo? O Jesu qui ſalutis animæ meæ deſideriô, in crucem es actus, nunquid ideo in cruce extenſus es, ut mihi eſſes in ruinā? Nunquid in mundum ideò veniſti ut ego peccatū haberē, & non potiùs, ut ab ejus ſervitute liberarer? O anima mea ideone Sangvis Chriſti pretioſiſſimus tam copioſè in te defluit, ut deſcendat in corruptionem? ut ſit tibi in perditionē? ut in opprobrium Sanguinis hujus, te ô anima aliquando repleatur infernus? ô miſera voluptas ô perverſa voluntas mea, tu ne tantorum malorum cauſa exiſtes? ergone in Chriſticidā, in Chriſti crucifixorem me transformabis? tune Filium Dei pedibus meis conculcandum obijcies? ergone per te ſtabit ut Chriſtus ſit mihi in ruinam, ut Sangvis, ejus in corruptionem veniat ut ſit mihi in perditionem æternam? Tune in opprobrium Sangvinis Chriſti me præcipitabis in infernum: Abſit Domine, non fiet tibi hoc, ut à me talia ſuſtineas. O anima mea excute peccati jugum & ſervitutem, ô deteſtanda voluptas, quid eſt quod aliquando in te conſenſerim? moriar priùs, quàm ut in te deinceps conſentiam

Punctum II. Audi illa verba Tobiæ 12. *Qui faciunt peccatum & iniquitatem, hoſtes ſunt animæ ſuæ.* Et cogita per peccatum quodvis maxime lethale, ipſi animæ peccatoris gravem irrogari injuriam. Hoſtem magis infenſum & capitalem peccator habere non poteſt, quàm ſeipſum ſi peccet; nullus hoſtis animæ magis nocere & plura ac majora damna inferre valet, quàm ipſe peccator eidem inferat. Alij hoſtes quamvis nocendi ſtudio-

diosissimi, nocere animæ non possunt, nisi voluntas peccatoris accedat, & per hanc, si in peccatum, in quod inducunt, consentiat, unicè nocent.

Ac inprimis peccator vitam animæ suæ eripit, eâq; privat, peccato nimirum quovis mortali animam conficit, ut DEO ampliùs non vivat sed sit cadaver exosum ac detestabile.

2*do*. Peccatum animam spoliat ingentibus bonis, ut ait S. Laurentius Iustinianus *Unius peccati consensu immensas amittit divitias*, nimirum amittit gratiam sanctificantem, dona supernaturalia infusa, omnia merita, merendi potentiam, aptitudinem & condignitatem, aliaq; his similia.

3*tiò* Peccatum tollit in anima imaginem DEI, ad quam formata est, & turpissimi monstri speciem inducit.

4*tò* Peccatum facit DEUM hostem animæ, est causa, ut anima à DEO relinquatur, odio habeatur, DEUSqne illam persequatur.

5*tò* Peccatum animam omnibus Sanctis exosam & abomimabilem facit, facit illam gravissimè fætere, ut hunc fætorem non ferens S. Angelus Custos, longissimè à tali anima abscedere debeat.

6*tò* Omnes creaturas armat contra animam peccato inquinatam

7*mò* In anima producit molestissimum conscientiæ vermem, qui eandem affligit gravissimè.

8*vo* tandem animam constituit in præsentissimo damnationis æternæ periculo, aufertq; omnem salutis securitatem.

Omnia hæc sunt gravissima animæ mala per peccatum causata, ut meritò peccator hostis isq; perniciosissimus sit animæ suæ,

Etiam hæc consideratio moveat te ad concipiendum odium & horrorem peccati, moveat amor animæ tuæ, cujus jacturæ & damno, ne totius quidem mundi lucrum comparari potest.

juxta

Juxta illud: *Quid prodest homini si mundum universum lucretur animæ verò suæ detrimentum, patiatur?* Hortare te ipsum, ut non sis deinceps crudelis in animam tuam, utens illis Eclesiastici verbis: *Miserere animæ tuæ placens DEO.*

PUNCTUM III. Audi Apostolum ad Rom: 8. dicentem. *Omnis creatura ingemiscit.* Et considera per peccatum non solùm Christo, non solùm animæ ipsius peccatoris, sed etiam cuivis alteri creaturæ, gravem inferri injuriam.

Infertur inprimis injuria Sanctissimæ DEI Parenti Virgini Mariæ. Eô ipsô quòd inferatur injuria Filio Mariæ, DEO homini, infertur injuria & Matri.Mater Sanctissima injuriam Filij sui non potest sentire, nisi tanquam injuriam propriam. Cruci affigis Christum, lanceâ cor JESU petis, gladium infigis pectori Mariæ, animam ejus pertransit gladius. Si etiam nunc dum Christus impassibilis est, peccator per peccatum rursus crucifigit in corde suo Christum, etiam nunc idem in eodem corde suo, gladiô transfigit animam Mariæ.

2*dò*. Infertur injuria S. Angelo Custodi, cujus gravis injuria est, quòd ejus instinctibus à peccato retrahentibus non obediatur, quod ei præsenti non exhibeatur reverentia, sed in ejus conspectu & præsentia talia patrentur, quæ homine præsente & spectante non committerentur, quòd Custos hic Sanctissimus contemnatur, procul ablegetur, in locum ipsius, hostis animæ Diabolus advocetur, eiq; cedere cogatur.

3*tiò*. Infertur & irrogatur injuria alijs Sanctis Cælitibus. Si enim aulici magni alicujus terreni Principis in aula ejus commorantes, conspectu ejus fruentes, favores, gratias, honores, & suam omnem felicitatem ab eodem Principe accipientes, injuriam ipsi irrogatam, pro injuria propria habent, eamq; gravissimè sentiunt; à fortiori cæli cives & inco-

læ, DEI ipſius aulici & intimi cubicularij, in ſummis honoribus & felicitate ſuprema ex viſo illo & poſſeſſo ſummo bono conſecutâ conſtituti, injuriam ejuſdem ipſius DEI & Chriſti, ſentiunt, ùt propriam.

4tò. Quævis etiam aliæ Creaturæ injuriam DEI ut ſuam ferunt ámariſſimè. Quævis creatura dicitur & eſt eſſentialiter ſerva DEI. Cùm ergo injuria Domini ſit ſimul injuria ſervi, injuria Creatoris eſt injuria creaturæ. Deinde injuria vel violentia quædam eſt cujuſq; rei, ſi impediatur in conſecutione finis ſui. Finis aliarum creaturarum eſt, ut juvent in eo hominem, ut Dominum DEUM ſuum laudet, revereatur, eiq; ſerviat, ac tandem ſalvus fiat. Hunc finem non conſequuntur creaturæ, ſi homo peccet, quin potiùs peccato hominis impediuntur, nè obtineatur idem finis, quantâ igitur afficiuntur injuriâ, quanta illis infertur violentia? Ulteriùs creaturæ omnes clamant, ut homo DEUM amet, ſuum Creatorem agnoſcat, laudet, illiq; ſerviat, ſi nihil efficiant, potiùſq; homo, tentatione victus, ſi DEUM contemnat, odio habeat, ipſumq; oppugnet, dolore hinc afficiuntur & ingemiſcunt.

Sed vel maximè ingemiſcunt, ſi peccator aliquibus illarum abutitur ad offenſam DEI, vel talem affectet abuſũ. Expoſtulavit aliquando aſina cum Balaam, quòd illam cæderet nolentem progredi, contra voluntatem DEI, illis verbis miraculosè prolatis *cur me cædis?* ſi loqui poſſent plures creaturæ, expoſtularent ſæpius cum peccatoribus quòd illis ad ea quæ legè DEI ſunt prohibita, uti velint.

Hæc conſiderans etiam exinde agnoſce gravitatem cujuſvis peccati, illiuſq: odium & horrorem concipe.

Conclude hoc vel ſimili affectu: Gemit Chri-

ſtus

ſtus ſe à peccatore conculcari, dolet ſanguinem ſuum in corruptionem deſcendere, ergone ludam & deludam lacrymas ejus? Deflet miſerabilem ſortem ſuam anima, nunquid non miſerebor illius, placens DEO? ingemiſcit omnis creatura ad offenſam ſui Creatoris, & ego ſolus exultabo in rebus peſſimis? Quis dabit capiti meo aquam? & oculis meis fontem lacrymarum & plorabo die ac nocte.

In fine: *Pater noſter.*

Meditatio II.
De peccatorum gravitate.
Præludia eadem quæ meditationis præcedentis

PUNCTUM I. Audi Apoſtolum dicentem ad Roman. 5. *Non ſicut delictum ita & donum.* Et applica hæc Apoſtoli verba ad exceſſum, quo peccatum mortale ſuâ malitiâ excedit bonitatem cujusvis operis boni puræ creaturæ, atq; conſidera: Delictum & peccatum grave ſeu mortale, tantæ eſſe malitiæ, ut nullū donū, quod à nobis DEO offerri, poteſt nullū noſtrum meritum, nullus actus bonus puræ creaturæ, malitiæ peccati comparari poſſit. Unde ſi in una lance poneretur injuria, quam DEO irrogas per unum aliquod peccatum mortale, in altera autem lance reponerentur actus intenſiſſimi à te eliciti charitatis DEI, humilitatis, obedientiæ, mortificationes rigidiſſimæ, orationes, zeloſiſſimæ prædicationes, profuſio ſanguinis propter DEUM, nondum ſicut delictum, ita eſſet donum, omnibus his præponderaret peccatum, omnia tua merita, minùs placerent DEO, quàm ei-

dem displiceret peccatum, minorem per hæc omnia deferes DEO honorem, quàm intuleris contemptum per peccatum.

Demus adhuc, quòd illi tui actus charitatis, humilitatis, & alij quàm plurimi, illæ mortificationes, jejunia, orationes, labores Apostolici continuentur centum aut pluribus annis, peccatum autem, quod in uno oculi ictu perpetratum sit. Non sicut delictum ita & donum, omnia hæc tua merita nondum ad bonitatem, parem gravitati & malitiæ peccati pervenerunt. Addantur ulteriùs lanci illi, in qua reposita sunt tua bona opera, addantur inquam merita Beatissimæ Virginis, merita Sanctorum, Angelorum, Apostolorum, Martyrum, Confessiorum, Virginum, omnium Sanctorum, merita totius Eclesiæ, imò creet DEUS plures mundos, & quantumcunq; illos multiplicet, multiplicentur etiam & crescant in immensum merita hominum & Angelorum, qui in pluribus illis diversis mundis sunt exstituri, adhuc erit verum dicere, non sicut delictum ita & donum, bonitate suâ hæc non adæquabunt malitiam, & gravitatem unius peccati mortalis, per hæc omnia non resarcitur injuria personalis DEO per peccatum irrogata, magis DEO displicebit peccatum, quàm universa illa placebunt.

Sicut enim quantumcunq; multiplicentur creaturæ rationales, tamen omnium illarum etiam collectim & simul acceptarum dignitas & excellentia nunquam pertingit, aut pertingere potest ad mensuram dignitatis & infinitæ excellentiæ DEI, ita quantumcunq; multiplicentur merita, & obsequia talium creaturarum, hæc tamen etiam collectim accepta, non pertingent ad tantam excellentiam & æstimabilitatem, quanta gravitas & malitia est offensæ, quâ offenditur Persona Divina infinitè digna. Siquidem merita & obsequia quæcunq;

cunq; purarum creaturarum æſtimabilitatem ſuam habent à dignitate & excellentia perſonarum merentium, quæ puræ creaturæ eſſe ſupponuntur. Offenſa verò Divina, gravitatem & æſtimabilitatem ſuam habet à Perſona Divina, ſummæ, infinitæ, nec adæquabilis unquam excellentiæ, quæ offenditur.

His conſideratis expende ulteriùs 1*mo* Quàm extrema ſit hominis reſolventis ſe in lethale peccatum amentia, velle contrahere debitum, cui exſolvendo nullâ ratione par eſſe poteſt, velle tantum malum perpetrare, cui nullum obſequium, tam ipſius offenſoris, quàm omnium creaturarum ſimul ſumptarum æquale inveniri poteſt. Rei hujus adeo vivam apprehenſionem habuit S. Maria Magdalena de Pazis, ut morti vicina cum magno animi ſui ſenſu exclamaverit: *Ego ex hoc mundo decedo, antequam poſſim, vel potuerim comprehendere quomodo una creatura velit offendere Creatorem &c, patrare peccatum mortale,*

2*dò*. Expende quantùm debeas DEO tuo ſi velis pro peccatis tuis, aliquatenus etiam, non condignè ſatisfacere. Notum ex hiſtorijs, quæ fecerit, quantùm in ſe ipſam ſævierit S. Chriſtina Virgo, occaſione tormentorum & pænarum purgatorij, quæ ipſi aliquando in mentis exceſſu præſentatæ fuerunt, ut ex his pænis animas liberaret. Magis tu in te ipſum ſævire debes, plura propter DEUM facere, & majora exhibere obſequia, ut aliquomodo Juſtitiæ Divinæ ſatisfacias pro lethali offenſa, à te vel alijs perpetratâ, cùm inter tormenta vitæ hujus & pænas purgatorij poſſibiliùs ſit, dari aliquam æqualitatem, quam inter quæcunq; obſequia, ſeu quamcunq; puræ creaturæ ſatisfactionem & inter gravitatem offenſæ mortalis, quâ offenditur DEUS,

3*tiò* Expende non debere te unquam reſol-

vere in peccatum mortale ex quocunq; fine, quantumcunq; honesto & laudabili, & propter ullum bonum. Cùm enim nullius peccati mortalis gravitatem adæquare possit sua bonitate ullum bonum creatū, nullum meretur, ut propter illud offendatur DEUS & tantum malum perpetretur.

Elice deinde affectus detestationis & odij peccati, deplora tuam cæcitatem & stultitiam in offendendo DEO, quòd tam parvi penderis, DEUM graviter offendere, quòd tam facilis fueris ad perpetrandum tantum malum. Fac firma proposita ampliùs non offendendi DEUM peccatô maximè gravi & mortali, dicens cum Psalmista: *Juravi & statui custodire legem tuam.* Fac item propositum de vita deinceps ducenda, in austera, & rigida pœnitentia, in vigilijs, in abstinentijs in jejunijs, afflictionibus corporis, ferventissimis actibus amoris DEI, contritionis, humilitatis, obedientiæ, aliarumq; virtutum, ut hac ratione aliquomodo satisfacias Justitiæ Divinæ pro peccatis, quibus summam ejus excellentiam offendisti, cùm certus sis, gravitati & malitiæ peccati mortalis, nullum obsequium in sua bonitate æquale te exhibere posse. Fac tandem propositum propter nullum bonum, nullum tuum commodum & emolumentum etiam spirituale, quantumvis sperares, hac ratione quàm maximè promovendam gloriam Divinam, te aliquando commissurum quodpiam peccatum. Postula à DEO supplex gratiam, quâ adjutus, nunquam deinceps DEUM offendas. Postula item gratias quibuscunq; mortalibus, ut hi pariter nunquàm DEUM offendant, ut peccata præsertim mortalia non committantur ab hominibus, vel certè quàm maximè minuantur.

PUNCTUM II. Audi verba ejusdem Apostoli Pauli ad Rom: 5, *Reconciliati sumus DEO, per mortem Filij ejus.* Et considera etiam ex eô gravitate m

tatem peccati mortalis. Quòd ut reconciliaremur DEO per peccatum offenſo, neceſſe fuerit Filium DEI, hominem fieri, & pro peccatis noſtris in carne humanâ, condignam exhibere ſatisfactionem, talemq; ſatisfactionem exhibitam, & reconciliationem hominum cum DEO factam eſſe per mortem Filij DEI crudeliſſimam. Duo ſpecialiter apprehende & ex utroq; gravitatem peccati cognoſce, nimirum, quòd ad reconciliandum DEO, hominem, opus fuerit ſatisfactione Filij DEI. Deinde quòd hæc ſatisfactio à Filio DEI Incarnato, non aliter exhibita ſit, niſi per acerbiſſimam & crudeliſſimam mortem ejuſdem.

Et 1*mò* quidem tanta gravitas eſt peccati mortalis, ut ad reconciliandos homines DEO, per tale peccatum offenſo, & ad ſatisfaciendum ad æqualitatem juſtitiæ Divinæ pro eodem, neceſſe fuerit Filium DEI, hominem fieri, & ſatisfactionem hujuſmodi exhibere. Cùm enim nulla pura creatura imò nec omnes etiam, quantumcunquè multiplicatæ, collectivè ſumptæ, potuerint exhibere obſequia, ſive intenſione, ſive numerô & multititudine, quantumvis creſcentia, quæ tantæ excellentiæ & bonitatis eſſent, ut peccati etiam unius mortalis gravitatem adæquarent, ut viſum eſt punćto præcedente; clarum eſt nullam puram creaturam quantumcunq; gratiâ Divinâ alijſq; donis Divinis exornatam, ac ne omnes quidem puras creaturas ſimul ſumptas, potuiſſe exhibere DEO condignam ſatisfactionem pro peccato mortali. Hæc enim condigna eſſe non poteſt, ſi non adæquet ſuâ excellentiâ & æſtimabilitate gravitatem offenſæ mortalis. Cùm verò unigenitus DEI Filius in carne humana aſſumpta, potuerit exhibere DEO & Juſtitiæ Divinæ obſequia tanti valoris, excellentiæ, & æſtimabilitatis, imô longè majoris, quàm ſit gravitas peccati mortalis, quævis e-

nim

nim obſequia DEI hominis æſtimabilitatem & valorem ſuum non ſolùm accipiunt à Perſona Filij DEI à qua exhibentur; quemadmodum offenſa mortalis ſuam gravitatem & æſtimabilitatem deſumit à Perſona Divina quæ offenditur; ſed inſuper merita Chriſti æſtimabilitatem ſuam à Perſona Filij DEI habent, longè perfectiori modô, quàm ſit modus, quô ſuam gravitatem deſumit offenſa DEI mortalis, à Perſona Divina offenſa. Habetur exinde, neceſſe fuiſſe, ut una ex Perſonis Divinis, v: g: Filius DEI homo fieret, & in carne aſſumpta Juſtitiæ Divinæ ſatisfaceret, ad peccatores DEO reconciliandos, eoſq; viâ condignæ ſatisfactionis liberandos à peccato.

2*do*. gravitas peccati mortalis hinc æſtimanda eſt, quòd Chriſtus ſatisfactionem pro peccatis noſtris exhibuerit per tot obſequia, labores, ſudores, per tot & tam ſublimes virtutum actus, per tot ærumnas, dolores, tantorum cruciatuum perpeſſionem, tantam ſanguinis effuſionem, ac etiam ignominioſiſſimā & crudeliſſimā in cruce mortē. Potuit Chriſtus quocunq; ſuô minimô obſequiô ſatisfacere condignè pro quibuscunq; etiam infinitis peccatis mortalibus, omnium hominum & Angelorum, etiamſi plures mundi creati fuiſſent, idq; pro peccatis quantumcunq; enormibus, tamen ut oſtenderet gravitatem peccati mortalis, hujuſq; gravitatis apprehenſionem faceret hominibus, & quò meliùs odibilitatem tanti mali detegeret, non niſi tot laboribus, tot ſudoribus, tot impenſis, tot & tantis obſequijs ſatisfacere voluit. Unico actu humilitatis ſuæ, ſubjciendo ſe ex. gr. Matri ſuæ Sanctiſſimæ, potuit Chriſtus ſatisfacere pro peccatis omnibus etiam graviſſimis, Et tamen ut ſatisfaceret pro peccatis noſtris, humiliavit ſe uſq; ad abjectionem ſui ad pedes Judæ, humiliavit ſe uſq; ad exinanitionem, uſq; ad ignominioſiſſimam mortem.

Potuit-

Potuit Christus satisfacere condignè unicô obedientiæ actu, idq; in rebus facilibus, ad quæ sentiret inclinationem, & tamem obediens fuit totâ vitâ suâ, obediens fuit non solùm Patri æterno, non solùm Matri suæ Sanctissimæ, & suo Patri putatitio S. Josepho, sed etiam obediens fuit hominibus sceleratis, obediens fuit Cæsari, Regibus, Principibus Sacerdotum, Præsidibus, Satellitibus imò etiam ipsis lictoribus, idq; obediens fuit in rebus difficillimis, quia in suscipiendo & acceptando præcepto mortis, in exhibendo suo sanctissimo corpore ad durissima tormenta. Potuit Christus satisfacere, pro totius mundi peccatis, in primo suo in mundum adventu, in conceptione vel nativitate sua, satisfecit verò per tanti temporis annorum nimirum 33 & ampliùs labores, per tot sudores, operatus est salutem nostram in medio terræ, in conspectu universæ Hierosolymæ illum ad mortem postulantis, & deridentis. Potuit adhuc Christus satisfacere sine ullo corporis sui vulnere, vel certè per modicum aliquod sibi inflictum vulnus. Voluit tamen satisfacere per tot sibi inflicta vulnera, ut à planta pedis usq; ad verticem capitis non esset in eo sanitas. Potuit satisfacere per effusionē unius guttæ pretiosi sui sanguinis, vel certè per sanguinem in circumcisione effusum, voluit verò satisfacere totius sui purissimi sanguinis, usq; ad ultimam guttam effusione, sanguine ex toto corpore, etiam ex ipso corde Christi Sanctissimo, profluente. Deniq; Christus potuit satisfacere morte aliqua leviore, & pœnis mitioribus, mortem tamen oppetiit crudelissimam & maximè infamem, sustinuit tormenta acerbissima. Voluit autem hoc modo (ut aliàs dictum est) satisfacere, ut homines agnoscerent gravitatem & fæditatem suorum peccatorum, quam certè non facilè æstimarent & apprehenderent, si Christus leve aliquod obsequi-

um

um & facilè, in satisfactionem pro peccatis nostris, Justitiæ Divinæ exhibuisset.

His consideratis, agnosce ô Anima mea gravitatem & fæditatem peccatorum tuorum. Admirare Filij DEI charitatem, ex qua se in mortem crudelissimâ tradidit, ut te Patri suo æterno reconciliaret. Reflecte etiam te & cogita; Non satis fuit amori Christi erga te, ut unô obsequiô, unâ aliquâ humiliatione, illô suô suspiriô: *Pater dimitte illis* satisfaceret pro peccatis tuis Justitiæ Divinæ, quāvis unum etiam obsequium, una humiliatio, unum suspirium haberet omnem condignitatem & sufficientiam ad exstinguendum omne jus in DEO ad irasci homini propter peccatum, ad satisfaciendum plenè & adæquatè Justitiæ Divinæ pro peccatis totius Mundi, ad reconciliandos peccatores Patri suo æterno. Tot obsequia tam ardua posuit, tam copiosâ redemptione te redemit, ut agnoscas gravitatem tuorum delictorum, neque ultra ad hæc revertaris, iterumque te in servitutem peccati conijcias. Ut item intelligas te etiam satisfacere debere pro peccatis tuis. Non dubitavit Christus post effusionem sacratissimi sui Sangvinis in Circumcisione, post abjectionem sui humilem ad pedes Judæ, tot alia tormenta, & mortem subire acerbissimam, & tu dubitabis, post tui à Christo redemptionem, an aliquid in satisfactionem pro peccatis tuis facere & ex parte tua conferre debeas? Pater æternus propter tua scelera ita non pepercit Filio suo, ut etiam morte funestissimâ eum percusserit, tu voles, ut nihil tibi mali accidat, ut nihil pro tuis delictis patiaris, ut nihil DEO offeras. Existimas non debere te adimplere, quæ Christus & Justitia Divina deesse Passionibus, Christi & à te adimpleri voluit. Ut denique intelligas non debere te parvâ satisfactione pro peccatis tuis esse contentum, sed debere te rigidam. agere pœnitentiam,

tiam, cônfigi te debere cruci Chrifti, & mortificationem ejus ferre, debere te, caftigatione tui corporis, jejunijs, fame, fiti, nuditate, humiliationibus tui, alijſq; operibus fatisfactorijs, ad mortem uſq; exfolvere peccata tua, & de propitiato peccato quoad vivis, non debere te eſſe fine metu. Quæ deinceps exfoluturus es, nunc deflere incipe peccata tua, quæ tantorum cruciatuum & mortis Chrifti cauſa exftiterunt.

O amabiliſſime DEUS! tantane peccatorum meorum eft gravitas, ut Unigenitus Filius tuus carnem noftram aſſumere, in eaq; immaniſſimè excruciari, & mortem ignominioſam fubire debuerit? Tantane peccati mei gravitas, ut Chriftum ad pedes Judæ depreſſerit, fub pedibus conculcantium proftraverit, ut Chriftũ humiliari & exinaniri oportuerit? Tantumne eft peccati mei pondus, ut ex puriſſimo Filij DEI corpore, omnem ipfius fanguinem cum vita & anima expreſſerit? potiùs ego hoc pondere ad ipfum infernum deprimi debueram. Lapis hic molaris duræ meæ cervici alligari debuerat, ut me in ftagno illo ardente demergeret. O Amor cordis mei, exoſculor vulnera tua, quæ tibi amor mei inflixit; ad pedes tuos cruci affixos defleo peccata mea, pro quibus ut fatisfaceres crucem aſcendifti.

Punctum III. Audi verba illa Jerem: 2. *Scito & vide: quia malum & amarum eſt, reliquiſſe te Dominum DEUM tuum.* Et confidera nullum tantum eſſe malum, nihil tam amarum eſſe debere, atq; eft dereliquiſſe Dominum DEUM; atq; malum & amarum eft quodvis peccatum, præcipuè grave, contra DEUM commiſſum. Nimis amaræ afflictiones nobis videntur, quibus frequenter à DEI manu concutimur & flagellamur, amara eft vita, ut etiam vivere tædeat, fi continuis premamur ærumnis, & adverfitatibus, mors etiã, imò

& ipſa mortis memoria plurimis amara eſt. Juxta illud: *O mors quàm amara eſt memoria tui?* Dies magna Judicij Divini, & vox illius, amara eſt futura, in eaq; tribulabitur fortis, juxta Sophoniam Prophetam; malus deniq; & amarus infernus eſt; quia etiam animas cruciabit, quæ amaritudine potiſſimùm cruciantur. quia ibi amaritudo erit, ibi fletus & ſtridor dentium.

Nihilominùs comparatione peccati, dulcia hæc ſunt & ſvavia. Peccatum eſt virus & venenum amariſſimum, eſt fel draconum, & venenum aſpidum inſanabile, illud morſu amariſſimo mordet, & necat peccatorem. Inter omnia mala, dereliquiſſe Dominum DEUM, ita malum & amarum eſt, ut hoc nonniſi malum & amarum cenſeri debeat. Quod ipſum ex eo ulteriùs eſt, quia ſolum peccatum eſt malum culpæ, afflictiones verò quæcunq;, ærumnæ item, mors, infernus, aliaq; hujuſmodi, ſunt pœnæ. Porro ſola culpa eſt malum, cùm nullatenus DEUS cuipiam velit, nec eam velle & in ea complacere ſibi poſſit, velit autem DEUS & poſſit velle pœnam, quia vult illam ex ſuppoſitione peccati, in eaq; ſibi complacet, tanquam in re Juſtitiæ Divinæ debita, & ab ea exigita.

Deinde, malum culpæ eſt tantum malum, ut propter nullum bonum conſequendum, etiam propter ſupremam felicitatem eligi & appeti prudenter poſſit, ut item non ſit eligibile ad declinanda quæcunq; alia mala, juxta illud: non ſunt facienda mala, ut eveniant bona. Jam verò mala illa, quæ in pænam infligi ſolent, nec habent rationem culpæ, bene & prudenter eligi poſſunt, ſive ad conſequendum aliquod bonum ſingulare, ſive ad evitanda alia mala ejuſdem generis & rationis, tantò magis ad evitandum malum culpæ, ad quod etiam evitandum, non ſolùm poſſunt, ſed etiam debent præeligi & exoptari.

Ex

Ex hac consideratione deduces: omnes vitæ hujus ærumnas, cruces, afflictiones, mortem etiam ipsam, imò & infernum præoptare te debere, quàm ut DEUM offendas; & ut declines malum illud & amarum, quod est dereliquisse Dominum DEUM tuum, seu, ut declines quamcunq; culpam, quodcunq; peccatum.

Deduces iterum: omnes amaritudines hujus vitæ, omnes ærumnas, debere tibi dulcescere, ut per illas possis te liberare à malo culpæ, quod unicè malū & amarū est. Frequenter ad graviores amaritudines avertendas & depellendas, adhibes amaritudines, sed leviores. Ut interiora depellamus tormina, morborū item mala, & amaritudines, utimur amara potione & medicinâ. Amaritudo peccati, quæ & gravissima & maximè periculosa est, depelli potest amaritudine pænitentiæ. si amarè defleveris peccata tua, si in amaritudine fuerit oculus tuus, absterges gravissimam amaritudinem culparum tuarum. Defle itaq; amaris lacrymis peccata tua, pœnitentijs, afflictionibus, mortificationibus & qnibusvis asperitatibus hoc malum depelle, dulcescant tibi hæc omnia, ut non te cruciet & conficiat illud malum, & amarum, quod est dereliquisse Dominum DEUM Creatorem tuum. Fac proposita, elice protestationes & varios affectus.

In colloquio à Christo cruci affixo postula, ut amarissima sua morte & passione liberet te ab amaritudinibus quarumvis culparum & peccatorum, & ut dulcoret tibi amaritudinem status pœnitentiæ, quam agere debes, ut item dulces tibi reddat lacrymas, quibus deplorabis peccata anteactæ vitæ tuæ, omnesq; mortificationes, quas rigidas & asperas convenit te assumere, ut ad impleas ea, quæ desunt Passionibus Christi.

In fine: Anima Christi.

Meditatio III.
De effectibus peccati mortalis

Præludium 1. Imaginare prælium instrui à peccatore contra DEUM, vicissimque à DEO contra peccatorem. Pro parte peccatoris, simul cum ipso, decertant Draco & Angeli ejus, & totus infernus. Pro parte DEI contra peccatorem armatur omnis Creatura.

Præludium 2. Postula à DEO gratiam, quâ illuminatus cognoscas in bello hoc injusto, certô succubiturum peccatorem, & in maxima conijciendũ mala & pericula.

PUNCTUM I. Audi illa verba Prov. 15. *Longè est ab Impijs DEUS.* Et considera: quòd DEUS quemadmodum justis adest, & adesse censetur, specialiori quodam modo, adest enim illis per gratiam sanctificantem, per charitatem in cordibus ipsorum diffusam, per quam etiam se habitare in ijsdem profitetur. Adest item justis per gratias actuales speciales, & specialem circa eos suam benevolentiam & providentiam exercet, adest adhuc ipsis singulariori protectione & auxilio, illos contra hostes eorum defendendo; Ita è contrario DEUS ab impijs longè abest; abest per privationem gratiæ sanctificantis & donorum supernaturalium infusorum, abest per subtractionem gratiarum specialium actualium, suæq; specialis benevolentiæ, abest denique per denegationẽ protectionis, auxilij & defensionis contra hostes animæ ipsorum, tentationesq; & insultus dæmonum.

O quàm miser ille est, à quo DEUS ita elongatur. Infelices tales DEUS appellat Oseæ 9. *Væ illis, cùm recessero ab eis.* Non est ita miser infantulus, à quo, inter urticas & vepres positô, sua re-

cessit

ceffit mater, Cæcus item abſq; viæ duce in præcipitio conſtitutus, aut grex ovium in ſolitudine, in medio luporum à paſtore derelictus: atq; eſt miſera & infelix anima peccatoris, à qua DEUS receſſit. Quid ſupereſt animæ taliter a DEO derelictæ? an non illud, quod Zachar. 11 dicitur. *Non paſcam vos, quod moritur, moriatur, quod ſuccidıtur, ſuccidatur.* An non hoc, ut lupi infernales & infenſiſſimi animæ hoſtes dæmones, in talem animam irruant, ad perdendam eam, certatimq; exclament. *DEUS dereliquit illum, perſequimini & comprehendite eum, quia non eſt, qui eripiat.*

Hôc conſideratô, exhorreſce talem à DEO derelictionem, time, ne à te DEUS aliquando recedat, & ſe elonget. Quia vero DEUS neminem derelinquit, niſi à quo derelinquitur, & ab ijs tantùm recedit, qui priùs ab eo receſſerunt, time & præcave, ne per peccatum à DEO aliquando elongeris, & Creatorem tuum priùs derelinquas. Proteſtare coram DEO, quòd ipſi adhærere velis, dicens: *Mihi autem adhærere DEO bonum eſt.* Poſtula etiam à DEO, ne te permittat à ſe elongari, nec ille ſe à te elonget, uſus illis Pſalmiſtæ verbis. *DEUS, ne elongeris à me, DEUS meus in auxilium meum reſpice.*

PUNCTUM II. Audi illa verba Pſal. 5. *Odiſti omnes qui operantur iniquitatem*, & Sapient. 24. *Odio ſunt DEO impius & impietas ejus.* Et conſidera, quòd DEUS propter peccatum non ſolùm derelinquat peccatorem, ſed etiam, quod gravius eſt, odio averſetur & peccatum ipſum, & ratione peccati, peccatorem. Circa hoc odium Divinum peccati & peccatoris, tria conſidera.

1*mò* Quòd DEUS verô & propriô odiô proſequatur peccatum. Peccatum enim è diametro opponitur DEO, peccatum eſt offenſa ſupremæ majeſtatis, eſt læſio ſummæ excellentiæ Divinæ, pec

catum eſt oppoſitum eſſentiæ, omnibuſq; perfectionibus DEI, eſt oppoſitum omnibus & ſingulis Perſonis Divinis, eſt oppoſitum actibus DEI liberis. Cùm ergo DEUS neceſſariò ſeipſum amet, idq; ſummè amet, neceſſario ſibi in ſeipſo ſuiſq; perfectionibus conplaceat, conſequens eſt, ut neceſſariò averſetur & odio habeat omne id, quidquid ſibi ſuiſq; perfectionibus adverſatur; Ex duobus enim oppoſitis, ſibiq; maximè repugnantibus, quò magìs proſequimur unum, eiq; afficimur, eò magis aliud oppoſitum averſamur & deteſtamur.

Conſidera 2*dò* DEUM ita averſari peccatum, & ratione peccati, peccatorem, ut hæc ſola nonniſi averſetur & odio habeat, nihilq; præterea ultra hæc; quod ex eo eſt, quia DEUS diligit omnia quæ fecit, & nihil odit eorum quæ fecit. Solum autem peccatum eſt, quod DEUS non fecit. Is enim ſolus peccatum, ut tale, facit, qui ad illud concurrit cum inclinatione, complacentiâ, & ex propria electione ac determinatione. DEUS autem, etiamſi concurrat ad peccatum ex ratione cauſæ primæ ſeu univerſaliſſimæ, non concurrit tamen ad illud cum inclinatione & complacentiâ, nec ex determinatione & electione voluntatis ſuæ Divinæ, ſed potiùs concurrit cum ſumma abhorrentia & renitentia, ac nonniſi ut determinatus à voluntate creata. Si autem DEUS odit peccatum, odit & ipſum peccatorem, tanquam Authorem peccati, tanquam præcipuam & principalem cauſam rei tam ſibi exoſæ & abominabilis, tanquã illum, qui ſervire ſibi facit DEUM in iniquitatibus ſuis.

Conſidera 3*tiò* odium peccati à Natura & eſſentià DEI ita inſeparabile, & tam arctè Divinitatis fundo annexum eſſe, ut, ſi DEUS peccatum odiô non inſequeretur, eô ipſô deſineret eſſe DEUS: ſicut enim DEO eſſentialis eſt amor ſui, ita

debet

debet eidem eſſentiale eſſe odium peccati, tanquam rei DEO ejuſq; perfectionibus maximè repugnantis; odium verò peccatoris ejuſmodi eſt, ut licet DEUS peccatorem ut talem, hoc eſt ſtante & permanente ipſius peccato, non poſſit non odiſſe, ſicut non poteſt non odiſſe peccatum; nihilominus odium peccatoris ſecudùm ſe ſpectati, non eſt eſſentiale DEO, quia non eſt eſſentiale peccatori ut peccatũ ipſius ſemper maneat, ſed hæc felicitas ipſius in hac vita eſt, quòd peccatum ipſius tolli ac remitti poſſit. Sublatô verò ac remiſſô peccatô, non ſolùm DEUS non odit peccatorem, ſed etiam ipſum in gratiam recipit, recipit in filium, ac ſingulari proſequitur amore.

Hoc Divinum odium peccati, ſufficiens motivum eſſe deberet ad hominem à peccato retrahendum. Dignus certè DEUS eſt, ne hoc odium ipſius adverſus peccatum provocetur, ne à te materia & objectum odij Divini ac perpetuæ diſplicentiæ ponatur. Odium etiam ipſius peccatoris, quo DEUS fertur in peccatorem propter peccatum, ſi penitiùs inſpiciatur, tantæ efficaciæ eſt, ut vivax illius apprehenſio à peccato retrahere valeat. Certè filius cavet offenſam amantiſſimi ſui Patris, ſubditus cavet offenſam clementiſſimi Principis, ſervus optimi ſui Domini, ne iram & indignationem ejuſdem incurrat. Quidni pariter creatura retrahetur timore à peccato, ne odium Creatoris ſui provocet, ipſumq; concitet ad indignationem.

Hæc conſiderans, reflecte te, an odium Divinum, quô DEUS odit peccatum, ita vivaciter apprehenderis, & apprehendere ſoleas, ut te illud retrahere ſoleat à peccato? ſi te non retraxit aliquando, an ſaltem poſt patratum peccatum ſeriò recogites, quàm grave ſit, odium incurriſſe Divinum? Plures ſubditos, apprehenſio iræ Principis terreni, & promeritæ à ſe illius indignationis, tantùm per-

culit, ut intra breve tempus, ac etiam sæpiùs morte repentinâ illos enecaverit. Apprehensio indignationis Divinæ per peccata tua promeritæ, nolim ut mortem tuam corporalem causet, sed potiùs ut ad vitam & vitam meliorem te adducat. Age, & felicitate tua utere, quam habes, quòd possis à peccato liberari, Deoq; reconciliari offenso, ne te propter tuum peccatum odio habeat, Adhibe media, ut peccatum, quod cõmisisti, in anima tua non maneat; nec perseveret, per seriam pænitentiam illud delere stude; ita enim fiet, ut DEUS non solùm te odio non habeat, sed etiam, ut te in gratiam & filium recipiat.

Reflecte iterum te, quantô odiô tu oderis peccatum, an odiô summô? an odiô perpetuô? & totâ æternitate duraturô? an aliquatenus simili illi odiô, quô illud ipsum DEUS odit? An solùm oderis peccatum, & teipsum propter peccatum, quamdiu eidem es obnoxius? Cura ut odiô verò & propriô, odiô implacabili prosequaris peccatum, ut nihil præterea oderis ultra peccatum. Peccatorem si odisti propter peccatum, ita illum odi, ut velis illum à peccato liberari, ut illum velis ex peccato consurgere, ut simul illum ames secundùm se, ut optes & desideres conversionem & salutem ipsius, eumq; quàm maximè juves, ut cum DEO in amicitiam redeat, Deoq: serviat in sanctitate. Nam etiam Divino odio, quo DEUS odit peccatorem propter peccatum, est in DEO conjunctum desiderium conversionis ipsius, & amor salutis ejusdẽ. Ita DEUS odit peccatorem, propter peccatum, ut ipsum benignissimè juvet, auxilia gratiæ suæ illi conferat, ut ad ipsum redeat & convertatur.

Elice affectus, fac proposita accõmodata. In omnibus peccandî occasionibus sit tibi deinceps præ oculis odium Divinum, quô DEUS peccatum & peccatorem odit. Urgente tentatione ita te ipsum

alloque

alloquere. Ergone anima mea DEUM tuum ad iram & indignationem concitabis? nunquid non ipse Pater tuus est? nunquid non supremus Princeps, nunquid non ille Dominus & Creator tuus.

PUNCTUM III. Audi DEUM dicentem Psalm. 17. *Persequar inimicos meos & comprehendam, & non convertar donec deficiant. Confringam illos, nec poterunt stare, cadent subtus pedes meos.* Et considera, quòd DEUS non solùm derelinquat peccatores illis gratia habituale, pluresq; gratias suas actuales & protectionem suam subtrahendo, non solùm odio prosequatur & aversetur, sed etiam eosdem gravissimè persequitur, suasq; injurias vindicat. Porro in persequendis peccatoribus, DEUS aliquatenus eum modum & ratione tenet, quā tenet Rex aliquis vel Princeps terrenus in persequendo suo hoste.

Curat ille 1*mò* ut hostem, hostilemq; exercitum in arcto teneat, illumq; cingat, & quasi comprehendat, nec permittit ipsum pedem efferre extra castra, ut commeatum conquirat, & commoda sua, & vitæ conservandæ subsidia habere possit.

2*dò* Curat hostem attenuare, vires illius minuere, ut semper magis ac magis deficiat.

3*tiò*. Attenuatum hostem confringit, ac ita potentiam ejus frangere nititur, ut ultra non assurgat, nec possit stare subtus pedes ejus.

Simili modô persequitur DEUS inimicos suos, nimirum peccatores. 1*mò*. persequitur illos comprehendendo, hoc est, tenet eos in arcto, per varias tribulationes, ærumnas, afflictiones, morbos, multaq; alia flagella, ut peccator queri debeat; *Circumdederunt me mala, quorum non est numerus*. Talibus adversitatibus arctat & cingit DEUS peccatores, ut se tandem dedant, & DEO subijciant, ut veniam rebellionis & perduellionis suæ postulent, suumq; legitimum deprecentur Dominum.

2*dò*

2dò DEUS, peccatoris quem persequitur, imminuit vires, non solùm corporales, sed etiam spirituales & supernaturales, subtrahit illi multa auxilia gratiæ suæ, permittit ut illis quæ ipsi offert, non utatur, nec ijsdem cooperetur in tentationibus & peccandi occasionibus, ut deficiat & succumbat.

3tiò DEUS confringit peccatorem, permittendo frequentiores & graviores ipsius lapsus, ut de peccato in peccatum proruat, ut plures contrahat peccaminosos habitus, ut continuò cadat, nec possit stare subtus pedes ejus, consequenter DEUS illum calcat in furore suo, & suis pedibus conterit, dat ipsum in reprobum sensum, tandemque morte illum malâ & supplicijs perdit æternis.

His consideratis, exclamabis cum Apostolo: *Horrendum est incidere in manus DEI viventis.* Dãnabis deinde multos ausus tuos, quòd contra DEUM assurrexeris per peccatum, ipsumque provocaveris, ut te tanquam suum inimicum persequatur. Deprecaberis postea humiliter offensum à te Numen, & dices: *Contra folium, quod ventô rapitur, ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris? scribis contra me amaritudines, & consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ.*

In colloquio ad vulnera Christi Crucifixi confugies à facie furoris Domini, petens suppliciter, ut Christus intra sua vulnera te recipiat, ibique abscondat.

In fine: Anima Christi.

Meditatio IV.

De effectibus peccati mortalis.

Præludia eadem quæ meditationis præcedentis.

PUN-

PUNCTUM I. Audi Psalmistam dicentem Psal. 149. *Exaltationes DEI in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus.* Et considera: his psalmi verbis exprimi odium, quô Sancti DEI feruntur in peccata & peccatores. Hi, ita DEUM, quô æternaliter fruuntur, laudant, exaltant, & benedicunt, ut simul justô quodam zelô abripiantur contra peccatores, eorumque peccatum tanto odio habent, ut nisi status beatitudinis & felicitatis ipsorum eos redderet immortales, morituri essent præ dolore & tristitia, quando vel unicum intelligunt patrari peccatum. Offendis DEUM graviter? Mater Beatissima & Sancti DEI morerentur præ displicentia & indignatione ac odiô adversus peccatum, si mori possent.

Rationem hujus reddit S. Gregorius, Quia Sancti DEO jam fruentes, cùm per visionem Beatificam sint uniti DEO, & absorpti ab essentia ejus, nihil aliud possunt velle, quàm velit DEUS, nihil amare, in nullo alio delectari, nisi quod amat & quô delectatur DEUS, nihil etiam possunt aliud odisse, quàm quod DEUS odiô prosequitur. Cùm ergo DEUS summè oderit peccatum, in eo sibi maximè displiceat, dolore cordis sui Divini tangatur intrinsecùs, quoties videt patrari scelera, etiam Sancti summè oderunt peccatum, summè sibi in illo displicent, de illo, quòd fiat, maximè dolent, & quodammodo tristantur, Certè amor, quô in DEUM adhuc in hac vita mortali ferebatur vir secundum cor DEI, tantô Zelô eundem accenderat adversus peccatores, ut præ indignatione & odiô peccati, tabesceret & deficeret, sicut ipse de se ipso testatur, *vidi prævaricantes & tabescebam.* Quidni pariter aliquomodo Beatificus ille amor, quô Beati DEUM in cælis amant, non simili zelo accendat corda eorundem?

Accendit certè, idque non solùm ut odio habeant peccata, sed etiã ut odio habeant ipsos peccatores, ut eos persequantur, ut contra eos armentur, ut gladios ancipites arripiant ad ulciscendam injuriam Dei, & faciendam vindictam. Hic zelus aliquando ipsius Christi armavit manum, à Cruce avulsam, cruore ejus proprio, ut hunc in faciem cujuspiam obstinati peccatoris projiceret. Idem zelus armavit manus Sanctorum Mercurialis & Arthemij Martyrum contra Julianum Apostatam Imperatorem, idem armavit manum item S. Francisci Seraphici, contra aliquem Prælatum, Religiosos Ordinis à se instituti persequentem.

Contingit quidem aliquando, quòd Beatissima & Sancti Dei opponant se iræ & justitiæ Divinæ, suisque precibus vindictam Dei cohibeant. Hoc tamen contingit ex eo, quod Deus illis specialiter inspiret, voluntatemque eorum moveat, ut pro nobis intercedant, quod nunquam alias fieret, si sequerentur instinctum, quô zelant honorem Dei

Fac reflexiones supra teipsum, & considera, an & tu non contristaveris gravi peccato mòrtali Matrem Beatissimam? an ex oculis S. Angeli Custodis tui non expresseris lacrymas? An quempiam Sanctorum non armaverit zelus gloriæ Divinæ ad faciendam de te vindictam?

Exhorresce peccatum, detestare illud quàm maximè, advolvere pedibus Matris Sanctissimæ, & defleas cæcitatem tuam, quòd tu degener filius, gravissimo dolore, ob patratam à te Verbi Divini Incarnati offensam, tanquam gladiô transfixeris pectus, cor, & animam Sanctissimam Divinissimæ hujus Matris. Postula veniam à S. Angelo Custode tuo, Sanctisque Patronis & omnibus Cælitibus, quòd eos contristaveris, & ad justam indignationem & ulciscendam Dei injuriam provocaveris. Fac proposita, & protestare curaturum te, ut sicut San-

Sanctis illis ſpiritibus & cæli civibus mæroris cauſa exſtitiſti peccando, ita ijsdem facias gaudium in cælo ſuper te maximo peccatore pœnitentiam agente.

PUNCTUM II. Audi Job dicentem cap. 17. *Dies mei tranſierunt, cogitationes meæ diſſipatæ ſunt, torquentes cor meum. Noctem verterunt in diem.* Et Conſidera his verbis exprimi, quòd conſcientia peccati commiſſi ſit carnifex crudeliſſimus, ſit ſæviſſima ultrix, vindictam ſumens ex peccatore. Non ſolus DEUS, non tantùm Sancti DEI, ſed & ipſe peccator eſt vindex ſuorum ſcelerum. Conſcientia mala eſt vermis nunquam moriens, ſemper rodens & torquens cor peccatoris. *Hæc eſt prima & maxima peccantium pœna,* (ut ait Ethnicus Philoſophus Seneca,) *peccâſſe* ; hæc facit, ut fugias nemine perſequente, ut omnia timeas, omnia ſuſpecta habeas. De peccatore verificatur illud, quod idem Job cap. 15 dicit: *ſonitus terrens in auribus illius ſemper, & cùm pax ſit, ille ſemper inſidias ſuſpicatur.*

Talem carnificem expertus eſt Saul, ut interfici voluerit, non ferens anguſtias animæ ſuæ, dū diceret ad quempiam: *Sta ſuper me & interfice me, quoniam tenent me anguſtiæ,* anguſtiæ inquam conſcientiæ eundem redarguentis, propter crudeliter à ſe jugulatos Sacerdotes Nobe, cùm Hebraica verſio habeat: *interfice me, quia tenent me oræ veſtimenti Sacerdotalis.* Talem carnificem ex propria conſcientia nactus fuerat Antiochus Rex, cùm diceret: *Nunc reminiſcor malorum, quæ feci in Ieruſalem, receſſit ſomnus ab oculis meis, & concidi & corrui corde præ ſolicitudine, & dixi in corde meo, in quantam tribulationem deveni, & in quos fluctus triſtitiæ ?* Ab hoc carnifice cruciabatur Tiberius Cæſar, de quo ſic habet Tacitus: *Tiberium non fortuna, non ſolitudines protegebant, quin tormenta pectoris ſui, ſuaſq;*

ipſe

ipse pœnas fateretur. Hic lictor Apollodoro, de quo refert Plutarchus, per somnium pellem detrahebat, & ferventi ac bullienti Aheno immergebat, cum illa exprobratione. *Ego tibi horum Causa sum, ego Conscientia te torqueo.* Conscientia Theodorico Regi Italiæ, caput Symmachi iniquè occisi incessanter obijciebat, eumque tandem confecit. Hujus tormenta non ferentes tot alij, de rupibus se præcipitaverunt, alij suffocaverunt se aquis, alij laqueo vitam finiverunt, pugionibus se confoderunt, alij præ tristitia contabuerunt.

His consideratis, reflecte te supra teipsum, an & tu non es aliquando traditus immani huic Carnifici, ab eo excruciandus? Et propriâ experientiâ scies, quantùm vermis hic sæviat & cruciet? Item reflecte te, an etiam nunc non torqueat te conscientia tua, & noveris contra has conscientiæ torturas, unicum remedium esse, si virus quod viscera tua rodit, per sinceram pœnitentiam, integrã peccatorum tuorum Confessionem, & per veram vitæ emendationem evomas & eijcias. Exhorresce hunc tortorem, time peccatum, ne Deus per conscientiam tuam te arguat, & statuat contra faciem tuam. Defle peccata tua, quæ hunc in te vermem generant. Procide cum lacrymis ad pedes supremi Numinis, dicens cum Job: *Peccavi, quid faciam tibi ô Custos hominum? quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimet ipsi gravis? cur non tollis peccatum meum? & quare non aufers iniquitatem meam.*

Punctum III. Audi illa verba Sapien. 16 *Creatura enim tibi factori deserviens, exardescit in tormentũ adversus injustos* Et iterum Cap. 5 *Accipiet armaturam zelus illius, & armabit Creaturam ad ultionem inimicorum.* Et considera non solùm Sanctos armari contra peccatorem, non solùm ipsum peccatorem esse sibi tortorem & ultorem sceleris

ſceleris ſui, ſed inſuper omnes alias Creaturas adverſum eundem exardeſcere & concitari, ut eum perſequantur, ut ulciſcantur in illo injuriam ſui Creatoris, ipſi noceant, eumque perdant.

Et ſic ignis, ſicut quondam deſcendit in Sodomam & Gomorrham, hasque Civitates cum ſuis habitatoribus in favillam redegit, ita & nunc, niſi prohiberetur à Deo, deſcenderet ad urendos & cruciandos quoſvis peccatores. Aqua, ſicut temporibus Nòé, ruptis cataractis cæli, omnem carnem delevit & demerſit, paucis animabus ſervatis, ſicut fluctibus ſuis & tempeſtate conſurrexit contra Jonam non obſequentem mandato Dei, ita etiam nunc peccatores obrueret & in profundum demergeret. Terra, ſicut abſorpſit rebelles & ſeditioſos Core, Dathan & Abiron, ita inclinatione ſibi innata, vellet quodammodo quemvis abſorbere peccatorem, videturque aliquam pati violentiam, quòd illos ſuſtineat. Non ſunt invitandi montes & colles, ut cadant ſuper peccatores, ipſosque obruant, proprio impulſu caderent & obruerent eosdem, ſi Deus permitteret. Aèr quoque, ſicut olim in vindictam peccati David ſuſtulit peſtilentiâ ſeptuaginta millia virorum, ita & nunc ſæviret in tranſgreſſores legum Divinarum.

Aliæ quoque Creaturæ, ſimili (ut ſic loquar) feruntur zelô contra peccatores; quantâ reverentiâ urſi, Leones, tigrides lambebant aliquando pedes Sanctorun Martyrum, tantâ è contrario ferociâ diſcerperent peccatores & hoſtes Dei; ita Leones nunc arriperent & oſſa peccatorum comminuerent, ſicut comminuerunt oſſa Aſſyriorum, ad quorum iniquam accuſationem Daniel in locum Leonum miſſus fuerat. Urſi etiam lacerarent diſcolos & protervos, quemadmodum ad maledictionē Eliſæi laceraverunt quadraginta duos pueros; ſerpentes morſu ſuo necarent impios, ſicut necabant

Iſraelitas

Iſraelitas in deſerto igniti ſerpentes. Aliæ etiam Creaturæ, maximè illæ, quibus peccator ad Dei offenſam abuſus eſt, ſi tot vires haberent, ſæviſſimè cum peccatore agerent, Deique & ſuam injuriam atrociſſimè ulciſcerentur. Quarè meritò peccator poſt peccatum ab omnibus Creaturis timere debet, meritòque illud dicere poteſt cum Caim *Omnis qui invenerit me, occidet me.*

Poſtremò ipſi Dæmones, qui peccatorem ſuis tentationibus in peccatum inducunt, ſunt acerrimi hoſtes ejusdem. Illi vellent quàm maximè nocere peccatori, vellent ipſum perdere & in ſuam trahere damnationem, continuò ſe Deo offerunt ad colligenda hæc zizania: *Vis? imus, & colligimus ea ad comburendum.* Illorum voces ſunt quibus ſe animant contra peccatorem: *DEVS dereliquit eum, perſequimini & comprehendite eum, quia non eſt qui eripiat.* Hanc ſuam hoſtilitatem frequenter exercent, aliquando immanibus ſpectris terrefaciendo peccatores, aliquando in præcipitia, in loca paluſtroſa eos deducendo, occaſionibus obijciendo, in quibus lethalia referunt vulnera, nocendo ijſdem per veneficas & præſtigia, quod non tam facilè juſtis facere permittuntur.

Ratio tantæ hoſtilitatis Dæmonum in peccatores eſt. Quia dæmones graviſſimè indignantur, quòd homo, habendo tot auxilia gratiæ ad ſuperandas ipſorum tentationes, illis non utatur, ſed ſuccumbat tentationibus, quòd habendo tot ſalutis media, illa negligat, quòd melior non fiat longâ patientiâ Dei, converſionem ipſius expectantis, quia præterea, dum peccata hominum multiplicantur, dæmones vident, ſuam augeri & creſcere damnationem.

His conſideratis, reflecte te, quoties & tu meruiſti, ut ignis te abſumeret, Cælum te fulmine feriret, aqua ſuis fluctibus involveret, àër peſtilentiâ inficeret

ficeret. Admirare quomodo poſt patratum à te hoc & illud peccatum, non diſcerpſerint te urſi, lupi non dilaniaverint, viperæ, ſerpentes, aſpides ſuis morſibus non enecaverint. Admirare quomodo Dæmonum rabiem evaſeris? Admirare in his omnibus DEI patientiam, & longaminitatem, Creaturas omnes ne tibi noceant, cohibentem. Admirare tuã, et aliorum peccatorum in DEO offendendo audaciam, ſimulque in differenda pœnitentia procraſtinationem & tarditatem.

Per modum Colloquij conclude hoc affectu. O quanta Miſericordiſſime DEUS, tua bonitas & Clementia! Manus tua potentiſſima detinuit fulmina, ne me ferirent. Tu orbem terrarum firmaſti, ut me ſuſtineret, Tu poſuiſti terminos aquæ, ne me demergeret, àérem ad reſpirandum mihi conceſſiſti, ut viverem, Tu concluſiſti ora Leonum, tu feroces urſos & lupos in ſylvis, ſerpentes in terræ cavernis, detinuiſti, ne mihi nocerent. Tu infernalem Draconem alligaſti, ne in miſerum peccatorem ſæviret. Tu me ex tot caſibus, ex tot mortibus eripuiſti. Et ego tantâ clementiâ malè uſus ſum, ut peccatis peccata cumularem. Nunquid ergo ampliùs offendam te? an divitias Bonitatis Tuæ contemnam? Si vides Domine me ad huc peccaturum, fulmine tuo priùs me ferias, igne abſumar, abſorbeat me puteus, obruat procella, Aér inficiat, Terra os ſuum aperiat, atque devoret. Percutiat Leo, diſcerpat urſus, lupus laceret me, ſerpentes & viperæ venenoſo morſu interficiant, Dæmon obſideat, omnes Creaturæ in me ſæviant, antequam peccem, ut offenſam Divinæ Majeſtatis tuæ impediant, Abſit verò ut offendam te, ut Creaturæ Tuæ patratum à me ulciſcantur ſcelus & juſtas de me meorum, criminum, poſtquam commiſſa fuerint, ſumant pænas.

In fine Pater noſter

Meditatio V.
De malis quæ per peccatum incurruntur.

Præludium 1. Imaginare Peccatorem in prælio adversus DEUM suscepto infeliciter succubuisse, multaque mala & vulnera lethalia ex conflictu retulisse.

Præludium 2. Postula gratiam ut hanc infelicitatem peccatoris fructuosè agnoscas, & ut tam peccatum, quam illa mala, quæ peccatum consequuntur declinare possis.

PUNCTUM I. Audi illa verba Psalm 10 *Pluet super peccatores laqueos* Et Ezech. 3 *Si conversus fuerit justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem ponam offendiculum coram eo.* Et considera inter alias pœnas hanc etiam peccati pœnam esse, quòd DEUS pluat in peccatores, laqueos, quòd coram illis ponat offendicula, ad quæ dum impingunt, labitur pes eorum, & de peccato in peccatum, cadunt.

Tales laquei & offendicula sunt 1*mò* occasiones proximæ peccandi in quas ex Divina permissione peccatores se conijcunt, & quas cum teneantur & possint, à se amovere non student.

2*dò* Laquei & offendicula sunt prava aliorum exempla, conversationes cum laxis, dissolutis, liberæ Conscientiæ, imò perversis hominibus.

3*tiò* Laquei & offendicula sunt, tentationes graves, continuæ, molestæ, quibus tandem ex perversa sua voluntate cedit & succumbit peccator.

4*tò* Laquei sunt, Principia perversa, Resolutiones conscientiæ nimium laxæ, tum ab alijs tum à Conscientiæ directoribus & Confessarijs subinde datæ. Si peccator incidat in Confessarium laxum, adulato-

adulatorem, qui pænitentem laxè resolvat, vel dissimulet & taceat, nec monstret gravitatem peccatorum, Resolutio vel etiam silentium, talis confessarij est lequeus peccatoris, quo ita capitur, ut audentiùs deinde in pristina relabatur peccata.

5tò tandem laqueus & offendiculum peccatoris est levitas & dissimulatio, nimiá indulgentia & omissio justæ animadversionis ob peccatoris delicta, sive propriorum Parentum, sive Magistratuum, sive quorumcunque Superiorum, quibus subjectus est. Dum enim delicta peccatoris ab his dissimulantur, nec pro merito puniuntur, peccator redditur audacior ad alias transgressiones, dicitque: *Ecce peccavi & quid mihi triste accidit.*

Hæc considerans perpende ulteriùs laqueos & offendicula hujusmodi poni ante peccatores, in pœnam peccati originalis, sed vel maximè in pœnam peccatorum personalium, cuique homini propriorum. Perpende item laqueis hujusmodi plena esse omnia, ita ut nullum sit vitæ genus, quod aliquibus saltem laqueis & offendiculis non sit obnoxium, ut nullus mortalium sit, qui inter tales laqueos non versetur, qui in aliquem subinde non incurrat., quamvis non æquè sint multiplices in quovis vitæ genere, nec æquè periculosi. Aliqui enim hominum versantur inter frequentiores, alij inter minus frequentes, vel certè versantur extra occasiones peccandi saltem graviter, aliqui licet versantur inter occasiones peccandi, hæ tamen respectivè ad ipsos non sunt proximæ. Alij vivunt in medio nationis pravæ, inter homines discolos, & in omnem licentiam effusos, alij vivunt in gente sancta, populo acquisitionis, in Collegio Apostolorum licet etiam in hoc subinde inveniatur Judas filius perditionis. Aliqui graviores, alij leviores experiuntur tentationes. Quibusdam, etiam tales tenduntur laquei, ut si in illos incidant

ſtatim ſtrangulentur, ſuffocentur, & vitam animæ miſerè perdant, talia ponantur, offendicula, ut ad ea graviſſimè & lethaliter concutiantur, & ad ea alliſi illico in præceps ruant, alijs ponuntur offendicula, quæ pedes & veſtigia cruentant, ſed vitam non eripiunt, tales tenduntur laquei, ut eos evitare, & ſe ex illis facilè extricare valeant.

Noſtra intereſt, ut continuâ vigilantiâ & circumſpectione utentes, hos; quantùm fieri poteſt laqueos declinemus. Certe providè & ſapienter agit, qui ſciens plures eſſe vias vel ſemitas ad aliquem terminum, quarum una laqueis & offendiculis ita plena eſt, ut pedem etiam movere non poſſis, quin in aliquem laqueum incidas, vel in offendiculum impingas, idque plena eſt laqueis & offendiculis periculoſiſſimis, in quæ non incidis, niſi cum graviſſima concuſſione, vitæque & ſalutis tuæ diſpendio. Alia via habet quidem & ipſa laqueos in deceptionem tranſeuntium poſitos, ſed non ita frequentes, habet offendicula, ſed non tam multa, nec tam periculoſa, Alia rurſus via longè adhuc paucioribus laqueis & offendiculis nec multum periculoſis eſt obnoxia & impedita. Hanc poſtremam minimè periculoſam, minimè difficilem viam & ſemitam qui ingreditur & præeligit, is certè agit providentiſſimè & ſapientiſſimè.

Reflecte te an & tu non verſeris inter hujusmodi laqueos & offendicula, & an inter hæc ? inoffenſo pede hactenus in via ſalutis proceſſeris. Recollige te, quos laqueos hoſtis animæ tuæ tibi objiciat, & quibus magis te illaqueat ? quomodo te geras in occaſionibus peccandi ? an proximas dimittas ? quâ fortitudine ſuperes tentationes potiſſimùm graviores ? an pravis aliorum exemplis & converſatione non corrumparis ? An gravioribus tuis peccatis non promerearis, ut Deus ſuper te pluat laqueos periculoſos, & ſaluti animæ tuæ no-

centes aut nocituros. Reflecte te, quâ deinceps tibi viâ procedendum sit, ut non incidas in laqueum Diaboli, ut non aberres nec deflectas à termino felicis æternitatis, sed potiùs cum majori spe & securitate salutem tuam consequaris. Postula Divinam gratiam quâ illuminatus, possis effugere omnes laqueos, & insidias inimicorum superare, ut deinde in felici æternitate possis DEO laudem decantare. *Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.*

PUNCTUM II. Audi Ecclesiasticum dicentem Cap. 3 *Peccator adijciet ad peccandum* & Psal. 68 *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum.* Et considera, inter ingentia damna & mala quæ caussat peccatum, esse etiam illud, quod unum peccatum impellat in aliud. Peccata ordinariè solitariè non incedunt, commisisti unum, in unum te resolvisti, facilius rues in aliud. Peccatum, est ignis ad perditionem devorans, ignis inquam, non solùm quia omnia bona, omnia merita tua perdit & devorat, sed quod sit fæcundissimus in tot alijs similibus ignibus, scilicet in alijs pluribus peccatis producendis. Peccatum est simile ferro magnete affricto, sicut enim hoc trahit ferrum aliud, ita & peccatum unum trahit post se aliud. Peccatum est circulus, cum alijs circulis unam longam catenam efficientibus connexus. Est Abyssus, sed illa de qua Propheta dicit: *Abyssus abyssum invocat.* Hanc concatenationem peccatorum videtur expressisse S. Jacobus Apostolus dum dicit: *Qui in uno deliquit factus est omnium reus*, hoc est: reus est, seu meretur, ut in alia omnia peccata prolabatur.

Expende quanta hæc sit pæna peccatoris? quantum malum? magnum malum est vel semel DEUM graviter offendisse. Per unum etiã peccatũ gravissima DEO irrogatur injuria, impugnatur Essentia Divina, Attributa DEI, omnes Personæ Sanctissimæ Trinitatis, & actus DEI liberi. Per unũ peccatum gravis irrogatur injuria DEO HOMINI seu Christo, ipsi pecca-

tori, & omnibus creaturis. Unum peccatum provocat iram & indignationem Beatissimæ, Sanctorum Angelorum, & Sanctorum Omnium, facit, ut ipse peccator sit acerrimus sibi ipsi hostis, omnesque Creaturas contra ipsum armat. Unum denique peccatum spoliat animam peccatoris, omnibus meritis, spoliat gratiâ Sanctificante & donis infusis spoliat vitâ spirituali, & inhabilem reddit ad merendum. Si igitur tantum malum est, semel graviter peccasse, quantum malum est, iniquitatem super iniquitatem apposuisse. Hoc est malorum omnium maximum, quo malo majus, ne Divinæ quidem Justitiæ brachium potentissimum, peccatori infligere potest, dum culpæ culpis cumulantur. Hæc pœna est, quam Deus permittere quidem potest, velle autem voluntate beneplaciti, & complacere sibi in ea, etiam ex peccati commissi suppositione non potest, quomodo Deus potest velle multas alias pœnas. Hanc pœnam in tantum Deus infligit, in quantum peccatori, quem ab æterno prævidit peccaturum, certaque sua auxilia oblata ad superandam tentationem, inefficacia redditurum, confert talia auxilia, nec succurrit per gratias efficaces, quibus ille gratijs destitutus ex sua pravitate & malitia, labitur, atque tentationi succumbit.

His expensis exhorresce gravissimam hanc pœnam. Exhorresce quodvis peccatum, quod ad tantam indignationem Deum provocat, ut tam gravi imò omnium pœnarum gravissimâ pænà peccatorem puniat. Detestare præteritæ vitæ tuæ scelera, supplica supremo Numini, ut te, quibuscunque alijs pœnis puniat, & aliter in te vindicet tua crimina, non puniat autem te pœnâ hac gravissima, ut apponat iniquitatem super iniquitatem tuam.

Punctum III Audi Ecclesiasticum dicentem Cap. 5 *De propitiato peccato noli esse sine metu.* Et considera, inter mala, quæ affert peccatum mortale

tale, esse & illud, quod in tota vita hominis omnem tollat salutis securitatem. Qui aliquando DEUM graviter offendit, in eam incidit miseriam, ut licet pœnitentiam agat, semper timere debeat, an sibi remissum sit suum peccatum.

Potest quidem scire peccator, Catholicâ edoctus fide, quod Sacramentum Pœnitentiæ ad tollenda peccata post susceptum cōmissa baptismum, sit singularissimum remedium, sit inexpugnabile scutum, quo protegere nos possumus contra fulmina & ictus Justitiæ Divinæ, quod sit secunda tabula, quæ post peccati naufragium potest nos salvare, & in qua nobis enatandum est, potest scire, quod idem Sacramentum sit Civitas refugij, ad quam confugientes rei mortis, à morte liberantur, quod sit piscina probatica, in quam descendentes infirmi possunt curari à quacunque animæ infirmitate, non Angelo, sed Spiritu Sancto movente & educente aquam lacrymarum, ex corde contrito peccatoris, & Sacerdote in Sangvinis Christi bulneo, peccatricem abluente animam. Hæc, inquam, peccator pro certis & indubitatis veritatibus habere potest & debet.

Cæterùm non potest esse certus, an Sacramentum Pœnitentiæ ad delenda peccata institutum, debitè ab ipso sit susceptum, eique ritè & validè collatum. Non potest scire, an illo, impervio vindictæ Divinæ, scuto se muniverit, an certè loco hujusmodi scuti, telam aranearum facilè dis-rumpendam, in suam defensionem & protectionem non adhibuerit. Nescit an tabulam illam secundam, per quam ex naufragio salvari debuit apprehenderit, an non potiùs lignum aliquod putridum, quo demergendus est, nescit an portæ Civitatis refugij, sibi ad eam confugienti patuerint, an ad Civitatem refugij confugerit, an non potiùs erraverit, & aliò diverterit, ubi non poterit salvari.

Nescit an motus ille, quo excitatus fuit ut descenderet in piscinam probaticam, in qua sanandus erat & per quem motum, eductæ sunt lacrymæ ex corde ipsius, an fuerit motus Spiritûs Sancti, fueritne motus gratiæ Divinæ supernaturalis, an certè motus aliquis merè naturalis. Nescit, ille dolor, illæ lacrymæ quibus deflevit sua peccata unde sunt ortæ, ex quali motivo, an ex motivo supernaturali, an certè ex affectione aliqua & voluntatis inflexione merè naturali.

Quod ipsum ut meliùs penetres, rem propositam sic intellige. Potest peccator Fide Divinâ edoctus credere, Sacramentum pœnitentiæ esse à Christo institutum, ad tollenda peccata, post Baptismum commissa, habereque vim & virtutem delendi quæcunque peccata, ex Meritis infinitis Christi, in eodem Sacramento inclusis & contentis. Penes Sacerdotes atiam legitimè ordinatos & approbatos esse potestatem remittendi peccata, & hoc Sacramentum, fidelibus verè pœnitentibus ministrandi. Potest etiam ac debet scire peccator, partes essentiales hujus Sacramenti esse 1*mò* Confessionem omnium peccatorum formaliter integram, factam coram Sacerdote legitimè ordinato & requisitam jurisdictionem habente. 2*dò* Dolorem supernaturalem, universalem de peccatis commissis, ex motivo, quale requirit Concilium Tridentinum, qui dolor excludat voluntatem peccandi, sitque conjunctus cum firmo proposito de non peccando deinceps. 3*tiò* absolutionem à Sacerdote legitimè ordinato & habente jurisdictionem, verbis ad id constitutis, peccatori pœnitenti collatam, ex intentione faciendi quod facit Ecclesia. Insuper peccatot pœnitens potest scire, quod fecerit confessionem & absolutus sit. Nihilominus scire & certitudinem habere non potest, an sua confessio fuerit integra, integra inquam non tam materi-

aliter, quàm potiùs formaliter, an verò ratione alicujus defectûs non fuerit mutilata, non potest scire, Sacerdos apud quem sua peccata est confessus, fueritne legitimè & validè ordinatus, an habuerit jurisdictionem requisitam. Non potest item scire, dolor suus quem elicuit, fueritne supernaturalis & ex quali motivo, potest dubitare an suum propositum fuerit firmum & excludens voluntatem peccandi, tamdemque neque hoc potest scire, an forma absolutionis fuerit valida, an non vitiata aliquâ ratione, ob defectus supra insinuatos potestatis, ordinis, vel jurisdictionis in Ministro, vel ob defectum intentionis in eodem talis, qualis ad valorem requiritur.

His consideratis admiraberis stultitiam illorum, qui liberiùs peccant in spem veniæ & deletionis suorum peccatorum obtinendæ per Sacramentum Pœnitentiæ. Reflectes te deinde supra tuas Sacramentales confessiones, an illis meritò fidere possis, quid de illarum integritate, quid de dolore de & firmitate tui propositi sentire debeas, Et facile agnosces de propitiato (ut existimas) peccato non debere te esse sine metu. Quodsi adverteris aliquos defectus commissos esse circa tuas confessiones, dolorem, & similia, defectus hos corrigere stude, per frequentes contritionis perfectæ actus, per confessionem generalem, per subjectionem totius vitæ tuæ peccatorum sub terminis saltem generalibus, subjectionem inquam clavibus Ecclesiæ in quovis Sacramento Pœnitentiæ quod aliquando suscepturus es.

Fac circa hæc proposita.



Meditatio VI.

De quibusdam peccatorum pœnis.

Præludia eadem quæ meditationis præcedentis.

PUNCTUM I. Audi Spiritum Sanctum, Sapient. 2. dicentem: *Excæcavit illos malitia eorum.* Et iterum Sophon 1. *Ambulabunt ut cæci quia Domino peccaverunt.* Et considera inter alia damna, quæ infert peccatum, & inter alias pœnas peccati, esse excæcationē peccatoris, quòd misera anima in tenebris existat, quam excæcationem ut melius penetres

Considera ulteriùs, per peccatu triplici modo excæcari peccatorem.

1*mò* per hoc, quòd peccator post suos lapsus & in peccatum resolutiones, lumen negligat, nec curet proficere, ex privilegijs & gratijs Christianæ & Catholicæ Religionis, dumque ei fax accensa præ oculis ponitur ab ea se avertat, vel oculos claudat. Porro fax accensa ab Ecclesia, ad illuminandum peccatorem, est Lex Divina, quæ per Ministros Ecclesiæ omnibus fidelibus intimatur & proponitur, talis fax, sunt Præcepta & Consilia Christi, Evangelium illius, & verbum DEI scriptum & traditum juxta illud Psal. 118 *Lucerna pedibus meis Verbum Tuum & lumen semitis meis* Facem hanc præferunt Concionatores, Confessarij, alijque homines Spirituales & Apostolici, unicuique suam obligationem præ oculis ponentes, demonstrantes gravitatem peccati, horrorem judicij Divini, acerbitatem pœnarum, ostendentes quàm periculosus sit status peccatoris, prædicantes magnitudinē Bonitatis & Misericordiæ Divinæ expectantis peccatores ut convertantur, eosdemque si convertantur misericorditer

ricorditer suscipientis, docentes tandem modum quo jugum peccati excuti, & peccator Deo reconciliari possit, Accenditur prætereà fax per exempla Sanctorum, per quæ peccatores ad meliorem frugem, ad virtutem & Sanctitatem & ad pœnitentiam faciendam incitantur ac provocantur. Peccatores autem avertunt oculos, ab hac Ecclesiæ face, eosdemque claudunt, quando omnes illas occasiones fugiunt, in quibus, à tali face illuminari possent, vel si hæc fax ob oculos illorũ ponatur, illi tamen media salutis ipsis proposita negligunt, contẽnunt, videre & apprehendere nolunt, nec unquã salubria aliorũ consilia in seriã consideratione venire permittunt

2*dò* Per peccatum peccatores excæcantur eâ ratione, quod peccatores destruant & debilitent mentis suæ oculos, memoriam, & intellectum, vel inquirendo resolutiones nimiùm laxas & liberas, quæ licentiæ ipsorum habenas laxant, vel non frænando suas passiones, sed his omnia permittendo. Passiones hujusmodi sibi ipsis relictæ, nec per rectam rationem frænatæ, ita quandoque mentis aciem hebetant & obtusam reddunt, ac omnem ejus vigorem tollunt, ut Intellectus ad fundum rerum, qúæ ad salutem spectant, per cognitionem debitam non perveniat, nec substantiam sperandarum; rerum penetret ac perspiciat, proindeque non possit, aut veriùs nolit rectum de rebus Divinis formare judicium, quandoque ita perturbant rationis tranquillitatem, ut opposito modo de rebus judicet quam mereantur. Quandoque etiam eædem passiones si illis liberè indulgeatur, vehementiâ suâ intellectum ita sopiunt, ac in eũ statũ redigunt, ut non nisi terrena sensualia & carnalia percipiat, Spiritualia verò & æterna non apprehendat, nec assequatur, nec percipere velit juxta illud Apostoli *Animalis homo non percipit ea que sunt spiritûs* & juxta assertum Augustini. *In homine carnali tota ratio intelligendi est consvetudo cernendi.*

3*tiò*

3*tiò* Peccatum excæcat peccatorem irritando & provocando Patrem luminum, ut ab eo peccator cæcitate percutiatur. Percutiatur autem à Deo peccator cæcitate, in pœnam sui peccati, tum per denegationem vivacium illuſtrationum & luminum efficacium, quando Deus confert quidem peccatori illuſtrationes, ſed tales, ut videndo, per ſuam malitiam non videat, negat autem eas illuſtrationes, quibus illuſtratus videndo videat, hoc eſt ita videat, ut operetur ſalutariter, & cooperetur gratiæ Divinæ. Tum permiſſione occaſionum, in quibus peccator ſeipſum excæcaturus eſt, abijciendo & reijciendo lumina ſancta, & principia ac dictamina æternæ veritatis ac Sapientiæ, & conquirendo dogmata falſa, politica, Mundo ejusque ſapientiæ, non Deo conformia. Tandem Deus percutit cæcitate peccatorem non impediendo ſed permittendo, ut Dæmones peccatoribus oculos eruant, ipſosque cæcos reddant. Qui ipſi in tantùm excæcant animam peccatricem, in quantùm ex memoria ipſiùs eradunt omnium rerum ſacrarum imagines & ſpecies, nimirum Dei præſentis recordationem, vivam impreſſionem cruciatuum, tormentorum, ac diræ mortis amore noſtri à Chriſto ſuſceptorum, in quantùm tollunt cogitationes ſanctas de Cælo, de Matris Beatiſſimæ in homines amore & patrocinio, de æternitate, alijsque rebus, his ſimilibus. In locum verò talium cogitationum depingunt in memoria, ſenſualium, fædorum & infamium phantaſmatum repræſentationes. Deinde, in quantùm in intellectu obliterant, & tollunt dictamina & principia ſancta, judicia vera & ſpiritualia, imbuunt verò eundem Intellectum principijs falſis, ſæcularibus & pſeudopoliticis. Poſtremò Dæmones peccatori oculos eruunt, in quantùm voluntatem inclinant, ſuisque tentationibus pertrahunt, ut recedat à propoſitis bonis & ſalutaribus, formet verò deſtinatio-

nes

nes & resolutiones malas ac perversas.

His consideratis, reflecte te supra teipsum, singula percurrendo. An & te non excæcaverit malitia tua, & defle cæcitatem tuam. Quodsi nullas in anima tua tenebras inveneris, humiles Deo redde gratias, quod te de tenebris, vocaverit in admirabile lumen suum. Quod si in anima tua deprehenderis aliqua saltem cæcitatis initia, surge & illuminare, quia venit lumen tuum. Omnes dispelle tenebras, noli esse rebellis lumini, quod tibi Deus immittit. Dum lucem habes, ambula in luce. Fac proposita &c. In faciem tuam deinde pronus procide, à supremoque Numine supplex lumen postula, illis Psal. 66. verbis: *DEUS misereatur nostri, & benedicat nobis, Illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.*

Punctum II. Audi Job dicentem Cap. 41. *Cor ejus indurabitur tanquam lapis & stringetur tanquam incus malleatoris.* Et considera etiam hanc gravissimam pœnam peccatoris plerumque esse, quod cor illius obduretur tanquam lapis. Obduratio hæc pertinet ad voluntatem, sicut excæcatio principaliter pertinet ad intellectum. Sequitur tamen obduratio excæcationem.

Porro obduratio consistit in eo, quod cor peccatoris ita durum, intractabile, & inflexibile reddatur, ut neque monitis, concionibus, & pijs exhortationibus, neque pœnis inflictis emolliatur, neque bonis aliorum exemplis, corrigatur, neque inspirationibus gratijsque Divinis flectatur, ut à malo averti possit.

Taliter induratum fuit cor Pharaonis, quem neque prodigia per Moysen monstrata, neque tot plagæ, ipsi, ejusque populo à Deo inflictæ, neque exhortatio Moysis & monitiones nomine Dei factæ avertere poterant à persequendis Hebræis, eique persvadere, ut dimitteret populum Israel. Taliter

liter item fuit induratũ cor Judæ proditoris, qui pariter neque Christi humilitate, ad suos pedes se demittentis, neque nimiâ ipsius charitate, suo corpore & sangvine Judam pascentis, & ad osculum oris sui Divini admittentis, neque comminativâ illâ adhortatione: *væ homini illi, per quem Filius hominis tradetur, meliùs, si natus non fuisset homo ille*, neque tot alijs beneficijs, optimi sui Magistri, ejusque sanctitate & innocentiâ, deterreri potuit ac dimoveri, ab impio suo proposito tradendi Christum.

Obduratio hæc oritur communiter ex triplici capite 1*mò* ex frigida & valde remissa, aut nulla simpliciter applicatione intellectûs ad considerandа & expendenda motiva spiritualia, vividâ verò & forti apprehensione ac consideratione motivorum inclinantium ad sensualia. 2*dò* ex habitu peccandi bene radicato, & ortâ hinc vehementissimâ inclinatione appetitûs sensitivi ad oblectamenta sensuum. 3*tiò* ex validissimis & frequentibus suggestionibus Dæmonis, quibus peccator invitatur ad peccandum, Dæmone id unicè intendente, ne sibi, bene possessa præda, aliquando effugiat. Cum interim idem peccator juvetur à Deo auxilijs aut remissis, aut talibus, quæ ipse contemnit, & inefficacia reddit.

Eadem obduratio inducitur tali viâ, ut docet D. Bernardus lib. 1 de Consideratione. *Primum peccatum importabile tibi videtur, processu temporis, si assuescas, non judicabis adeo grave, paulò post nec senties, paulo post etiam delectabit*; ita paulatim in cordis duritiam itur.

Hæc considerans, expende, an cor tuum non incipiat indurescere? quàm flexibilem te ad bonum experiaris? quem in te fructum faciant Exhortationes, Conciones, & monitiones sanctæ? an illustrationes & gratiæ Divinæ flectant voluntatẽ tuam? Utrum beneficia Dei moveant te ad ipsum

aman

amandum, & ferventer eidem serviendum. Expende item, si fortè jam aliquam sentis duritiem in corde tuo, ex quo fonte illa promanavit. Tandem reflecte te, quâ viâ, an non viâ à S. Bernardo insinuatâ processeris, ad duritiam cordis tui, & insensibilitatem in transgrediendis liberè præceptis Divinis.

Fac proposita de duritiâ hac tollendâ, vel certe eâdem impediendâ, ne in te locum aliquando habeat. Recurre tandem ad Christum Crucifixum, ab eo postulans, ut ille cor tuum lapideum, cor adamantinum, pretiosissimo Cordis sui Sangvine emolliat, ab eoque omnem auferat duritiam.

PUNCTUM III. Audi illam Christi comminationem Pharisæis factam Joan. 8 *In peccato vestro moriemini* Et considera horrendam multorum peccatorum pœnam esse, impænitentiam finalem. Quòd aliqui peccatores, non solúm per sua peccata excæcentur, non solùm cor illorum obduretur, sed quòd tandem finaliter impænitentes in peccato moriantur. Non omne quidem peccatum, nec in omnibus peccatoribus tali pœnâ hoc est impœnitentiâ finali punitur, cuivis tamen peccatori hæc pœna maximè est formidanda. Quod ut meliùs intelligas.

Considera ulteriùs juxta Sanctorum Patrum & Theologorum communem doctrinam & unanimem consensum, fundatum in sacra Scriptura. Unicuique hominum, imò & Angelis, præfixam & constitutam fuisse, & esse certam mensuram & certum numerum peccatorum, quo expleto, ille, qui talem mensuram implevit, facere pœnitentiam negligit, omniaque auxilia, quæ DEUS illi confert ad pœnitendum, abijcit, & inefficacia reddit. Interim verò DEUS, vel filium vitæ talis hominis abrumpit, vel certè usum rationis ita eripit, ut ipsũ nunquam deinde restituat, vel licet restituat, pec-

cator tamen non utitur unquam hac commoditate, ad salutariter pœnitendum. Quo fit, ut miser ille peccator, impœnitens in suis peccatis, vel peccato moriatur, æternamque in currat damnationem.

Et inprimis Quòd Deus certã mensurã & numerũ peccatorum cuivis homini præfixerit clarè colligitur ex illis Sapientiæ 11 verbis: *Omnia in mensura, numero, & pondere posuisti* Certe si Deus omnium animalium in mundo sibi succedentium, omniumque rerum, quæ aliquando exstituræ sunt, numerũ constituit, si omnes capillos, capitis, si õnes cogitationes & motus voluntatis nostræ in numerato habet, consequens est, quòd etiam certum numerum ac mensuram peccatorum cujusvis hominis statuerit, certosque terminos suæ malitiæ præfixerit, quos ille transgressurus non est. Colligitur eadem veritas ex verbis Christi Matth. 33 *Implete mensuram Patrum vestrorum* & ex illo Genesis 15. *Nondum completa sunt iniquitates Amorrhæorum.*

Quòd verò completâ tali mensurâ peccatores impœnitentiâ finali puniantur, & in peccatis suis moriantur, docet id expressè S. Augustinus de vita Christiana Cap. 3 *Illud sentire nos convenit, tamdiu unumquemq: à patientia DEI sustineri, quamdiu nondum suorum peccatorum terminum finemquè compleverit, quo consummato, eum illicò percuti, nec ullam illi veniam jam reservari.* Id ipsum repetit expendens illud Genesis: *Nondum completa sunt iniquitates Amorrhæorum.* dum ait: *Quo exemplo manifestissimè instruimur & docemur. singulos secundum peccatorum suorum plenitudinem consummari, & tamdiu, ut convertantur, sustineri, quamdiu cumulum suorum non habueoint peccatorum consummatum.*

Circa quam mensuram, hæc adhuc duo considera. 1*mò*. Mensuram hanc non esse eandem & æqualem omnibus præfixam. Angeli uno tantum patrato

patrato peccato, mensuram sibi præfixam compleverunt. Regi sauli mensura constituta fuit duplex inobedientia, quam utramq; postquam cōmisit, reprobatus est, & á DEO abjectus. Damasco, Tyro, Gazæ, & Edom mensura designata fuerunt 7. Peccata, ut habetur *Amos* 1*mò* Israelitis in deserto talis fuit præfixa mensura, ut si decies rebellarent contra Dominum, non essent ingressuri terram promissionis, & quia mensuram hanc impleverunt, post decimam rebellionem DEUS prohibuit eos ab ingressu terræ promissionis.

2*dò*. Quanta determinatè mensura peccatorum sit unicuiq; præfixa, id nemini innotescere. Sicut ultimum Judicij diem voluit DEUS nobis esse occultum, ut timeretur omnis dies, sic DEUS voluit occultam esse mensuram peccatorum pro unoquoq; constitutam, ut quævis mensura, & quodvis peccatum, atqvè si illud ultimum foret, timeretur.

His consideratis, expende diligenter, si timenda tibi est impœnitentia finalis, quam certè maximè timere debes, cùm illam infallibiliter consequatur damnatio æterna, timendum tibi quoq; esse, ne impleas mensuram peccatorū tibi præfixam, quia hanc consequitur impœnitentia finalis. Quodsi exhorrescis completionem mensuræ, & numeri peccatorum, exhorresce quàm maximè quodvis peccatum mortale, cum ignores an per illud non sis completurus mensuram tibi præfixam. Post tot tantaq; scelera patrata, fortè non multùm superest addendum, ut mensuram tuam compleas.

Propone firmissimè vitaturum te, studio quā maximo, quodvis peccatum.

In colloquio petes à Domino DEO tuo, ut non permittat te implere mensuram peccatorum tuorum, sed gratiam tibi talem conferat, quâ adjutus, crescas in virtute, perfectione, & sanctitate,

juxta mensuram plenitudinis Christi. Procides etiam ad pedes Christi crucifixi, & obnixè postulabis, ne subjaceas illi ipsius sententiæ: *in peccato vestro moriemini* Sed potiùs, ut ex thesauro suorum meritorum, det tibi gratiam finalem, in eaq; felicem mortem.

In fine: Anima Christi.

Meditatio VII.

De damnis quæ infert peccatum mortale.

Præludia eadem quæ duarum meditationum præcedentium.

Punctum I. Audi Ezechielem dicentem cap. 18. *Si averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes justitiæ quas fecerat, non recordabuntur.* Et considera: inter gravissima damna quæ infert peccatum mortale, etiam hoc esse, quòd spoliet hominem omnibus justitijs quas fecit, & omni merito vitæ æternæ; quòd totum id, quidquid meritorum collegit per totam suam vitam in gratia DEI transactam, quidquid laudabile & cælo dignum fecit, id totum per peccatum mortale deperdat ita, ut si post peccatum mortale, nullâ pænitentiâ deletum, quis moreretur, ipsius opera bona & meritoria in gratia DEI aliquando facta, ad nihil ipsi prorsus prodessent, nec ullo præmio præmiarentur.

Et sic, si aliquis instar Dominici loricati in corpus suum annis plurimis atrocissimè sævîsset, si jejunijs se attenuâsset, vexâsset cilicijs, flagris concidisset, catenis aculeatis cruentasset, & postea lethalis criminis reus moreretur, hæc omnia non essent in recordatione apud DEUM. si plures ad Christum

gentes convertiſſet, quàm Indiarum Apoſtolus S. Franciscus Xaverius, plura quàm S. Auguſtinus, vel D. Thomas, in Eccleſiæ emolumentum elucubrâſſet volumina; plures Thomâ Canthuarienſi Archiepiſcopo perſecutiones & odia ob Eccleſiæ defenſionem tuliſſet; ſi ex amore DEI, propter fidei confeſſionem, plura ſuſtinuiſſet tormenta, quàm Clemens Ancyranus, ſi in contemptu mundi Alexium, in paupertatis rigore Franciſcum Aſſiſinatem, in clauſtro monachorum Lirinenſium ſanctitatem, in deſerto Anachoretas Thebaidis, in columnis prodigioſos Orientis Stylitas imitatus eſſet, & poſt hæc omnia, mortali peccato inquinaretur, & in hac iniquitate moreretur, omnis ille meritorum theſaurus, omnis ſanctitas & virtus periret, eſſetq; in perpetua oblivione apud DEUM.

Exclama hîc: ô jacturam, ô infelicitatẽ, ô miſeriam cruentis lacrymis deplorandam! admirare cæcitatem hominum, qui hanc jacturam non agnoſcunt nec apprehendunt, quinimò arbitrantes per peccatum ſe plurimum lucrari, poſt tam funeſtum detrimentum, audent exultare, ſicut exultant victores captâ prædâ, dum dividunt ſpolia. Deteſtare odiô infenſiſſimo peccatum, latronem hunc immaniſſimum, hoſtem capitalem, qui inhiat omnibus meritis, omnibus virtutibus tuis, qui his omnibus te ſpoliat, manumq; ſuam mittit ad omnia deſiderabilia tua.

Punctum II: Audi DEUM apud eundem Prophetam dicentem: *Si averterit ſe Juſtus, & fecerit iniquitatem, nunquid vivet? non vivet; in prævaricatione ſua, qua prævaricatus eſt, & in peccato ſuo quod peccavit, in ipſis morietur.* Et cogita: quòd peccatum mortale non ſolùm meritis, virtutibus, omnibuſq; bonis operibus, hominem ſpoliet, ſed etiam ſpoliet eundem ipſâ vitâ, vitamq; ei eripiat. Si ſpoliaret hominem aliis nonniſi illius bonis, tolerabi

lerabile hoc damnum, reparabilis jactura esset manente vitâ, sed cùm vitâ etiam spoliet, jactura hæc non est facilè reparabilis. quæ enim consequuntur ad vitam, reparari possunt si vita maneat; si auferantur simul cum vitâ, irreparabilia sunt, quia non est Principium talis jacturæ reparativum.

Spoliat autem peccatum vitâ, non vitâ corporali; qua corpus vivit & animatur, scilicet spoliat gratiâ sanctificante, quæ est vitâ animæ nostræ, per quam DEO vivimus, idq; vivimus participes & consortes naturæ Divinæ, dependenter à qua, exercemus omnes operationes vitæ. Hac vitâ ita nos spoliat peccatum mortale, ut per illud homo fiat fœdissimum cadaver, DEO & Angelis abominabile. Idq; peccatum spoliat peccatorem vitâ animæ indispensabiliter, ut non sit possibile hominem in peccatum mortale labi, & tamen vivere in anima, spoliat autem illum hac vitâ in ipso actu peccati mortalis; peccatum enim ita est incompossibile cum gratia sanctificante, ut multi opinantur Theologi, sicut tenebræ sunt incompossibiles cum luce.

Jacturam hanc utinam sentirent homines. Mors corporis ita est amara, ut vel ipsa memoria ejusdem sit amara. Mors animæ ita non apprehenditur, ut non sit qui recogitet. De juvene à Christo resuscitato in porta civitatis Naim, dicit S. Augustinus. *Illius mors visibilis visibiliter plangebatur, illorum qui in anima quotidie moriuntur mors nec quæritur nec videtur.* Compatere cordialissimè omnibus his in anima mortuis. mortem illorum sanguineis defle lacrymis.

Reflecte te deinde num & tu DEO vivas? an non possit tibi dici. *Nomen habes quòd vivas, & mortuus es.* An non sis Lazarus quatriduanus jam fætens? Si vivis vitâ spirituali, supernaturali, vitâ animæ tuæ, agnosce gratiam, agnosce misericordiam

cordiã DEI, dicens cum Psalmista: *Secundũ misericordiã tuam vivificâsti me.* Time, ne peccatum hanc tibi aliquando vitam eripiat quod si in anima mortuus es, recurre ad fontem vitæ, humili & contrito corde ab Authore vitæ pete vitam, & tribuet tibi. convertere ad Dominum DEUM tuum quem dereliquisti, & ipse conversus vivificabit te. Funde lacrymas deplorans mortem tuam, & Christus moriens spirabit in te spiritum suum, ut ipsi vivas, imò ipse in te vivat.

Punctum III. Audi DEUM per Oseam dicentem cap. 9. *Radix eorum exsiccata est, fructum nequaquam facient.* Et cogita, inter alia mala, quæ causat peccatum mortale, etiam hoc esse, quòd omnia bona opera, quæ homo in statu peccati mortalis facit, sint omnino infructuosa, non sunt meritoria, nec unquam à DEO præmianda.

Cujus ratio est. Quia túnc homo non est in gratia DEI, non est in charitate, sed ab illa per peccatum est evacuatus, eandem simul cum gratia sanctificante multisq; alijs habitibus supernaturalibus amittit. Jam autem, quod fit ab homine gratia habituali & charitate destituto, nihil prorsus valet nulliusq; est meriti, ut dicit Apostolus. *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habuero, nihil sum, & si distribuero in cibos pauperum, omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* A gratia sanctificante habetur omnis condignitas & valor operum supernaturalium hominis justi, ratione cujus sunt meritoria vitæ æternæ. Obsequia quæ exhibentur à filio DEI adoptivo, æstimantur: quæ ponuntur à servo & mancipio peccati, contemnuntur, nullumq: pretium habent. Gratia sanctificans est radix, à qua fructus boni operis suum vigorem, succum, & maturitatem habere debet. Si radix exsiccata fuerit, nullus

fructus haberi potest. Si gratia sanctificans per peccatum est deperdita, nullum opus peccatoris potest esse fructuosum, & vitæ æternæ de condigno meritorium, sed sicut peccator mortuus est DEO, ita & omnia opera ejus in peccato facta, mortua sunt.

Et sic, sive peccator oret, oratio ipsius non exaudietur, sicut non est exaudita oratio Antiochi, de quo scriptura dicit ; *Orabat scelestus DEUM à quo non erat misericordiam consecuturus.* Imò oratio peccatoris est DEO execrabilis, juxta illud Prov. 28 : *Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.* Sive laudet DEUM peccator, eumq honoret, quocunq; Religionis vel alterius virtutis actu, laus hæc non est grata & accepta coram DEO, ut dicitur Eccles. 25 *non est spetiosa laus in ore peccatoris.* Sive ulteriùs peccator sacrificia offerat, sive corpus suum affligat, se ipsum mortificet, Eleemosynas faciat, sive quæcunq; alia pia opera exerceat, nulla ex ipsis meritoria erunt. Reflecte te, an & quot tua opera bona perdideris? an etiam omnes tuæ mortificationes, jejunia, abstinentiæ, alijq; actus virtutum & opera misericordiæ in æternitate præmiabuntur ? non præmiabuntur certé quæ in statu peccati mortalis egisti.

Deplora jacturam talium operum tuorum. Propone curaturum te, ut omnia quæcunq; à te bene & laudabiliter agentur, fiant in gratia DEI, ut verò certior esse possis Statûs gratiæ, præmissa debita conscientiæ tuæ discussione, cum vero dolore de peccatis tuis, & firmo proposito de non peccando, accede ad Sacramentum pœnitentiæ, emunda conscientiam tuam, & restitutam gratiam sanctificantem conservare, imò semper augere stude.

Fac etiam tibi familiarem actum contritionis perfectæ, eumq; sæpiùs de die, sed præcipuè, dum aggressurus es aliquod opus bonum, aliquam actio-

actionem, quæ quantum ex se eſt, poſtulat eſſe meritoria, elice, ne tale tibi opus pereat.

In colloquio elice actum contritionis. O bonitas infinita DEUS meus, agnoſco & confiteor, per peccata, quibus Majeſtatē tua Diviná miſer ego & infelix offendi, multa me multa & damna incurriſſe, plurium pœnarum, à te mihi juſtè infligendarum, reum me exſtitiſſe, multa quæ habere potui impediviſſe bona. Interim hoc maximè, imò hoc unicè doleo, quòd te DEUM ſummum & omne bonum meum offenderim, quòd malum coram te, & contra te, qui es ſummè bonus, omni amore dignus, & ſummè amabilis, feci. Damno ſtultitiam & malitiam meam; amore tui, & propter ſolam tuam amabiliſſimam bonitatem, cui quodvis peccatum meum repugnat, omnia & ſingula, ex toto corde deteſtor; ad omnes pœnas, quas merui, me tuæ Juſtitiæ Divinæ offero; vindica Domine in ſceleſto peccatore illatas tibi omnes injurias. Hoc unicum, non propter me, qui omni tua gratia & favore indigniſſimus ſum, nec ullum meum quæro bonum, ſed propter temetipſum benigniſſimè effice, ne te ultra offendam in æternū, quem non offenſurum unquam firmiſſimè ſtatuo.

In fine: O DEUS ego amo te etc.

Meditatio VIII.
De pœnis & damnis ex peccato provenientibus.

Præludia eadem quæ meditationum immediatè præcedentium.

PUNCTUM I. Audi illa verba Sapientis Prov. 24. *Cogitatio ſtulti peccatum eſt.* Et conſidera effectum

ctum peccati etiam hunc esse, quòd hominem reddat stultum & amentem. sis licèt versatissimus in omnibus humanis scientijs, sis ingenij perspicacissimi, limatissimi Judicij, prudentiæ non vulgaris; si peccas; per hoc ipsum stultus factus es. sapientissimus fuit Salomon, qui tamen Senex factus, propter suas libidines, ad eam devenit dementiam, ut mens ejus averteretur à DEO. Sapientes fuerunt Ethnici illi Philosophi, de quibus Apostolus ad Rom. 1. *Qui tamen, cum sapientes essent stulti facti sunt, quia cum cognovissent DEUM, non sicut Dominum glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis.* Epulonem illum Evangelicum sua avaritia nonne stultum reddidit, etiã ipsius sapientiæ Incarnatæ judicio; *stulte, hac nocte animam tuam à te repetent.* Talem suam stultitiam agnoscunt, & tota æternitate deplorabunt licentiosi illi juvenes apud Sapientem. *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam & finem illorum sine honore &c.* Et iterum: *ergo erravimus.*

Et sané extrema dementia est, velle DEUM infinitæ majestatis, ejusq; summam & infinitam bonitatem offendere. Grandis stultitia est, si creatura, vermis, pulvis, atomus, bellum inferat Creatori, Enti perfectissimo essentiæ nobilissimæ. Si forṡ mica leonem superare velit. Summa stultitia est propter momentaneam voluptatem, privare se veris æternis gaudijs, & voluptatibus, addicere verò æternis pœnis & cruciatibus. Si magna stultitia fuit Esau quòd pro lentis edulio vendiderit sua primogenita. Major stultitia est uniuscujusq: peccatoris, quòd jus hæreditatis æternæ, vendat pro vili brevis voluptatis dulcedine, quæ gustata mortem ipsi generat æternam.

Hæc considerans, reflecte te supra præterita peccata tua, & recogita an hæc non fuerint verè & propriè tales stultitiæ? confundere quòd ita aliquando

quando desipueris. Trade te plenè & integrè sub institutionem Sapientiæ Incarnatæ, & propone curaturum te, ut in te, existente in schola veritatis æternæ, cogitatio stulti, hoc est peccatum, locum non inveniat.

PUNCTUM II. Audi verba illa Psalm. 48. *Homo, cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Et considera, quod peccatum non solùm hominem insipientem faciat, sed etiam eundem transformet in bestias, jumenta, & bruta animantia.

Idq; peccatum aliquando homines ita transformavit in bestias, ut exteriùs Jumenta esse apparerent, speciemq; exteriorem brutorum haberent, ex speciali & extraordinaria pœna & vindicta DEI. Et sic aliquando superbia Nabuchodonosor regem transformavit in bovem, ut habetur Daniel. 4. Luxuria & libido transformavit Tiridatem regem Armeniæ in porcum, ut refert Metaphrastes apud Surium. Alium quempiam Blasphiemia transformavit in canem. Hæ tamen transformationes sunt rariores.

Cæterùm tranformationes internæ, & in anima, frequentiores & quotidianæ sunt: semperq; quodlibet peccatum transformat hominem in aliquam belluam & brutum, non quidem quoad externam speciem, sed quoad internam animi constitutionem, DEO & Cælitûm oculis patentem. Et ita superbia transformat hominem in leonem aut in pavonem; Ira transformat in tigrides, ursos, & genimina viperarum; gula transformat in rapaces & voracissimos lupos; lascivia transformat in mulos & equos, in porcos & sues in volutabro luti lotas; avaritia transformat in struthiones non ferrum sed aurum vorantes, in corvos, quæ possunt, rapientes, & asservantes; Invidia transformat in canes, acedia in testudines hypocrisis in dolo-

ſas vulpes. Morum peſtilentia, quâ fortè corrumpis alios, transformat te in draconem.

Imò peccata non ſolùm faciunt peccatores ſimiles beſtijs, ſed etiam pejores ijſdem. Certè peccatores ſunt ipſis quoad hoc ſimiles, quòd, ſicut beſtiæ ſolo ſenſu & apetitu ſenſitivo ducuntur, ſuasquè ſenſuales ſequuntur inclinationes, ita & peccator non ratione, ſed ſenſu, & appetitu, ac inclinationibus ſenſualibus ducitur & regitur. Simul tamen peccatores ſunt pejores beſtijs.

Imò ex eo, quia belluæ per ſuas inclinationes ad ſenſualia, per ſuas concupiſcentias, non avertunt ſe à ſuo fine, ad quem à ſuo Creatore ordinatæ ſunt. Homo verò per quodvis peccatum avertitur à ſuo ſine.

2*dò* Quia, ut ait S. Chriſoſtomus Hom. 3. in Joan. ſi aliquæ belluæ ſunt crudeles, carnivoræ, guloſæ, effrænes in ſuis concupiſcentijs, hoc in illis non poteſt eſſe vitioſum, cùm ratione & libertate deſtituantur, quâ refrænent ſuas inclinationes & concupiſcentias. Crudelitas autem, gula, luxuria, ira, & his ſimilia, in homine ſemper ſunt vitioſa, quia homini ſunt voluntaria, & libera, imò ſunt adinventiones ejuſdem. Ex qua ratione etiam Ethnicus Philoſophus Ariſtoteles putavit homines brutis pejores 1. Politic. cap. 2. Dum dicit: *Homo ſeparatus à lege & juſtitia, eſt peſſimum omnium animalium, quia habet arma rationis ad explendas concupiſcentias & ſævitias, quæ non habent alia animalia.*

3 *tiò* Quia belluæ habent à natura ſua præfixos terminos ſuorum appetituum, quos non transgrediuntur. Et ſic nulla bellua etiam voraciſſima plus cibi ſumit quàm indigeat, nullæ vel rariſſimæ, quæ prolem ſuam interficiant & tollant, nulla quæ ſeipſam enecet. E contra nulli ſunt termini

mini concupiſcentiæ, & licentiæ in homine, quos idem peccando non transgrediatur.

4tò Tandem, quia inclinationes pravæ variorùm animantium etiamſi illis ſint naturales & in fundo eſſentiæ illorum radicatæ & infixæ, tamen hæ inclinationes cicuratione, pœniſq; vel beneficijs, in pluribus animalibus corriguntur. Homo autem ratione præditus, ſub poteſtate, & dominio habens ſuos appetitus & inclinationes, nullis beneficijs à DEO acceptis, aut pœnis ſibi inflictis corrigitur, & à peccando revocari poteſt.

His conſideratis, reflecte te ſupra teipſum, & fode parietem domûs tuæ, atq; ingredere interiora hujus domus, ſcilicet animæ tuæ &, vide abominationes peſſimas quas feciſti. Et ecce ſimilitudo reptilium, animalium, & univerſa abominatio. Reflecte te an faſtus tuus, & ſuperbia non te transformavit in leonem, aut certè in ipſum dæmonem propter ſuperbiam de cælo præcipitatum? An propter iracundiam tuam, non ſis ſævus urſus, tigris, aut vipera morſu ſuo lethaliter vulnerans? an voracitate & ingluvie lupum non referas? an per incontinentiam non ſis factus ſicut equus & mulus, aut tanquam ſus in volutabro luti? Reflecte te an avaritia in corvum, invidia in canem, acedia & tepiditas non transformaverit te in teſtudinem, an non ſis vulpes doloſa ob hypocriſim & fraudes atq; in ſincerum agendi modum tuum. An non ſis draco peſtilens alios peſtilentibus tuis moribus vel colloqijs, corrumpens & inficiens.

Erubeſce tantas abominationes, confundere brutis te pejorem exſtitiſſe propter averſiones tuas ab ultimo fine tuo, propter abuſum rationis, tuæque libertatis. quòd tua ratio non frænaverit concupiſcentias & inclinationes tuas ad malum, ſed etiam arma tibi miniſtraverit ad eaſdem explendas. Confundere quòd tuus appetitus ſenſua-

lis,tuæ paſſiones,licentiæ, ſenſualitates nullis terminis contineri potuerint,non terminis honeſtatis,non timoris DEI, non amore virtutis, non legibus, & præceptis Divinis ac humanis, non ſanctis aliorum exemplis, ſed potiùs quòd omnes hos terminos toties ſis transgreſſus. Confundere tandem, quod cicurari, & ad nutum DEI efformari non potueris tot & tantis DEI beneficijs copioſè in te profuſis, tot & tantis pœnis, quibus DEUS à ſua offenſa conatur te deterrere. Fac propoſita, omnibus vitijs, quæ in te deprehendes, contraria. Ad extremum poſtula gratiam, quâ adjutus, omnes in anima tua abominationes atq; ſimilitudines reptilium & animalium, corde tuo ejicias & tollas, illiq; altè imprimas, ac in eo efformes imaginem Chriſti Crucifixi, per crucifixionem carnis tuæ cum ſuis concupiſcentjs, & perfectam imitationē & expreſſionem Chriſti Crucifixi in vita & moribus tuis.

PUNCTUM III. Audi illa verba S. Petri dicentis 2. Petri 2do. *à quo quis ſuperatus eſt, ejus & ſervus eſt.* Verba item Eliæ Prophetæ ad Achab. 3. Reg. 21. *Venundatus es, ut faceres malum in conſpectu Domini.* Et conſidera hominem etiam hoc malum incurrere per peccatū, quòd ſit dæmonis,& peccati ſervus ac mancipium.

Servus imprimis & mancipium dæmonis eſt peccator ex eo. Quia per peccatum homo vincitur, debellatur, & ſuperatur à dæmone, porro jure gentium, Victus, ſeu ille qui in bello ſuperatur, eſt ſervus victoris. Reſiſtis tentationi? vincis ſuggeſtiones dæmonis? vincis & ſuperas dæmonē, ducis in triumpho vinctum draconem infernalem, eſtq; tunc dæmon ſervus tuus,& mancipiū. Conſentis ei? liberè ejus tentationi cedis peccatum committis: à dæmone ſuperatus es, ille te expugnavit & vicit, ſuoquè ſubjecit jugo, adeoq; factus es ſervus & mancipium

um dæmonis. Servus insuper dæmonis peccator est, quia in servum eidem est venundatus. *Unus quisq; enim* (ut ait S. Augustinus) *animam suam Diabolo vendit, accepto tanquam pretio, dulcedine temporalis voluptatis*, qui secundus modus est incurrendæ servitutis. Non existimandum est, quòd dæmon gratìs nobis offerat vetitas voluptates. Quisquè peccator hunc tacitum contractum, hoc illicitum pactum quasi universale init cum dæmone. Da mihi illam voluptatem, fas mihi sit indulgere sensualitati, vanitati, &c. Fruar hac oblectatione, & ego dabo tibi animam meam, tuum ero mancipium. adeoq; hoc cotractu posito, peccator si peccat, si potiatur voluptate prohibita, si contra legē indulgeat sensualitati &c. Fit servus & mancipium Diaboli.

Idem peccator, peccando fit etiam servus peccati, juxta effatum æternæ veritatis; *Qui facit peccatum, servus est peccati.* Quod si plura committat vitia, non unius tantùm domini, sed multorum servus est, ut monet S. Ambrosius. *Qui pluribus subjectus est vitijs, multis se Dominis addixit.*

servitus hæc dæmonis & peccati gravissima debet esse cuivis peccatori. 1*mò* Ex eo quia homini libero, in libertatem vocato, quævis servitus gravissima esse debet; homo verò ante peccatum est liber, & in libertatem Filiorum DEI vocatus. 2*dò* Quia peccator hanc servitutem patitur apud infensissimum suum hostem, talis enim peccatoris hostis est Dæmon & peccatum. 3*tiò* Ex eo, quia Dæmon & peccatum crudelissimè tractant hoc suum mancipium scilicet peccatorem; tenent ipsum vinctum gravissimis compedibus, vinctū non ferro sed ferrea voluntate, vinctum consvetudine peccandi, gravissimisq; tentationibus. Continuò miser peccator, propter importunitatem suggestionum, & vehementiam tentationum, exequitur voluntatem

luntatem hujus Tyranni. 4*to* Tandem ex eo hæc ſervitus graviſſima eſt, quia dæmon & peccatum peccatorem trahunt & præcipitant in ipſius perniciem, atq; perpetua in inferno tormenta, abſq; ulla ſpe redemptionis & liberationis ex illa æterna ſervitute.

His conſideratis, fac reflexiones ſupra te ipſum, quoties & tu jugo ſervitutis hujus collum tuum ſubmiſiſti! quoties victus & ſuperatus es à dæmone & peccato? quàm frequenter animam tuam dæmoni vendideris pro vili pretio? quot illicitos contractus cum dæmone feceris! ſi etiam nunc ſentis te in hac ſervitute eſſe, ingemiſce & excute graviſſimum hoc jugum. Præelige jugum Chriſti ſuave, præelige libertatem filiorum DEI, noveris te à Chriſto emptum eſſe pretio magno, ſtatue in poſterum Chriſto te famulaturum, ipſiuſq; ſervum & mancipium fore.

I*n colloquio* pete à Chriſto, ut merito Paſſionis ſuæ à ſervitute dæmonis & peccati te liberet, dicatq; tibi: *Servus meus es tu, in te glorialor.* pete etiam à pretioſiſſima DEI Parente, ut & illa te à poteſtate dæmonis & peccati ereptum, in ſervum ſuum & mancipium recipiat, nec permittat ampliùs venire in ſervitutem Diaboli.

In fine: Pater noſter. Ave MARIA.

Meditatio IX.
De pœnis peccati.

Præludia Eadem quæ præcedentium meditationum.

Punctum I. Audi ſapientem Proverb. 14. *Juſtitia elevat gentem. Miſeros autem populos facit peccatum.* Et Pſal. 13. *Multa flagella peccatoris.* Et

considera, quòd peccatum faciat peccatorem etiam corporaliter miserum. Eundemq; subijciat etiam in hac vita plurimis flagellis. DEUS enim ulciscendo suam offensam, etiam hîc plerumq; punit temporaliter & flagellat peccatores, Idq; non illos tantùm ipsos flagellat qui peccârunt, sed propter unius quandoq; Personæ peccata, flagellat tota Regna, totas Provincias, totas communitates. Ita propter peccatum Pharaonis, DEUS flagellavit totam Ægyptum, propter peccatum David, totum Regnum Domûs Jacob. Propter peccatum Achan, punivit totum exercitum Isràéliticum.

Flagella hæc aliquando sunt damna in bonis fortunæ, aliquando damna in bonis famæ, aliquando damna in bonis vitæ vel corporis.

Flagella in bonis fortunæ sunt: egestas & fames, quam egestatem DEUS permittit vel per bella & vastationes factas ab hostibus & militibus, vel per exundationes & eluviones, vel per furta & latrocinia, per maleficia, sterilitates, murium, locustarum grassationes, aliaq; his similia. Flagella in bonis famæ & honoris sunt: contemptus, vilipensiones, humiliationes, infamiæ, famosi libelli, aliaq; hujusmodi. Flagella in bonis vitæ & corporis sunt mortes, morbi varij acuti, molesti, diuturni, sunt pestilentiæ, vulnera, mutilationes &c.

Hæc omnia flagella DEUS permittit in pœnam peccati. Permittit egestatem & famem secundùm illud Deuteronomii. 28. *Si audire nolueris vocem Domini DEI tui, mittet DEUS super te famem & esuriem, & percutiet te Dominus egestate.* Permittit etiam contemptum, vilipensionem & similia, juxta illud 1. Reg. 2. *Quicunq; honorificaverit me, glorificabo eum, qui autem contemnent me, erunt ignobiles. Et iterum Deuter. Eodem cap. 28. Si audire nolueris vocem Domini DEI tui, eris perditus, in proverbium & fabulam omnibus populis, o-*

mni-

omniq; tempore calumniam sustinens. Permittit deniq; DEUS, in pœnam peccatorum, morbos, pestilentias, mortes, juxta maledictiones & imprecationes positas in citato capite Deuteronomij. *Percutiat te Dominus febri & frigore, ardore & æstu & aëre corrupto ac rubigine. Tradat te Dominus corruentem ante hostes tuos, percutiat te Dominus ulcere Ægypti, ulcere pessimo, sanariq; non possis à planta pedis ad verticem capitis.*

His consideratis, reflecte te, an aliqua ex his flagellis Christianitas, & Ecclesia, totum Regnum, Palatinatus, cōmunitas in qua vivis, universa familia & domus non patiatur propter peccata tua? An belli contra Christianitatem, belli in Regno tuo & Patria, vastationis urbium, oppidorum, pagorum, per incursiones hostium, militum licentias, non sint causa peccata tua? An vilipensiones, contemptus, humiliationes sive tui sive aliorū, non permittantur in pœnam culparum tuarum! An hæ non provocaverint iram DEI, ut per pestilentiam tanta hominum fieret strages, ut etiam nunc pecora peste absumantur. Alias præterea pœnas & flagella DEI expavesce.

Humilia te sub potenti manu DEI, confitere dicens: *Quæcunq; fecisti Domine, in recto judicio fecisti, quia peccavimus tibi.* Offer te ad omnia flagella Justitiæ Divinæ, postulans humiliter, ut hæc DEUS avertat à tota Christianitate, Regno Poloniæ, Palatinatibus tuis, communitate in qua vivis &c. Sed ut tu ipse totam pœnam, quam peccatis tuis meruisti, sustineas.

Punctum II. Audi Ecclesiasten dicentem cap. 7. *Ne impie agas multùm, ne moriaris in tempore non tuo.* Job item cap. 15. dicentem: *Impius, antequam dies ejus impleantur, peribit.* Et iterum cap. 22. *Viri iniqui sublati sunt ante tempus suum.* Et considera etiam per hoc puniri peccata, quòd

quòd anni & dies impiorum brevientur, quod peccator moriatur ante tempus illud, quod DEUS constituerat & præfixerat, si peccatis suis non accelerâsset mortem.

Mors insidet quidem equo pallido & macilento, ut vidit S. Joannes in sua Apocalypsi; cæterùm concitato veniet passu, si stimuli & calcaria admoveantur. Porro stimulus mortis peccatum est. Hôc admotô stimulô insecuta & assecuta est Absalonem & in quercu suspendit, eôdem stimulô adeô, assecuta est Athanasium Orientis Imperatorem, celeri passu per palatium fugientem, cum aliquot ante mortem diebus apparuisset ei in somno persona terribilis calamū dextrâ, librum sinistrâ præferens ac dicens: En ob perversitatem fidei tuæ, quatuordecim tibi vitæ annos deleo.

Hôc stimulô & calcari adhibitô assequitur & præmaturè rapit, omnibus sæculis, tot juvenes, in vitia & omnem licentiam effusos, ut moriantur in tempore non suo. Idq; rapit illos, in tempore non suo, hoc est antequam perveniant ad annos quos victuri erant, si vitam Christianè, & juxta præceptorum DEI præscriptum instituissent, rapit illos in tempore non suo, hoc est, dum minimè sunt ad mortem præparati. In tempore non suo, hoc est in ipsis vitijs, in tempore non bene collocato, imò in tempore miserè perdito, dum nihil computant temporis sui, DEI ac suæ salutis curæ impensi.

Hæc considerans fac reflexionem supra teipsum, & cogita, quid etiam DEUS de te statuerit, post tua prævisa crimina, post tot tam liberas legum Divinarū & humanarum transgressiones? An non illud constituerit, ut moriaris in tempore non tuo? Paratus DEUS fuerat longum tempus vitæ tuæ præfigere, Si Christum ut Patrem, Ecclesiam ut Matrem, accurata præceptorum & consiliorum

ab ipsis datorum observatione honorâsses. si in honorem Matris DEI Beatissimæ, & ex amore ipsius à pluribus delictis abstinuisses: item S. Angelo Custodi, tanquam Patri Tuo reverentiam in gravioribus offensis Divinis illo præsente vitandis exhibuisses, juxta illam promissionem Divinam *Honora Patrem tuum & Matrem tuam, ut sis longævus super terram.* Paratus fuerat DEUS vitam tibi adjicere, casu quo continens esses, corpusq; tuum diversis mortificationibus, abstinentijs & jejuniis castigares. Prorogasset vitam tuam & annos tuos multiplicasset, si tu fidē tuam in tot Confessionibus per varia proposita, promissiones ac etiam forte per aliqua vota vel Juramenta ei obligatā, integrā & illæsam servasses. Sed quia prævidit te, in Christum, Pretiosissimam DEI Parentem, S. Angelum Custodem, & Ecclesiam, impium, immorigerum, & degenerem futurum filium, ex quo prævidit fore te gulosum, sensualem, incontinentem, immortificatum, corpori tuo nimium indulgentem, illudq; in escam vermium saginantem: ex quo prævidit te legum suarum, propositorum, promissionum. & votorum tuorum sacrilegum transgressorem, & violatorem: format DEUS decretum ut moriaris in tempore non tuo, pluresq; annos vitæ tuæ delet. Et forte decernit DEUS, ut rapiaris in tempore non tuo, hoc est, non præmissâ ullâ dispositione & præparatione ad mortem, non bene collocato transactæ vitæ tuæ tempore, imò etiam ultimo vitæ & mortis tuæ tempore simul cum anima tua infeliciter perdito.

Exhorresce justam hanc in te ultionem DEI. mortem tuam semper præ oculis habe, ne moriaris in tempore non tuo. Honora DEUM Patrem tuum, honora Christum, Ecclesiam Matrem accuratâ legum suarum observatione, honora Matrem Beatissimam S. Angelum Custodem, ut sis longævus super

ſuper terram. ſis abſtinens, mortificatus, & adjicies vitam. Serva in omnibus fidem ſemel DEO datam, & anni vitæ tuæ non delebuntur. Supplica ſupremo vitæ & necis Arbitro ut moriaris in tempore tuo, hoc eſt, quod in felici æternitate pro tuo haberi & computari poſſit.

PUNCTUM III. Audi S. Joannem in ſua Apocalypſi cap. 21. dicentem: *Pars illorum* (ideſt, peccatorum) *erit in ſtagno ardenti, igne & ſulphure, quod eſt mors ſecunda.* Et conſidera poſt omnes peccatoris pænas hanc ſupremam & totâ æternitate luendam eſſe, quòd pars peccatoris futura ſit in ſtagno ardenti. Seu ultima peccatoris pæna eſt infernus, ejuſq; tormenta & mors ſecunda. Circa gravitatem & atrocitatem pænarum inferni habetur meditatio de inferno. Nunc circa mortem ſecundã, quæ prædicitur eſſe futura pæna peccatorũ.

Conſidera 1*mò* Quid ſit mors ſecunda? Per mortẽ ſecundã non intelligitur mors ſecunda corporis, cum enim hominibus ſtatutum ſit ſemel mori, etiam peccatores non moriuntur duplici morte corporis, adeoq; non moriuntur morte corporis, ſecundâ, intelligitur potius mors ſecunda animæ. ſicut enim animæ duplex eſt vita, una, per quam anima, dum adhuc conjuncta eſt corpori, vivit DEO per gratiam ſanctificantem, altera vita, quâ anima ſoluta corpore, vivit DEO in gloria & felicitate cæleſti per viſionem DEI & amorem ejus fruitivum, ita duplex eſt mors animæ, una quæ privat animam vitâ illâ, quâ, dum eſt in corpore, vivit DEO, per gratiam ſanctificantem. Altera mors animæ eſt, quæ privat animam vitâ, quam haberet in gloria & felicitate cæleſti, & quâ viveret DEO per viſionem ipſius & amorem fruitivum: mors ſiquidem nihil aliud eſt, niſi privatio vitæ. Hæc ergo mors altera animæ, eſt & dicitur mors ſecunda, quia illam priorẽ conſequi-

tur, nec mors hæc dari poteſt, niſi illa mors animæ, ex vi cujus anima, non vivit DEO per gratiam, præceſſerit.

Eadem mors, quâ poſt mortem corporis peccatores & damnati, DEO moriuntur, eſt mors æterna, qui enim tali morte moriuntur, per totam æternitatem non ſunt unquam victuri, non ſicut illi, qui moriuntur in anima per privationem gratiæ, in pænam peccati mortalis, inductam. Hi etenim ita moriuntur, ut adhuc vivere poſſint & frequenter vivant, ſi ſtante vitâ corporis, ad miſericordiam DEI confugiunt, pro ſuiſq; peccatis, pænitentiam, qualis ad ſalutem eſt neceſſaria, agunt. Hanc mortem ſecundam dicit S. Joannes fore partem peccatoris in ſtagno ardente, quia cum ſupplicijs æternis ignis infernalis, mors illa ſecunda eſt conjungenda, nec ab illis unquam dividenda. Damnati ad mortem ſecundam illi ipſi erunt, qui damnabuntur ad rogum infernalē, ſeu ad ignem æternum.

Conſidera 2*dò* Quòd licet peccator per quodvis peccatum mortale mortem primam, quæ conſiſtit in privatione gratiæ ſanctificantis incurrat, taliq; morte poſt quodvis peccatum mortale immediatè moriatur; tamen non poſt quodvis peccatum moritur morte ſecundâ, hæc enim mors non necat animas niſi corpore ſolutas, ſeu poſt mortem corporis, cùm ergo peccator poſt peccatum non moriatur ſtatim morte corporis, ſed frequenter, à longanimitate Divina ſuſtineatur, ut reſipiſcat & pænitentiam agat, anima peccatoris non moritur morte ſecunda ſtatim poſt peccatum, poteſtq; hanc mortem evitare, ſi ad DEUM convertatur, eiq; per pænitentiam reconcilietur.

Conſidera 3*tiò* Quòd mors ſecunda quamvis non infligatur ſtatim poſt peccatum peccatori, ſicut infligitur mors prima, tamen mortis ejuſdem reatus

reatus, non minùs atq; reatus inferni & damnationis æternæ, per quodvis peccatum mortale, incurritur, & cuivis tali peccato ac etiam privationi gratiæ, quam peccatum demeritoriè causat & infert, est dispensabiliter annexus, ita ut peccator per hoc ipsum, quòd DEUM graviter offenderit, jam sit reus mortis secundæ & æternæ, jam sit damnatus ad talem mortem, habeatq; contra se latam mortis ejusdem sententiam.

Considera *4tò*. Et recogita quantùm reatûs hujus apprehensiô peccatorem quemvis deberet percellere? si quis propter sua crimina ad mortem corporalem damnatus, in cacere detineretur, ad tempus pro executione sententiæ destinatum, quantis ille lacrymis infelicitatem deploraret, quantis tristitiæ fluctibus absorberetur, nullaq; humana admitteret solatia, quoscunq; ad se accedentes, mortis nuntios esse existimaret, aut certè eos, qui ipsum ad locum suplicij deducerent. Si modus aliquis & spes affulgeret suæ liberationis, quantâ solicitudine & studiô modum illum arriperet, adhiberet media, spem & gratiam aliorum posceret, nihilq; non ageret, ut mortis suæ mutaretur sententia, illeq; mortem effugeret.

Peccator post quodvis peccatum mortale, quamdiu adhuc in corpore vivit, detinetur corporis sui carcere, damnatus ad mortem æternam, educendus aliquando ex hoc carcere ad audiendam talis mortis sententiam, & hac morte tota æternitate plectendus. Et sentitne tantum malum suum? minimè. Dolendùm sanè quod pleriq; peccatores non agnoscant hanc miseriam & infelicitatem, gaudent in tantis suis malis, & exultant in rebus pessimis. ludunt, & ducunt in bonis dies suos, immemores, quod sint brevì educendi è carcere, & coram DEI Judicis tribunali statuendi, ad audiendam suæ damnationis sententiam, quodve

in puncto ad inferna sint descensuri.

O utinam recogitarent! utinam sibi providerent, & dum adhuc possunt placare Judicem, quamdiu possunt à mortis absolvi sententia, modos & media arriperent, illis uterentur ad evadendam mortem & supplicia æterna!

His consideratis tecum ipse dispice, & tuam consule conscientiam, an in pœnam peccatorum tuorum, non debeatur tibi pars in stagno ardente, an non sis reus mortis secundæ, mortis æternæ? reatum hunc mortis, quantùm & quo fructu apprehendas? an ejus apprehensione deterearis à peccato? an movearis ad deploranda commissa peccata? quantum solicitus es, ut DEUM Judicem, placatum & propitium tibi reddas? omnino stude, maturè causam hanc componere, quia nescis, quâ horâ ad Divinum rapiendus es Judicium. Novit Dominus mutare sententiam, si tu mutaveris vitam tuam. Age seriam pœnitentiam, peccata tua defle, vitamq; in melius mutare stude.

Colloquium institui potest per sequentem affectum. Benignissime DEUS, agnosco bonitatem & longanimitatem tuam, quâ me sustines misericordissimè, mortis æternæ reum, & expectas, ut supplex pro obtinenda venia ad te revertar. Fateor nolle te mortem meam, sed magis ut ad te fontem vitæ recurram & vivam. En ad te in toto corde meo quod in lacrymas solvi & colliquescere vellem, redeo, & ex toto corde detestor omnia & singula peccata mea, propter tuam immensam bonitatem. Non mea terrent me pericula, sed tua bonitas attrahit, ut detester peccata mea, ut te amplius non offendam. Nolo Domine, nolo unquam te offendere, tuâ potenti gratia, inconstantem me & ad omne malum proclivem adjuva & effice, ut te non offendam unquam in æternum.

In fine: Suscipe Domine.

Me

Meditatio I.
De purgatorio.

Præludium I. Imaginare fornacem ardentissimam taliter vel magis succensam, atq; fuit succensa fornax Babilonica, ex qua flamma erumpebat cubitis quadraginta novem. Imaginare item in hanc fornacem mitti animas leviorum culparum & pœnæ temporalis exsolvendæ reas.

Præludium II. Postula à DEO, ut atrocitatem pœnarum purgatorij, intimè agnoscas, illarumq; fructuosâ consideratione movearis, sive ad evitandas easdem pœnas, sive ad juvandas animas, quæ in his pœnis detinentur.

PUNCTUM I. Audi illa verba Malachiæ. 3. *Purgabit filios Levi, & colabit eos quasi aurum & argentum.* Quæ ipsa intellige de illis animabus, quæ flammis purgatorij expiantur.

Et considera 1*mò* Animas purgatorij non incongruè intelligi per filios Levi Hæ sanctæ animæ constitutæ & destinatæ sunt ad ministerium Tabernaculi testimonij: unde etiam inter flammas ardenti suspirant desiderio cum Regio Vate, *Quàm dilecta Tabernacula tua Domine, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* Illæ præparantur, ut intrent Sancta Sanctorum, ut compareant & ministrent coram Domino & in templo sancto ejus, ut offerant sacrificia Justitiæ, sacrificia cordis contriti & humiliati, manipulos primitiarum seu bonorum suorum operum & meritorum, ut offerant victimas & holocausta ex immolata DEO sua voluntate, ex immolatis terrenis affectibus, inclinationibus, passionibus, amore proprio, & seipsis.

Considera 2*dò* Easdem animas etiam cum auro & argento comparari, & per hæc significari

posse. Aurum sunt & argentum animæ, quæ in flammis purgantur: quia mors per quam à corpore divisæ sunt, pretiosa exstitit in conspectu Domini. Aurum sunt, propter auream suam charitatem, qua cum viverent in terris, corruscabant, & in qua ad mortem permanserunt. Sunt argentum propter candorem & nitorem conscientiæ, à culpis lethalibus liberæ. sunt aurum & argentum destinata ad ædificium cælestis Hierusalem, quæ ædificatur ut civitas, estq; tota aurum mundum. Sunt tandem aurum & argentum, ex quibus efformantur electionis vasa præstantissima, in cælesti mensa apponenda, & ori Divino admovenda.

Considera 3*tiò*. Quòd DEUS animas hominum in gratia ejus decedentium ex hac vita, levium tamen culparum & pœnæ temporalis exsolvendæ reas, purgatutus sit tanquam aurum & argentum. Aurum & argentum non purgantur perfectè nisi dissolvantur & colentur, porro non dissolvuntur nisi igne validissimo: Pariter & sanctæ purgatorij animæ, purgabuntur igne vehementissimo & ardentibus flammis, DEUS colabit filios Levi tanquam aurum & argentum. Purgationem hanc describit DEUS per Ezechielem cap. 2. *Congregabo vos congregatione argenti, æris &c. In medio fornacis & succendam in ea ignem ad conflandum.* Quare imaginare à Justitia Divina succensam fornacem talibus flammis, quæ vim habeant ad conflanda metalla, in hanc ergo fornacem taliter succensam congregabuntur purgandæ animæ, congregatione argenti, ut conflentur, purgentur, & depurentur. Non ita argentum dum liquatur, ignescit, & totum in ignem quodammodo transmutatur, quomodo sanctæ illæ animæ, vehementiâ ignis purgatorij ignescent, ac totæ ab illo igne penetrabuntur. O quàm miseranda hæc sors ipsarum!

PUNCTUM II. Ex occasione eorundem verborum

borum Malachiæ Prophetæ conſidera *4tò*. Quid in hoc auro & argento, hoc eſt in ſanctis purgatorij animabus, flammis, ſuccenſæ illius fornacis purgabitur? purgabitur & hac ipſa purgatione depelletur rubigo, excoquetur ſcoria, ſeparabitur pretioſum à vili. Aurum & argentum ſeparabitur à metallis vilioribus & terrenis, ab ære, ferro, ſtanno, plumbo, & ſimilibus, auferetur quidquid vitioſum & fædum eſt, & aliquam inſpergit maculam: hoc eſt, opera charitatis & actus virtutum excellentium & heroicarum, depurabuntur à ſcorijs & rubigine imperfectionum, ſeparabuntur, à defectibus vanitatis, tepiditatis, à mundano pulvere, quô religioſa etiam corda ſubinde ſordeſcunt. Omnia hæc excoquentur. Culpæ etiam aliæ veniales, in vita non expiatæ, tunc expiabuntur. Reatus item pœnæ temporalis manens poſt ſublatas culpas lethales non exſolutus plenè in vita, in pœnis illis atrociſſimis exſolvetur.

Conſidera *5tò*. quouſq; purgabuntur ſanctæ illæ animæ? In tantis illis miſerijs, hæc futura eſt ipſarum felicitas, quòd pœnæ illæ quantumvis atroces, non ſint futuræ perpetuæ & æternæ. Sed quarumdam animarum, protrahentur ad diem ſupremi Judicij, ultra quem nullius animæ, pœna purgatorij producetur; aliarum purgatio citiùs expedietur. Uniuſcujuſq; verò tamdiu pœnæ & purgatio ſunt duraturæ, quouſq; aurum illud & argentum, hoc eſt anima, plenè & perfectè non depurabitur, quouſq; non auferetur tota rubigo, quādiu non excoquetur ad purū ſcoria, quādiu ab illo auro & argento non ſeparabitur omne æs, ferrum, ſtannum, plumbum, & quidquid vile, terrenum, & maculoſum eſt, ita ut non maneat niſi aurum præſtantiſſimum, aurum pellucidum & ſine macula, aurum totum mundum, tanquam vitrum mundum, hoc eſt, eouſq; durabunt pœnæ illæ unicuiq;

debitæ, quousq; non expiabuntur omnes culpæ veniales, quousq; non tolletur totus reatus pœnæ temporalis.

Considera 6tò. Pœnas illas, quemamodum quoad durationem, ita & quoad intensionem & gravitatem suam, non futuras æquales, comparatè ad õnes animas: sicut auri & argenti cujusq; purgatio non æquali igne nec æquali tempore absolvitur. Majore igne & tempore opus est ad excoquendam multam scoriam, & nimiam rubiginem, ad separanda item diversa metalla æris, ferri stanni, plumbi, atq; ad hæc ipsa absumenda, quàm opus sit ad depellendas leviores maculas & fœditates. Pariter & animarum sanctarum purgatio, non æqualibus pœnis, nec æquali tempore absolvetur, majoribus & gravioribus pœnis, ac longiori tempore purgari debebunt animæ, quæ plurium & graviorum culparum invenientur reæ, & quæ majora habebunt exsolvenda debita. Minoribus & brevioribus pœnis purgabuntur, quæ ad minus exsolvendum tenebuntur. Unicuiq; illud dicetur: *Non exibis hinc, donec solveris ad novissimum quadrantem*,

Punctum III. Ad teipsum mentem converte & cogita atq; in bonitate DEI confide, quòd & tu sis de filijs Levi, spectes ad populum electum, quod sis assumendus, ut in Cælesti templo & tabernaculo ministres coram Domino. Existima quòd per gratiam Divinam, sis aurum & argentum, quatenus (ut fortè potes opinari) manes in charitate & gratia DEI sanctificante, quatenus nullius peccati mortalis, quod ritè non expiaveris, es tibi conscius. Confide in Misericordia DEI, quod non sis damnandus ad pœnas inferni & ignem æternum.

Si tamen auro huic & argento admista sunt æs, ferrum, stannum, plumbum, scoria, rubigo, pulveres

veres, fœditates, pluresq; maculæ, purganda hæc omnino erunt. Purgaberis tanquam aurum & argentum, proijcieris in fornacem, in qua DEUS ejusq; Justitia succendet ignem ad conflandum aurum & argentum, scias atroces tibi pœnas in purgatorio sustinendas esse. Aurum & argentum non infertur in cælestes thesauros, nisi plenè mundum & depuratum! nihil enim coinquinatum intrabit in Regnum Cælorum.

Tales tibi sustinendæ erunt pœnæ in purgatorio, nisi hìc aurum tuum, hoc est conscientiam & animam tuam ab omnibus maculis & immundicitijs mundaveris, nisi pœnas, quas in altera vita exsoluturus esses, hic potiùs exsolveris, per sacrificia, eleemosynas, mortificationes, Jejunia, usum Sacramentorum, usum indulgentiarum, per opera misericordiæ, charitatis, aliarumq; virtutum actus.

Si sapiens es, existima in hac vita potiùs satisfaciendum tibi esse Justitiæ Divinæ, hìc satiùs exsolvendas pœnas: Facilè hic DEUM placare potes, parvo hîc contentus erit, parùm licet de tuo contuleris, si ex vulneribus Domini tui JESU Christi usurpaveris, quod tibi deest, totum exsolves quod debes. Tempus vitæ præsentis est tempus illud, quo miseretur DEUS, humiliter ergo ad ejus misericordiam recurras, & si quod dare potes, conferas in exsolutionem tui debiti, remittet tibi universum debitum tuum.

Age ergo quod potes. Post mortem quando mitteris in illum purgatorij carcerem, rigidissimè à te exigetur omne debitum & minimus ac novissimus quicunq; quadrans. Non poteris tunc in exsolutionem dare de tuo, non poteris quidquã mereri. Merita etiam & satisfactionem Christi non poteris tibi usurpare, ad exsolvenda tua debita, frustra quoq; ad misericordiam Divinam recurres quia transibit tempus miserendi. Unicum re-

ſtabit, ut luas pœnas, & harum ſatispaſſione ex ſolvas debita tua. Eligè proinde: quod tuo bono conſultius eſt, decerne & ſtatue in hac vita exſoluturum te tua debita & non in altera. Conſtitue, quid pro expiandis peccatis tuis nunc agere debeas.

In Colloquio ſupplica humilimè miſericordiæ Divinæ ut in exſolutionem delictorum tuorum acceptare velit pretium Sanguinis Unigeniti Filij DEI Domini noſtri, tuamq; pœnitentiam & modica opera tua bona in gratia Divina & ex gratiæ ejuſdem auxilio facta, nec poſt mortem tuam exigat aliam exſolutionem in purgatorij flammis.

In fine: Pater noſter.

Meditatio II.
De purgatorio

Præludia eadem, quæ meditationis præcedentis.

PUNCTUM I. Audi illa verba 2. Machab. 12. *Sancta & ſalubris cogitatio eſt pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur.* Circa quæ.

Conſidera 1*mò*. Defunctos, qui in Domino moriuntur hoc eſt, qui in gratia DEI ex hac vita decedunt, communiter manere ligatos, ligatos inquam culpis levioribus, quas in vita non expiarunt, & obligatione luendi temporales pœnas.

Quemadmodum Lazarus in morte ſua ligatus fuit inſtitis; ita & animæ juſtorum dum per mortem educuntur è corpore, ligantur & conſtringuntur vinculis, quibus ſe in vita implicarunt. Hiſq; vinculis hoc eſt peccatis ſuis vinctæ & ligatæ mittuntur in fornacem purgatorij, ſicut juſſu Regis in fornacem Babilonicam miſſi fuerant ligati tres pueri Hebræi.

Conſidera 2*dò*. Solutionem vinculorum qui-

bus animæ purgatorij vinciuntur duplici modo fieri posse, vel per pœnas ipsas, earumq; perpessionem, quam satispassionem vocant ita ut ad solutionem à vinculis animæ cujuspiam opus sit ut ipsa purgatorij flamma, vincula, & funes peccatorum absumat & exurat, quibus absumptis tunc primùm anima soluta, est expedita, ut in cælum feliciter evolet. Alter modus, quo vincula animarum sanctarum solvi possunt, est per satisfactionem. Nimirum si Filio DEI similis, descendat in fornacem; disrumpat illa ipsa vincula, faciatq; medium fornacis tanquam ventum roris flantem, & solutas animas educat ex fornace. Hoc est si à quopiam exhibeatur obsequium æquivalens pœnis, ad quas luendas tenetur anima. Tale enim obsequium vim habet disrumpendi vincula, & solvendi à peccatis, ita ut ampliùs Justitia Divina pænas, per quas solvatur anima, exigere non possit.

Punctum II. Circa eadem verba 2. Machab. considera 3*tiò*. quod animæ purgatorij non possint se ipsas solvere à peccatis, nisi luendo pœnas, & per satispassionem, quæ gravissima ipsis & molestissima est. Per satisfactionem verò nullatenus possunt se ab his vinculis liberare, sunt enim ligatæ & vinctæ, sunt viribus omnibus destitutæ, non habent talia gratiæ Divinæ auxilia, ut quidquam salutariter & meritoriè agere possint, per quod sibi indulgentiam & pœnarum remissionem promereantur. Quodsi aliquid operantur bene, & laudabiliter, id non cedit in ipsarum commodum, ita ut per hoc pro suis peccatis & pœnis satisfaciant: siquidem sunt extra statum viæ & meriti. Quare ut per satisfactionem, à peccatis & pœnis solvantur, satisfactio pro ipsis, ab alijs poni debet. Quod officij relictum est potissimùm hominibus in hac vita adhuc degentibus. Hi in eo statu sunt constituti, ut & sua peccata expiare, pro

ijsq;

ijſq; ſatisfacere poſſint, & ſatisfactionẽ exhibere pro animabus purgatorij. Ipſis conceſſum eſt, ut ſint Angeli DEI, ut ſint ſimiles Filio DEI, & per ſuam charitatem atq; applicationem operum ſatisfactoriorum, aliorumq; mediorum deſcendant in fornacem purgatorij, ut ſolvant & diſrumpant vincula peccatorum, quibus animæ illæ conſtringuntur & detinentur, ut ignem quo cruciantur extinguant, & ipſas animas inde educant.

Conſidera 4tò. ſatisfactionem illam, quâ ab hominibus in hac vita degentibus ſolvuntur defuncti, ſeu animæ purgatorij à peccatis ſuis, fieri per orationem. *Sancta & ſalubris cogitatio eſt, pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur.* Orationis nomine venit, quidquid habet vel habere poteſt rationem operis ſatisfactorij, ſi per intentionem ſanctam applicetur animabus purgatorij & offeratur DEO, atq; exhibeatur in ſolutionem pro peccatis earum. Talia opera ſunt ſacroſancta Miſſæ ſacrificia pro defunctis oblata, eleemoſynæ & opera miſericordiæ, mortificationes corporis & jejunia, orationes, precationes & ſancta ad DEUM ſuſpitia, Jndulgentiæ, quæ per modum ſuffragij animabus applicari poſſunt, & quæcunq; bona opera atq; virtutum maximè heroicarum exercitia. Per hæc omnia animæ à peccatis ſolvi, & à pœnis liberari poſſunt. Offers Miſſæ ſacrificium vel curas offerri pro defunctis, efficis ut Filius DEI Chriſtus deſcendat in fornacem purgatorij, & diſrumpat vincula peccatorum, quibus animæ vinctæ tenebantur, ut ſanguinis ſui rore refrigeret ardores flammarum piacularium, ut animas inde liberet & educat. Facis eleemoſynas & opera miſericordiæ, cogita, quòd non ſic aqua exſtinguit ignem, ſicut eleemoſyna exſtinguit peccata animarum purgatorij, & ignem ad earum expiationem ſuccenſum. Caſtigas corpus tuum, mortifiationibus, jejunijs

affligis

affligis, partem pœnarum in te ſuſcipis & cum atrocioribus permutas, ne illæ animæ rigidiùs à Juſtitia Divina puniantur. Orationes etiam tuæ & precationes frequentes ac etiam aſſiduæ, ſi in gratia DEI conſtitutus, eas ad DEUM fundis, multùm juvant animas purgatorij. *Multùm enim valet deprecatio juſti asſidua.* Angeli Sancti, qui ante DEI conſpectum deferent orationes & obſecrationes tuas, mittentur ut in fornacem purgatorij deſcendant, ſolvantq; animas à peccatis, & educant in refrigerium.

Per Indulgentias etiam quas animabus applicas ex Theſauro meritorum Chriſti & Eccleſiæ, ſolvis quadrantes noviſſimos, quos exſolvere tenentur animæ, & quos ut exſolvant detinentur in carcere.

PUNCTUM III. His conſideratis reflecte te, quòt & quàm faciles modos habueris & habeas in poteſtate tua, per quos juvare potuiſti & potes animas in purgatorij flammis detentas. Cogita felicem te eſſe, ſi aliquam illarum à peccatis ſolviſti, & ex purgatorij ignibus liberâſti. Noveris talem animam hujus beneficij totâ æternitate gratam tibi futuram. Si nihil egiſti, & agis, duri cordis & pectoris es, qui tantâ calamitate non flecteris, cum facilè ſuccurrere poſſis.

Cogita plures fortè animas eſſe, quas DEUS per te liberari voluit, quas ſi liberare neglexeris, infelices illæ cogentur totum ſuum debitum luendo, promeritas pœnas exſolvere, expectant illæ à tanto tempore, à tot annis, inter continuos gemitus & ſuſpiria, ut illis ſuccurras. Ergone pro illis liberandis nihil ages ? excitare ad illis ſuccurrendum, ipſarum calamitate, pœnarum, quas ſuſtinent gravitate, & acerbitate, ac etiam Sanctorum, talibus animabus ſuccurrentium exemplis, S. Chriſtinæ, quæ duriſſima quæq; patiebatur & exquiſitis

mortificationibus ſe cruciabat, ut animabus purgatorij opem ferret. S. Gertrudis, & tot aliorum Sanctorum, qui omnem fructum ſatisfactorium quorumvis ſuorum bonorum operum, animabus his donabant, in eaſq; transfundebant. Sancti Nicolai Tolentini, qui ſuis quotidianis ſacrificijs & orationibus animas ſtudioſiſſimè juvare conabatur. Tot Regum & Principum, qui plura ſacrificiorum millia pro animabus ſuorum amicorum fieri curarunt, fundationes amplas fecerunt, confraternitates pro liberandis animabus inſtituerunt.

Vide quid te etiam facere conveniat? fac propoſita. Deprecare ſanctas illas animas, quòd nihil vel parum, pro illis liberandis egeris. Corrigere ſtude, animabus hujuſmodi, quàm maxima ſuffragia & ſubſidia etiam ab alijs afferenda, à Divina veró miſericordia requiem æternam ipſis donandam precare.

In Colloquio ſupplica humiliter Patri Miſericordiarum, ut cor tuum & aliorum corda flectat ad miſericordiam & commiſerationem ſuper animabus purgatorij, quatenus eas juvare veſtris ſuffragijs velitis, & ut eas educat benigniſſimè ad requiem opulentam, & felicitatem æternam.

In fine: Pater noſter

Meditatio III.
De purgatorio.

Præludia eadem quæ meditationis primæ de purgatorio.

Punctum I. Audi illa verba Chriſti Matth. 5. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Item illa Pſal. 40. *Beatus vir qui intelligit ſuper egenum & pauperem in die mala liberabit*

berabit eum Dominus. Et conſidera omnem, quidem miſericordiam quam præſtamus pauperibus & egenis laudabilem & ſalutarem eſſe, Divinamq; nobis promereri miſericordiam, ſed maximè illam quæ exhibetur animabus, poſt mortem pœnam purgatorij luentibus. Quod ut meliùs aſſequaris.

Conſidera ulteriùs 1*mò*. Miſericordiam illã, ſi cætera ſint paria æſtimabiliorem & magis meritoriam eſſe 1. quæ exhibetur ijs, qui non ſolùm pauperes ſunt, ſed ſimul maximè miſerabiles & calamitoſi. 2. quæ exhibetur egenis & pauperibus ita viribus & quibuſcunq; alijs medijs deſtitutis, ut non poſſint quidquam operari, ex labore manuum ſuarum vivere, & vitæ ſuſtentandæ ac miſeriæ ſublevandæ neceſſaria ſibi providere. 3. Quæ præſtatur pauperibus ſanctis, & DEO ſingulariter gratis & acceptis, de quibus quòd tales ſint certò tibi conſtat. 4. quæ exhibetur egenis & pauperibus, quorum egeſtas & calamitas licet vera ſit, non eſt tamen patens, oculis illam non intueris, gemitus & lamenta non audis, ſed tantùm ex relatione aliorum, & per fidem cognoſcis dari pauperes valde indigentes, ab omnibus derelictos, non potentes prodire, ut ſuam miſeriam & calamitatem ſpectandam exhibeant, & ſtipem emendicent.

Animæ purgatorij ſunt hujuſmodi pauperes, & egeni, non ſolum enim ſunt indigentiſſimi, ita ut indigentia major, quàm ſit eorum, cogitari non poſſit, ſed etiam ſunt maximè calamitoſi & afflictiſſimi. Sunt pauperes viſu deſtituti, ipſorum vox illa frequentiſſima eſt. *Quale mihi gaudium, qui in tenebris ſedeo, & lumen cæli non video,* qui non video Lumen Increatum, Lumen oculorum meorum, cujus viſione ſummè felix & Beatus aliquando tandem efficiar, qui non video Chriſtum, qui eſt lux vera illuminans omnem hominem, non video Sanctiſſimam MARIAM pulchram ut Luna, e-

electam, ut sol, qui non video astra Cæli, nimirum Beatos jam cum Christo regnantes. Animæ illæ sanctæ, sunt pauperes in carcerem dati, propter aliqua debita, quæ contraxerunt in vita, nec exsolverunt, nunc verò non habent unde solvant, sunt pauperes qui gravissimis cruciantur tormentis, pœnisq; & satispassione, contracta exsolvunt debita. 2dò. Animæ purgatorij sunt pauperes viribus ita collapsi & destituti, ut non possint operari, non possint ex labore manuū suarū exsolvere debita sua. Manus ipsarū constrictæ & ligatæ sunt, ut nullos modos adhibere, nullas industrias exercere possint, quibus pretium solutionis acquirant. O quàm felices essent, si ipsis concederetur ad vitam regredi! ô quam instanter agerent? quantâ curâ & solicitudine laborarent, ut universum debitum reddere possent! 3. Animæ purgatorij sunt pauperes omni commiseratione digni, sunt pauperes sancti, DEO grati & amabiles, sunt Filij DEI, sunt sponsæ Cælestis Sponsi. Misericordia illis exhibita non potest non esse nisi DEO acceptissima. Quia maximè grata est Patri, misericordia, quæ exhibetur charissimo ejus filio in calamitate constituto, grata est sponsō misericordia, quæ exhibetur amabilissimæ suæ sponsæ. : deniq; grata est amico misericordia, quæ exhibetur intimo suo amico & cui eam exhiberi maximè desiderat. 4. Tandem animæ purgatorij sunt pauperes, quarum homines mortales non intuemur miseriam & calamitatem. Præstat quidem DEUS gratiam quibusdam animabus, ut in flammis appareant, ut opem visibiliter ab hominibus viventibus implorent: sed hæc rarissimè fiunt, aliæ animæ communiter in carcere detinentur, nec ex illo prodire permituntur. Ex fide tantum habemus, purgatorium dari, in eoq; animas. Quod ipsum utinam vivâ fide crederemus, utinam hac fide excitaremur ad succurrendum miseris illis animabus

animabus. Multæ ex illis ſunt omni deſtitutæ ſuffragio, ſunt in oblivione apud homines, tanquam mortui à corde, ſunt in terra oblivionis, multæ exſpectant, certæ alicujus ac determinatæ perſonæ ſuffragia, aliquæ exſpectant ſuffragia tua, ut tu illis ſuccurras & fortè inter hos pauperes ſunt Parentes tui, fratres, ſorores, amici, Benefactores tui, quibus ſpecialiter obligaris ex pietate, charitate, ex promiſſione & aſſecuratione tua, ipſis in morte facta, fortè etiam quibuſdam animabus obligatus es ex Juſtitia, propter detenta à te ipſorum pia legata, ſuppreſſa teſtamenta, accepta ea, quæ in ſubſidium animæ cedere debuerant, non perſolutos cenſus, per varias inſcriptiones conſtitutos. Miſericordia in has animas ipſis quidem maximè deſiderabilis, tibi verò multùm ſalutaris eſt futura. Sicut è contra immiſericordia valde tibi eſt eritq; perniciosa. Judicium tibi eſt ſine miſericordia, ſi ut teneris non facis miſericordiam, aut veriùs Juſtitiam.

PUNCTUM II. Conſidera 2*dò*. Quod miſericordiæ, quæ exercetur in animas purgatorij, præmium futurum ſit miſericordia exhibenda illis ipſis, qui faciunt miſericordiam, qui miſerentur pauperum illarum animarum, etiam ipſi miſericordiam conſequentur. Quamdiu in corpore vivimus, replemur multis miſerijs, multis malis & calamitatibus obnoxij ſumus, adeoq; & ipſi egemus, egebimuſq; ſemper miſericordiâ, idq; non ſolùm in hac vita, ſed vel maximè in morte, ac etiam poſt mortem ad flammas purgatorij etiam ipſi deputati. Dum vivis dies vitæ tuæ, pauci & mali ſunt, adeoq; miſer es omnibus diebus vitæ tuæ, miſer es propter continuas tentationes, quibus ab hoſtibus animæ tuæ continuò impugnaris, miſer es propter tot animæ pericula, propter ærumnas & infirmitates, propter damna & multiplices cruces, quas

ſuſtinere debes. In his omnibus eges miſericordiâ, quæ tibi ſubveniat. Moreris, dies mortis eſt dies calamitatis & miſeriæ, in maximis tunc verſaris doloribus & anguſtijs, tunc deſcendet diabolus, habens iram magnam, & ſciens quòd modicum tempus habet, graviſſimis te aggredietur tentationibus, & validiſſimos faciet inſultus, ut anima tua, ſi ſuccubueris illi, in prædam cedat. O in quantis tunc verſaberis periculis, quantis timoris & triſtitiæ jactaberis fluctibus ! ô momentum à quo tota pendet æternitas, quàm terribile homini morienti es futurum ! in morte manet te adhuc Judicium DEI, auditurus es ſententiam vel vitæ vel mortis æternæ. Poſt mortem, ſi mitteris ad pœnas purgatorij, illæ ipſæ pœnæ & cruciatus te manent, in quibus exiſtunt animæ, quæ nunc tuâ ope & miſericordiâ egent. Illæ nunc tuâ, tu brevi aliorum, vel etiam illarum ipſarum animarum ope & auxilio indigebis. In his omnibus miſerijs & calamitatibus vitæ præſentis, mortis, & vitæ alterius, ut miſericordiam experiaris & conſequaris, ſis ipſe miſericors in omnes quidem pauperes ſed maximè in pauperes purgatorij animas.

Sed ſcire voles, à quonam es miſericordiam conſecuturus, in omnibus tuis miſerijs & anguſtijs ? conſequeris inprimis miſericordiam illarum ipſarum animarum, quas tuis ſuffragijs adjuviſti, quas à pœnis purgatorij liberaſti. Illæ animæ ad DEI conſpectum admiſſæ miſerebuntur tui, ſuô patrociniô & interceſſione pro te ad DEUM factâ ſuccurrent tibi, in tuis anguſtijs, inſtabunt obſecrationibus, poſtulabunt gratias uberes, ſingulares, victrices, ad ſuperandas tentationes, quibus infeſtaberis Quodſi in peccatum labi te contigerit, inſtabunt apud DEUM, ut per veram & ſalutarem pœnitentiam conſurgas, nec ampliùs ad peccata redeas. Defendent te in periculis animæ

tuæ

tuæ, ſed neq; in periculis corporis, vitæ, famæ, & fortunæ abſq; ſuo præſidio te relinquent, etiam in temporalibus Divinas tibi expoſcent benedictiones. In morte etiam tua, ô quanta circa te ſanctarum illarum animarum futura eſt cura & ſolicitudo ? ô quæ non agent, ne tentationi ſuccumbas, ut victor evadas & ex hoſte triumphes, ne universum mundum amiſſurus, etiam animæ tuæ detrimentum patiaris, ut morbos & dolores patienter ſuſtineas, ut cæleſtes tunc accipias conſolationes, ut moriaris pretioſâ morte Sanctorum. Poſt mortem etiam eædem animæ te in purgatorio conſtitutum ſolabuntur, ut ad te juvandum animi mortalium excitentur, Divinas expoſcent gratias, ut ſuffragia animabus indeterminatè applicata, vel etiam pro quopiam determinatè oblata, non illi tamen, ſed alijs, ex rationibus DEO cognitis, applicanda, tibi cedant, ipſæ orabunt & ſupplicabunt.

Deinde qui in animas quæ in igne purgatorij expiantur, miſericors fuerit, ille ipſius Chriſti miſericordiam conſequetur. Pro tuis ſuffragijs, pro applicato fructu ſatisfactorio aliquorũ vel quorumvis tuorum bonorum operum, in & ex gratia DEI factorum, Chriſtus tuam remunerando charitatem, applicabit tibi ſatisfactionem & merita mortis ac paſſionis ſuæ. Condonabit tibi culpas tuas, remittet pœnas, tuam cumulabit gloriam, prout fecit S. Gertrudi, cui morienti & in morte ſua anxiæ, quòd poſt translata ſua omnia merita in animas purgatorij, ipſa non haberet, unde pro ſuis peccatis temporaliter ſatisfaceret, Chriſtus apparens declaravit charitatem ejus in animas, ſe tanti æſtimare, ut propter hanc, illi remittat omnes pœnas, quæ ei eſſent ſubeundæ, & gloriam ſuâ liberalitate ſit cumulaturus.

Tandem qui miſericors fuerit in animas pur-

gatorij, DEI ipsius misericordiam consequetur. Misericordia, quam exhibuit animabus purgatorij, ad Divinam pro ipso perorabit misericordiam, perorabunt & ipsæ animæ, multiplicatisq; intercessoribus, DEUS illi suæ propitiationis abundantiam largietur. Misericordem, qui intelligit super egenū & pauperē, in die mala liberabit Dominus, liberabit in die tribulationis, & tentationis, in die mortis, in die sui Judicij, in die & tempore purgationis ipsius. Liberabunt eum animæ, per sua suffragia & patrocinia, Christus per applicationem suæ satisfactionis, DEUS ipse per suam Clementiam, exaudiendo preces animarum, acceptando Christi satisfactionem, illiq; applicando, qui in animas purgatorij misericors extitit, in vita, in morte eundem, suis illi succurrendo gratijs, & ex pœnis purgatorij, ad cælestem gloriam evocando, liberabit.

PUNCTUM III. His consideratis, Reflecte te & cogita 1*mò*. quæ & quanta sit tua erga animas in purgatorio detentas misericordia? an tanta ut propter illam, tu quoq; misericordiæ obtinendæ spem habere possis? Cogita si misericors es, quod in hac vel illa peccandi occasione & gravi tentatione non succubueris, sed ipsam fortiter viceris, an hæc victoria non sit tibi data in præmium tuæ in animas misericordiæ, quod si tentationi succubuisti, vide an non ideo DEUS lapsum tuum permiserit, quod sis in animas immisericors.

Cogita 2*dò*. Mortem tuam jam forte adesse vicinam & proximam. De dispositione ad illam, expediret te maturè cogitare, expediret modos & media providere, per quæ obtineas, ut in illo articulo DEUM in te misericordem experiaris, quatenus tunc de hoste tuo feliciter triumphes. Et quid rogo in hunc finem agis? quæ adhibes media? efficaciùs medium esse non potest, quàm ut ipse misericordiam exhibeas, (*Misericordia*) teste

S. Auguſtino) *Stat ante fores gehenna, & neminem permittit in carcerem mitti.* Hæc in Judicio DEI, Patronam cauſæ tuæ aget. Hæc non permittet ut malà morte moriaris. Siquidem *S.* Hieronymus non meminit ſe legiſſe malâ morte mortuum, qui libenter opera charitatis exercuit. Quod ſi quæcunq; miſericordia tantùm in morte juvat, juvabit maximè illa, quæ animabus defunctorum exhibetur.

Cogita 3*tiò* pro tot tantiſq; tuis peccatis, ſi pœnas inferni evaſeris, ut in Divina confidis miſericordia, luendas tamen tibi eſſe purgatorij pœnas. Difficile tibi perſvadere poteris, in hac vita plenè exſoluturum te omne debitum & ſtatim â morte rectà evolaturum in cælum, attento languore & remiſſione tuæ pœnitentiæ quam agis, fugâ & horrore aſperitatum & mortificationum, neglectu Indulgentiarum, aliorumq; operum ſatisfactoriorum, maximè cùm non quadrantes, ſed talenta, & millia talentorum ſint tibi exſolvenda. Ex his ergo pœnis, quas certò certiùs lues, quis oro te eripiet? quis pro te tantum tuum exſolvet debitum? Confidis fortè amicis tuis, eorumq; in te affectui, ſpem habes in pijs tuis legatis, in teſtamento, & per illud facta fortunæ tuæ diſpoſitione. Confidis fidei & conſcientiæ executorum teſtamenti, quia illi ultimam tuam exequentur voluntatem, ſacrificia pro te fieri curabunt, ſuffragijs varijs, & eleemoſynis animam tuam juvare volent. Cæterùm quod his fidere non debeas, millena quotidiana te docent & præmonent exempla. Alios, de quorum affectu ſecurior eſſe poſſis, quære amicos. Ad cælum quàm plurimos tuâ ope adjutos tranſmitte, qui, cum defeceris in via, recipiant te in æterna tabernacula. Hi te non fallent, procul ab his omnis ingratitudo, procul benefactorum ſuorum oblivio: quando detineberis carcere, in quo exi-

getur à te, ut ſolvas quod debes, amici illi tui, cum illis bene fuerit, facient tecum miſericordiam, Regi ſæculorum & Supremo Cæli & terræ Dominatori, ſuggerent, ut educat te de carcere, ac perſolutâ, Juſtitiæ ſuæ ex Chriſti meritis & ſuffragijs viventium tibi applicatis, ſatisfactione adæquata, ad ſui conſpectum & cæleſtem te admittat Beatitudinem.

Fac propoſita convenientia. Fac item contractum cum illis ſanctis animabus, quòd velis in illas eſſe miſericors, quòd firmum fixumq; habeas, illas juvare & ex flammis, quibus expiantur, liberare per ſacrificia, eleemoſynas, jejunia, mortificationes, Indulgentiarum uſum, & animabus applicationem, per opera charitatis, miſericordiæ, aliarumq; virtutum actus, ac tandem per applicationem fructûs ſatisfactorij, quorumcunq; bonorum operum tuorum, ut illæ viciſſim, & ſuam tibi exhibeant & Divinam impetrent miſericordiam.

Contractui huic, ſi tu ex parte tua ſteteris, illas quoq; ex parte ſua impleturas, pro certò & indubitatò habe.

In Colloquio, Chriſto pro redemptione mundi ſuum ſanguinem fundenti, ſupplica humillimè, ut eodem ſanctiſſimo ſanguine ardores ignis purgatorij reſtinguat, ut ex infinito meritorum ſuorum theſauro pretium adæquatum pro animabus amicorum tuorum vitâ functorum (quos in particulari deſignabis) Juſtitiæ Divinæ, exſolvat, tuumq; cor ad miſericordiam ijſdem pro tuo poſſe exhibendam, flectat & emolliat.

Supplica item Matri miſericordiæ, ut illa quoq; ſuâ interceſſione & patrocinio eaſdem adjuvet, pijſſimam ſuam manum porrigat, maternum monſtret affectum, atq; ad DEI, ſuumq; ac Sanctorum transferat conſortium.

In fine : Anima Chriſti. Ave MARIA

Me-

Meditatio I.
De Pretiosissima DEI Parente.

Præludium 1. Imaginare quod spectes Beatissimam DEI Parentem, continentem sub suo Pallio Ecclesiam Christi militantem, omnesq; ipsius status, sed vel maximè fideles, in sua protectione & patocinio confidentes, atq; ad se devotione & affectu singulariore recurrentes.

Præludium 2. Postula gratiam, ut tenerrimo filiali affectu in sanctissimam hanc Matrem ferri possis, vicissimq; Maternum ejus experiaris affectum, atq; sub pallium & protectionem ejus recipiaris.

PUNCTUM I. Audi illa verba Proverb. 8. *Qui me invenerit, inveniet vitam & hauriet salutem à Domino.* Et considera quemadmodū plura alia, quæ in sacris Scripturis de Sapientia increata dicuntur ab Ecclesia pretiosissimæ Divinæ Parenti applicari & accomodari solent, ita & adducta Sapientis verba optimè de eadem Sanctissima DEI Matre intelligi posse eo sensu, quod qui invenit Mariam inveniat vitam animæ, & hauriat salutem à Domino hoc est salutem æternam consequatur. Circa quam veritatem.

Considera ulteriùs *primo.* Quid sit invenire Mariam? Invenire Mariam non est quid aliud nisi invenire gratiam, affectum, & patrocinium sanctissimæ Virginis Mariæ. si hæc lucreris, præstô tibi est Maria, adest tibi præsens per opem & præsidium suum, opitulatur & succurrit tibi, protegit te & defendit, suo filio te reconciliat, impetrat tibi gratias & beneficia Divina. Invenis & lucraris affectum Mariæ, invenis Mariam, vicissimquè ipsa te invenit, tanquam ovem perditam, in suas

manus te ſuſcipit, illudq; habes, quod non poſſis perire, præ pietate Mariæ. Quàm felix es, ſi invenis Mariam, ſi te invenit Maria.

Conſidera 2*dò*. Quomodo inveniatur Maria! Invenitur Maria à quærentibus illàm, qui quærit invenit. Quærenda verò eſt per recurſum & refugium ad ipſam factum. In periculis, in neceſſitatibus, in rebus dubijs, Mariam invoca, & invenies Mariam. Quære Mariam per filialem erga ipſam affectum & amorem. ſi quæſieris ut Filius, Mariam Matrem invenies. Quære per exhibitam ipſi reverentiam, cultum, honorem & obſequia, ſic quærendo invenies Mariam, in ſuos ſervos beneficentiſſimam & clementiſſimam Dominam. Quære per zelum, ſtudium, & deſiderium promovendi honorem ipſius, invenies Mariam boni tui ſtudioſiſſimam. Quære Mariam per vitam ſanctam & ſanctè actam, conformem imagini Filij DEI, conformem exemplis Chriſti, invenies Mariam, Matrem Filij DEI & tuam, hoc eſt Mariam experieris Matrem. Ipſa enim eſt Mater Filij DEI, ſi proinde tu per gratiam ſanctificantem fueris filius DEI, Maria mater tua erit. Ipſa eſt Mater Chriſti, ſi in Chriſtum transformaberis per imitationem ejuſdem, agnoſcet te pro filio ſuo, amabit ut filium, matremq; tuam ſe eſſe monſtrabit. Quære tandem Mariam per imitationem virtutum ipſius. imitare modeſtiā Mariæ humilitatem, caſtimoniam, puritatem, cæteraſq; virtutes Mariæ, has omnes in te exprimere ſtude, ea ratione invenies Mariam, hoc illicio ipſam attrahes, affectumq; ejus conciliabis tibi.

Punctum II. Conſidera 3*tiò*. Ubinam inveniri poſſit Maria! Ubiq; illa inveniri poteſt. Ubiq; te exaudiet. Sed maximè inquirenda eſt *M*aria in templo, per orationes ante aram, ante imaginem ſanctiſſimæ hujus Virginis, fuſas, ubi illa quæſivit

sivit amabilissimum suum Filium DEUM, ibi tu quære Matrem. Inquire Mariam in Nazareth, ibi invenies gratiâ plenam. Nazareth interpretatur sanctificata, custodita, separata, si Nazaræus & sanctificatus DEO fueris, si gratiam sanctificantem custodieris, si te separaveris & abstraxeris à tumultu curarum terrenarum & sensualium, invenies Mariam. Invenies adhuc Mariam in Bethleem, hoc est in domo panis, si fueris affectus singulariter Sanctissimo Sacramento Eucharistiæ, ubi sub speciebus panis residet Panis verus, qui de cœlo descendit. Inquire Mariam in Cana Galilææ, hoc est, in desponsatione, quâ anima tua desponsetur DEO & gratiæ ejus, in transmutatione aquæ in vinum, per quam efficiaris vinum ori Divino gratum & acceptum. Quære Mariam sub cruce, quære in afflictionibus, in tribulationibus, configendo te cruci Christi & invenies Mariam, ejusq; in his omnibus singulare experieris auxilium & patrocinium.

Considera 4tò. Quâ ratione fiat, ut qui inveniat Mariã, inveniat vitã & hauriat salutẽ à Domino. Modus inveniendi vitã & salutẽ per Mariã ejusq; affectum, certissimus est, & ita secundùm præsentem providentiam necessarius, ut in hac providentia non obtineatur vita & salus absq; Maria. Maria est Mater misericordiæ, & Mater vitæ, ipsa nobis vitam genuit & semper gignit. Ad hanc misericordiæ Matrem recurre, etiamsi DEO mortuus fueris, vives, & vitam per Mariam accipies. Quòd gratiam Baptismi, per quam cæpisti DEO vivere, acceperis, Mariæ debes, quod hanc vitam in Baptismo acceptam, per peccatum deinde amissam, in Sacramento pœnitentiæ receperis, etiam id per Mariam habes, si etiam nunc vivis per gratiam, vitamq; hanc conservas & auges, affectum Mariæ agnosce, per ipsam datur vita mundo, quot

quot in anima vivunt, post DEUM & Christum, vitam hanc Mariæ debent, ipsa enim Mater est viventium.

Punctum III. Considera 5tò. Quid qui Mariam invenit, hoc est qui invenit affectum, patrocinium, & protectionem Mariæ, ille inveniat & hauriat salutem à Domino, quia secundùm præsentem ordinationem Divinam, non est possibile salvari quenquam, absq; Maria, non solùm eo sensu, quia nemo potest salvari sine Christo, sine Salvatore, cujus Mater meruit esse Sanctissima Maria, sed etiam, quia per manus Mariæ DEUS nos habere voluit omnia salutis media, omnes gratias, omnia opera bona & merita nostra, dependenter à quibus salus obtinetur. Ipsa est thesauraria, quæ dispensat nobis thesauros cœlestes, ipsa est mare gratiarum, ex quo gratias accipiendo, haurimus salutem à Domino, in quo feliciter piscamur margaritam pretiosam, nimirum regnum cœlorum & nostram in cœlo beatitudinem. Per hoc, Pater Cœlestis suam Filiam, Filius Unigenitus Patris, suam Matrem, Spiritus Sanctus suam honoravit Sponsam, quod tres hæ Sanctissimæ Personæ, totum nos habere voluerint per MARIAM.

Ex his consideratis conclude vitam animæ tuæ non posse te habere, nec etiam salutem posse consequi, secundùm præsentem ordinationē Divinam sine ope, patrocinio, & affectu Mariæ. Ejus proinde gratiam quærendam & promerendam esse, ut invenias vitam & consequaris salutem. Reflecte te deinde, quid hactenus egeris, ut affectum & amorem Sanctissimæ Mariæ invenires! quæ tua devotio & pietas erga hanc Sanctam Matrem? quis honor? quis cultus à te illi exhibetur? recurrisne ad illam in tuis tentationibus, periculis, afflictionibus, recurrisne ut Filius ad Matrem? quis zelus, quod studium promoven-

movendi cultum, defendendi honorem Mariæ? utrùm per vitam sanctam conformem exemplis DEI, & Mariæ Filij, Domini nostri JESU Christi, per imitationem virtutum Matris hujus Sanctissimæ, ipsi placere ejusq; affectum promereri studeas? an quæris Mariam in templo, in frequenti Sacramentorum & digno usu, ac etiam sub cruce Christi? vide quid te deinceps agere oporteat? fac proposita. Deprecare Matrem Sanctissimam, defle negligentias tuas in cultu ipsius & quascunq; ejus irreverentias?

In Colloquio Postula à Matre Sanctissima, ut illam, quæ invenitur etiam à non quærentibus, tu quærere velis, & quærendo invenias, inventam teneas nec unquam dimittas.

In fine: Ave MARIA.

Meditatio
De Pretiosissima DEI Parente.

Præludia eadem quæ meditationis præcedentis

PUNCTUM I. Audi illa verba Psal. 115. *O Domine ego servus tuus & Filius Ancillæ tuæ.* Eaq; ipsa hoc sensu intellige: illum tantùm servum DEI esse & talem se profiteri posse, qui verè est Filius Mariæ quæ se Ancillam Domini appellat. Connexa hæc & indivisa sunt, esse servū DEI & esse Filium Mariæ. servus DEI esse non potes, si non fueris Filius Mariæ. Circa quod ipsum.

Considera ulteriùs Imò Quid sit esse servum Domini. Servus Domini est, qui sciens voluntatem Domini, eam facit & exequitur, semperq; paratus & prompus est ad omne imperium, & quemcunq; nutum Domini sui. Servus DEI es, si servas præcepta ejus, ab his enim servandis, servus dictus esse

esse existimatur, imò si non solùm præcepta & imperia, sed etiam quosvis nutus, hoc est consilia & inspirationes ad bonum te excitantes, exequeris.

Præterea servus Domini est, qui omnes suas actiones, omnia obsequia ac vitam ipsam Domino debet. Quidquid agit, non in suum vel cujuspiam alterius, sed in Domini sui commodum agit. Totus est Domini, ejus subjacet dispositioni, & ab hac dependet in omnibus. Et tu servus DEI es, si omnes motus, actus, & respiria tua, DEO consecras, in DEI commodum, hoc est in laudem & gloriam ejus refers. Si Divinæ voluntati & dispositioni, te tuaq, omnia, & vitam ipsam tuam cum omni indifferentia, & animi præparatione, ad id quod DEO placet, relinquis.

Servus adhuc Domini est qui Domino adhæret, Dominum suum amat, honorat, reveretur, Dominum sequitur, honorem ejus zelat, pro Domino se opponit, nullumq; vult alium Dominum agnoscère. Etiam tu servus DEI es, si DEO adhæres, si per peccatum ab eo non recedis unquam, si Dominum tuum JESUM, à quo redemptus es, sequeris, imitaris, ejus vestibus & insignibus induceris, nec te à DEO, à Christo, & ejus servitio, abstrahi permittis, si non es servus peccati, si excutis servitutem mundi, carnis & diaboli, siquidem qui his servit, servus DEI esse non potest.

PUNCTUM II. Considera 2*dò*. Quid est esse Filium Ancillæ Domini? Filius debet ducere originem à suo Patre & Matre, debet ab illis accipere suum esse, substantiam & vitam suam, eaq; omnia, quæ spectant ad perfectionem ejus esse. Debet præterea habere similitudinem cum Patre & Matre, debetq; esse imago suorum Parentum. Ut sis Filius Ancillæ Domini, ab ea te originem ducere oportet, ab ipsa debes habere tuum esse, tuam substantiam, tuam vitam & quidquid te perficit

ficit in tuo esse, imò quidquid boni habes, ab illa & per illam habere debes. Et hæc quidem à Materno Ancillæ Domini affectu habes, pluraq; ex his uberiùs & fructuosiùs habere potes, si in his ad Mariam reccurras. Portat te illa in suis visceribus, affectu complectitur, suaq; intercessione vitam animæ, & omnia bona tua obtinet, & tibi confert. Spiritus Sanctus ita supervenit in Mariam, ut non solùm ipso cooperante, ex purissimo suo sanguine, tanquam vera Mater carnem Filio DEI ministraverit, sed etiam ut tanquam Ancilla Domini, ministret tibi omne quidem tuum esse, sed vel maximè vitam animæ, & esse tuum supernaturale, quô Filius DEI es, ut ita sis Filius DEI per adoptionem, ut simul etiam sis Filius Ancillæ Domini.

Cæterùm ad rationem perfectam Filij Mariæ restat adhuc, & ex parte tua necessarium est, ut cum ipsa hac Matre habeas similitudinem, ut sis imago ipsius. Vide quæ in Ancilla Domini relucent dotes, virtutes, & perfectiones, atq; lineamenta, hæc enim in te inveniri debent, ut sis filius Ancillæ. Illa tota pulchra est, & macula non est in ea, & tu enitere ad eam conscientiæ puritatem, ut nullam in ipsa patiaris etiam levem maculam. Illa terribilis est ut castrorum acies ordinata, & te oportet esse terribilem inferno, hostibusq; DEI, & animæ tuæ. Illa contrivit caput serpentis antiqui, contere & tu caput serpentis infernalis, hoc est primitias suggestionum, & tentationum ipsius; illa DEI hominis seu Christi Mater extitit, efficiaris & tu Mater Christi, faciendo voluntatem Patris æterni. Has aliasq; innumeras virtutes & perfectiones Mariæ in te exprimere stude, ut sis imago & similitudo, adeoq; filius Ancillæ Domini, sed maximè imitare humilitatem Virginis. Multa sunt quæ in hac Sanctissima Matre conspiciuntur, quæ tu non vales imitari. Humili-

militatem tamen illius, potes & debes imitari. Illa cum esset futura DEI Mater, Regina mundi, Domina universorum non dubitavit se humiliter Ancillā profiteri. Tu pariter quantò major es, quò plura & majora dona de manibus Divinis accepisti, tantò magis te humilia, vilemq; te & inutilem servum existima. Tali expressione humilitatis Sanctissimæ DEI Parentis, eris vera imago & filius Ancillæ Domini.

Filium Ancillæ Domini prodit adhuc & manifestat amor, & affectus mutuus, sive Matris erga filium, sive filij erga Matrem. Amat te Ancilla Domini, non erubescit, non dedignatur, quamvis degenerē, fœdum, deformem, fuisq; moribus dissimilem filium, ita te amat, ut velit te facere DEO amabilem, gratum, suoq; Filio Christo & sibi quam maximè conformem. Ama & tu Ancillam Domini, non erubesce humilitatem, ancillaris servitutis ejus, siquidem illa tali humilitate placuit. Ancilla Domini est, ut non deterrearis Majestate ipsius, ut accedas fiducialiter, ut cum ipse sis naturâ servus, recurras tanquam filius ad Ancillam Domini.

Punctum III. Considera 3*tiò*. An & quomodo hæc se inferant, esse Filium Ancillæ Domini, & esse servum Domini? omnino ista se inferunt etiam in humanis: ex Ancilla Matre, non nascitur filius, nisi servus. Ancilla Mater in servitutem generat filios. Sed & Ancilla Domini generat in servitutem ejusdem Domini. Generat te, & statim ex utero format servum DEI, instruit & instituit, te ut DEO quàm perfectissimè servias. Impetrat gratias, quibus à DEO excitaris, ur servias illi omnibus diebus vitæ tuæ, ut servias in sanctitate & Justitia, ut præcepta ejus serves, consilia impleas, ut totum te DEO consecres, ut ad laudem ipsius omnes actiones tuas referas, majoremq; ipsius gloriam in omnibus quœras, ut DEUM re-

verea-

verearis, eiquè serviendo tandem salvus fias.

Voluit aliquando & petijt à Christo Mater Filiorum Zebedei, ut in Regno Christi sederent filij ejus, unus à dextris, alter à sinistris. Ancilla Domini pro filijs suis rogat, ut recipiantur in servos perpetuos, ut sint servi Domini, illiq; quàm perfectissimè famulentur. Quarè Sanctissima ipsa DEI Parens, vult hæc indivisa & conjuncta esse, ut filij Ancillæ sint simul servi Domini, sed & tu, & quicunq; alius, si vis esse filius Ancillæ Domini, age, ut sis servus DEI, age ut sis filius Ancillæ.

Existimabat S. Paulus Apostolus se servum DEI non esse, si hominibus placeret, tu ut sis servus DEI, placere debes Ancillæ Domini tanquam filius, & si placere volueris Ancillæ Domini, ejusq; esse filius, servum DEI te esse oportet.

Quemadmodùm verò hæc se inferunt esse servum DEI, & esse filium Ancillæ Domini, ita rursus non esse servi DEI infertur ex non esse filij Ancillæ Domini. Spectamus frequenter infelices mutationes & ruinas multorum, ut, qui DEO serviunt & servire tenentur, sint instabiles, ut ex servis DEI fiant mancipia peccati & diaboli. Si veras hujus causas investigare velimus, cur hìc & ille DEUM abjecerit, jugum servitutis ejus excusserit, mundo, carni, diabolo se mancipaverit, hanc plerumq; causam inveniemus, quia in eo refrixit filialis affectus erga Beatissimam Mariam, quia refrixit devotio erga Ancillam Domini, studiū imitandi virtutes Mariæ, & promovendi honorem ejusdem. Hic & ille desiit esse filius Ancillæ Domini, proinde desiit quoq; servus esse DEI.

His consideratis, vide quo affectu ferri te oporteat erga Matrem DEI Sanctissimam, quanto studio curare debeas, ut sis filius Ancillæ Domini, si vis, ut teneris, velle servus DEI esse; siquidem servus DEI non es, si non es filius Ancillæ Domini.

Fac reflexiones convenientes, propoſita, elice affectus. Proteſtare quod velis eſſe filius imò ſervus Ancillæ Domini, ut ſis ſervus DEI; dicens: ut ſim ſervus Filij, ſervitutem appeto Genitricis.

In colloquio Poſtula à Matre Sanctiſſima, ut te in filium recipiat, atq; in DEI ſervitio & obſequio conſtantem & perſeverantem teneat.

In fine: Ave Maris ſtella.

Meditatio III.
De Pretioſiſſima DEI Parente.

Præludia eadem quæ duarum meditationum præcedentium.

PUNCTUM I. Audi illa verba Joan. 19. *Dicit Matri ſuæ: Mulier ecce Filius tuus, deinde diſcipulo: Ecce Mater tua. & ex illa hora accepit illam diſcipulus in ſua.* Et cogita ex cruce à Chriſto datum te eſſe in filium Matri Beatiſſimæ, Mater etiam Beatiſſima data tibi eſt in Matrem. Si tu fueris filius, Filiumq; te monſtraveris Sanctiſſimæ DEI Parentis, ipſa viciſſim erit Mater tua, & Matrem ſe eſſe monſtrabit: priùs tu nomineris filius hujus Matris, tum deinde illa nominabitur Mater tua, ut intelligas, curare & agere te debere, ut Maternum Mariæ merearis affectum, opus eſſe, ut filium te eſſe oſtendas, ſi vis experiri Mariæ patrocinium, ut illa tuam ſe eſſe monſtret Matrem. Additur ulteriùs, Et ex illa hora accepit illam diſcipulus in ſua. Circa quæ verba expende diligentiùs, quid ſit Sanctiſſimam DEI Parentem accipere in ſua.

Et inprimis accipere Sanctiſſimam Mariam in ſua, non eſt quid aliud, quàm Mariam habere pro re maximè ſua, ſibi ſingulariter appropriata. Rerum noſtrarum majorem curam habere conſve-

consvevimus majorem, circa illas adhibemus vigilantiam, ut res nostra illæsa & integra maneat, ne nobis pereat, ut illam conservemus. Res nostræ singulariter nobis charæ & amabiles sunt, sunt in majore respectu & æstimatione. Qui Sanctissimam DEI Parentem accipit in sua, debet illi singulariùs affici, illā amare, illam æstimare debet esse, solicitus tanquam de re omnino sua, tanquam de Matre sibi charissima, de Matre Pretiosissima, ne sua Mater aliquando esse desinat.

2dò. Accipere Sanctissimam Mariam in sua, non est unum aliquod particulare bonum in Maria accepisse, sed est accepisse plura bona, bona multiplicia. In Maria accipies Matrem, accipis Reginam, Dominam, Advocatam, Patronam, Protectricem tuam. Cum Maria accipis innumera quæ habiturus aliquando es bona, idq; bona maximè propria, ex quibus plura emolumenta, imò felicitatem tuam percipies, ut dicere possis: *Omnia mihi pariter bona venerunt cum ipsa.*

Punctum II. *3tio.* Accipere Mariam in sua, est Mariam accipere in omne id, quidquid est homo, est accipere Mariam in id totum, quidquid homo maximè suum & proprium habet, adeoquè est illam accipere pro objecto & termino, inter objecta purè creata specialiter licèt non permodùm ultimi finis, quietativo omnis sui appetitûs, omnium potentiarum & facultatum suarum. Est accipere illam pro objecto expletivo, & satiativo imprimis omnium corporis sensuum, ut visus & oculus tuus singulariter oblectetur Mariæ in sacris suis imaginibus, aspectu, has libenter cum magno animi sensu & cordialissimo affectu intueatur, ut non oblectetur visus tuus nisi ijs quæ oblectare poterant visum Mariæ, qualia sunt Christus infans in præsepio, in materno suo gremio, disputans in templo, subditus Joseph & Mariæ; Christus prædicans E-

vangelium,. Christus patiens, cruci affixus, gloriosus in sua resurrectione, cœlum ascendens &c. Ut visus in nullum tendat objectum, nullum conspiciat, quod displiceret Mariæ, quod Maria nollet à te videri.

Accipere item Mariam in sua, est accipere Mariam pro objecto auditûs, hoc est: appetere, ut in auribus tuis quā frequentissimè sonet Dulcissimū nomen Mariæ; ut cum singulari gustu & animi tui quietatione audias laudes Mariæ; ut audire velis, quæ audiens Maria conservabat in corde suo; ut obsurdescas ad omnia, quæ DEO & Mariæ adversantur.

Accipere Mariam in sua, est appetere, ut Maria sit objectum gustus tui; cujus illa erit objectum, quando cum Bernardo; hinc à Christi latere & vulnere, inde pasceris ab ubere Mariæ. Sapiet tibi sacra Eucharistia, purissima Christi caro de Virgine accepta; sapiet gustui tuo Maria. Illa sint tua obsonia, quæ fuerunt obsonia Mariæ, nimirum jejunium, inedia, fames sitis, summa in cibo & potu moderatio, condimenta tua sint lacrymæ, amaritudines, aliaquè quæ fuerunt condimenta ciborum Mariæ.

Accipere Mariam in sua, est præterea accipere Mariam pro objecto odoratûs. Maria est lilium inter spinas, est sicut acervus tritici vallatus lilijs. Labia ejus, distillant lilia. Ubera ejus Sanctissima frangrantia unguentis optimis. Maria est sicut cinamomum & balsamum aromatisans, est quasi myrrha electa, dans svavitatem odoris. Hoc svavissimo odore replearis, ipseq; efficiaris bonus odor Christi. Hac svavitate pasce odoratum tuum nec alia ei oblectamenta quære.

Tandem accipere Mariam in sua, est Mariam accipere pro objecto sensûs tactûs. Ut sit illa tale objectum, maternis ejus advolvere pedibus

tene

tene illam, nec dimitte. Per corporis tui mortificationem induere Christum Filium Mariæ, in Christum te transforma, id obtinere stude, ut Mariæ palliô contegaris, sensum hunc tuum custodi, ne illum oblectet quod abhorret Maria.

4tò. Accipere Mariam in sua, est accipere illam in objectum trium animæ potentiarum: memoriæ, intellectûs, & voluntatis. Illa sit objectum memoriæ tuæ, sæpè huic obversetur. Habere studes memoriam DEI præsentis, ponis ante oculos mentis tuæ Christum Redemptorem & Salvatorem tuum, pone ante eosdem oculos & Mariam. Illam tibi memoria repræsentet tanquam Matrem, tanquam Dominam, Patronam, Auxiliatricem, & Refugium tuum.

Accipe item Mariam in objectum intellectûs tui; intellectûs tuus circa illam occupetur, de illa libenter cogitet, Mariæ excellentiam, privilegia, virtutes, gratias, & beneficia sæpè meditetur, circa cultum & honorem ipsius speculetur, qua ratione honor, & cultus Mariæ promoveri, affectus conciliari, Patrocinium obtineri possit.

Accipe deniq; Mariam in objectum voluntatis, hæc post DEUM & Christum sit præcipuum voluntatis tuæ objectum, in quod singulariter feratur, & quô contentetur affectus tuus, ut nihil velis quod sit dissonum Mariæ, quod diminuat amorem, honorem Mariæ, quod non promoveat honorem & cultum Mariæ, quod non augeat eundem, quod non referatur ad Mariam.

PUNCTUM III. *5tò.* Accipere Mariam in sua, est accipere Mariam pro objecto actuum, quorum homo potissimum censetur habere Dominium, per quos illud exercet, & per quos, res & objecta censetur possidere. Tales actus sunt præcipui affectus, quibus voluntas prosequitur bonum. horum enim homo habet Dominium ratione libertatis ipsorum,

per illos exercet Dominium, resquè possidere censetur. Actus hujusmodi sunt: amor, ut post DEUM & Christum nihil ames ante & supra Mariam, nihil majore affectu quàm Mariam, nihil æquè atq; Mariam; sed Mariam ames post DEUM & Christum supra omnia alia creata. Nullius puræ creaturæ tantùm exsatieris amore, atq; amore Mariæ. Tales item actus sunt: actus appretiationis, venerationis, honoris, cultûs, & laudis Mariæ, fiduciæ & spei in ejus patrocinio, zeli promovendi honorem Mariæ, studij in adinventione modi & mediorum, per quæ Mariam colas, venereris, ejus honorem & devotionem erga ipsam promoveas, desiderij, quô desideres frui in cœlis conspectu Mariæ. Hos affectus frequentissimos & usitatissimos habe, & possidebis Mariam, illamq; in tua accipies.

6tò. Accipere Mariam in sua, est illam accipere in possessionem perpetuam, ut semper sit tua, ut nunquam illam amittas, nunquam eam tibi eripi patiaris, ut Mariam in tua accipias, ita illam accipe, ut nunquam te deserat, ut tua sit in vita, tua sit in morte, tua sit in æterna felicitate, ut sit tibi Mater in vita, Mater in morte æternæ felicitati te generans, dum vivis in corpore, sit tibi Mater pulchræ dilectionis, & sanctæ spei, in felicitate sit tibi Mater plenæ & perfectæ dilectionis, & gaudij satiativi.

7mò. Tandem accipere Mariam in sua, est ita accipere Mariam, ut in te, in corde tuo, in affectu tuo, sua omnia inveniat Maria, ut nihil in te sit, quod non sit totum Mariæ, quod non sit ejus honori dicatum & consecratum, quod non sit dignum Mariâ, quod ei offerri non possit, aut non offeratur, ut nihil neges Mariæ, ut nihil sit terrenum, quod non contemnas amore Mariæ, nihil quantumvis durum & asperum, quod amore Ma-

riæ

riæ non libenter suscipias, & offeras Mariæ, ac etiam ipsi DEO, per manus Mariæ.

His consideratis reflecte te supra singula. Reflecte te an sis verus filius Matris hujus Sanctissimæ, utrùm? & qua ratione illam acceperis in tua & sua, An illam acceperis in rem tibi præ omnibus purè creatis maximè gràtam & amabilem, in Matrem, Reginam, Dominam, Patronam, & Advocatam tuam. In refugium tuum, in mediatricem inter te & suum Filium? In consolatricem in tuis crucibus & afflictionibus? An acceperis illam ita in sua, ut in illa, plurima imò omnia bona tua invenias, ut per ipsam habeas & habere velis omnia, an acceperis Mariam in objectum singulariter satiativum sensuum tuorum, in objectum potentiarum animæ tuæ, memoriæ, intellectùs & voluntatis? An ipsa, sit objectum præcipuorum cordis tui affectuum, amoris, appretiationis, laudis, honoris, spei, fiduciæ, & similium? An Mariam totis cordis tui medullis & totis præcordiorum affectibus ames, laudes, venereris? Estne Maria objectum, quod post DEUM & Christum te maximè oblectare, & exsatiare potest & solet? Tandem vide, an Maria in te sua omnia reperiat, an non sint in te ea, quæ ipsi displiceant, quæ aversetur, quæ non ipsi sunt consecrata?

Confundere, si non ita accipis & habes Mariam. Noveris non esse te Christi discipulum, non esse Joannem, non diligeris à Christo ùt Joannes, si Mariam non recipis in tua, si Maria non invenit in te omnia sua. Fac proposita particularia, quæ plurima ex his considerationibus erui possunt; elice varios affectus.

Colloquium ad Pretiosissimam DEI Parentē. Mater Sanctissima, ecce ego licèt indignissimus filius tuus, filius tamen, quia tibi in filium sub cruce Domini commendatus, filius doloris, ad te sup-

plex recurro, atq; coram Sanctissima Trinitate, & coram te, ac cœlesti curia universa profiteor, quòd te in Matrem, Dominam, Patronam, & Advocatam meam accipiam, pro taliq; deinceps agnoscere & habere velim, quòd te in mea accipiam, in te & per te omnia habere velim, tu abhinc eris objectum gratissimum omnium sensuum meorum, omniumq; potentiarum animæ meæ, tu post DEUM & Christum eris meta desideriorum, affectuumq; meorum. A te vicissim humillimè postulo, ut tu quoq; me in tua accipias, inter filios tuos, inter servos & mancipia tua connumeres, & me sub tuam protectionem suscipias, ut totus sim tuus, ut nihil sit in me, quod non sit tuum, quod non tibi ex integro offeratur, tuoq; honori & amori consecretur.

In fine: sub tuum præsidium.

Meditatio præliminaris Ad faciendam electionem.

Præludium I. Imaginare Paulum Apostolum, dum persequeretur Ecclesiam, luce cœlesti, quæ illum circumfulsit, & voce illa Christi: *Saule Saule quid me persequeris*, ex equo dejectum & prostratum atq;orantem. *Domine quid me vis facere.*

Præludium 2. Postula gratiam, quâ & tu illustratus cognoscas, & intelligas in electionibus & deliberationibus tuis quibusvis, sed maximè in electione statûs vitæ tuæ, qualiter te gerere debeas, & quid te facere oporteat.

PUNCTUM I. Audi illa verba Matth. 16. *Quid prodest homini si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentū patiatur, aut quā dabit homo commutationē pro anima sua.* Et considera, his

scripturæ

ſcripturæ verbis duo inſinuari, quæ præ oculis mentis haberi debent in omnibus hominis deliberationibus & electionibus, ſed vel maximè in electione ſtatûs vitæ.

1*mum.* Quòd in his omnibus præ oculis habendus ſit, & irretortâ palpebrâ ſemper inſpiciendus finis hominis, ad quem creatus eſt, qui eſt laus & gloria DEI, ac ſalus animæ, hic finis debet eſſe regula & norma, quâ omnes electiones & deliberationes regulari debent, ita, ut illa nonniſi, & illius medij ac ſtatûs vitæ electio, futura ſit recta electio, quæ huic regulæ optimè congruit, nec ab illa, ulla ratione, deflectit; quod non aliter obtinetur, niſi per attentam finis inſpectionem & conſiderationem.

2*dum.* Quod ijſdem verbis inſinuatum eſt: Illa nonniſi media, & res ſub electionem noſtram cadere & venire debere, quæ ad finem creationis noſtræ conferre, & ad illum conſequendum juvare poſſunt; quæ verò fini huic repugnant, ſalutiq; noſtræ adverſantur, illas nullatenus in deliberationem vocandas eſſe.

Et ſic mundus, ejuſq; lucrum nullatenus electionis tuæ finis eſſe poteſt & debet. Quarè in tuìs deliberationibus, ad id, tanquam finem, tibi attendendum eſt, ut ſalutem animæ conſequaris, ne animæ detrimentum patiaris; non verò ad hoc, ut mundum lucreris. Hoc fine præ oculis habito, illa media eliges, quæ tali fini optimè congruunt, hoc eſt, per quæ ſalutem es conſecuturus, nec paſſurus animæ detrimentum.

Sed nec mundus ejuſq; lucrum, medium eſſe poteſt, quod per electionem tuam intendas & eligas, ſi probabiliter prævideas, mundum ejuſq; lucrum non fore tibi medium conſequendæ ſalutis; ſed potiùs impedimentum ejuſdem, hoc eſt, non aliter te lucraturum mundum, niſi patiendo animæ detrimentum.

Poteſt quidem quis in ſtatu ſæculari ſalvari, & hunc ſtatum poteſt eligere, ſi Divino lumine illuſtratus viderit hunc ſtatum ſibi conducibiliorem eſſe ad ſalutem, præ quovis alio ſtatu perfectiore. cæterùm ſtatum ſæcularem, prout hic conducit ad ſalutem eligere, non eſt mundum lucrari. etiam in hoc ſtatu, ut quis ſalutem conſequatur, & mundum & animam ſuam in hoc mundo, hoc eſt, prout immerſam, rebus ad mundum ſpectantibus, odiſſe debet, ut illam in vitam æternam cuſtodiat, debet mundum abijcere, contemnere, illi renunciare, affectum ejus exuere, illoq; ita uti, tanquam ſi non uteretur.

Mundus, quem lucrando, animæ detrimentum patimur, eſt mundus ille, qui DEO & Chriſto adverſatur, qui eſt unus ex tribus DEI & animæ hoſtibus. Eſt mundus à Chriſto reprehenſus, judicatus, & condemnatus. Eſt mundus, quatenus illi inordinato affectu & contra legem Divinam afficiuntur homines; talis mundi lucrum, ad conſequendum finem hominis, medium eſſe non poteſt, potiùs enim eſt impedimentum finis, adeòq; eligi non poteſt niſi damnoſiſſimè.

Mundum, per enumerationem ſuarum partium, ſic deſcribit S. Joannes Epiſt. 1 cap. 2. *Omne quod in mundo eſt, concupiſcentia carnis eſt, Concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* Hæc quatenus ſunt prohibita, quærere, vel quærere cum inordinato & immoderato affectu, vel quidpiam tale, quod aliquid ex his tribus redolet, eſt velle lucrari mundum cum detrimento animæ. Verùm quid prodeſt ita lucrari mundum, ut animam perdas? quid prodeſt ita conſequi voluptates, divitias, honores, ſi animæ detrimentum patiaris. Nihil certè prodeſt talis voluptatum, divitiarum, honorum conſecutio, nihil (inquam) prodeſt ad finem hominis, imò quàm maximè obeſt. Impedimenta

hæc

hæc ſunt non media conſequendæ ſalutis, adeòq; ſub electionem vocari non debent.

Non infrequens, ſtulta tamen cogitatio eſt, hominem poſſe frui mundô, & his quæ ad mundum ſpectant, ſimulq; ſalvari. Frui mundô, mundum lucrari per immoderatum & prohibitum uſum voluptatum, divitiarum, per nimium honorum ambitum, eſt deflectere à via ſalutis. Divitem fieri, & divitijs cor apponere dum affluunt, eſt gibbum Cameli aſſumere, aut camelum induere, & in eum transformari; eſt mammonæ ſervire. Quomodò ergo fieri poteſt, ut deflectendo à viâ, quæ ducit ad vitam, ſalutem, & vitam æternã conſequaris, & ad felicem æternitatis terminum pervenias? Quomodo fiet, ut camelum indutus, per foramen acûs tranſeas, & per portam anguſtam cælum ingrediaris, ut ſimul Deo & mammonæ ſervias? Nunquid colligunt de ſpinis uvas, aut de tribulis ficus? ſpinæ & tribuli ſunt divitiæ, voluptates, honores nimiô, & ſolicitô ſtudiô, & contra legem Divinam quæſita, quando per hæc; vel cũ his ſperas te ſalutem conſecuturum; expectas à ſpinis uvas præſtantiſſimas, ex tribulis vis colligere ficus; verùm arbor mala non facit bonos fructus.

Sectaris nimio & inordinato affectu terrena, tranſitorias, ac etiam prohibitas voluptates, varietates &c, hoc ipſo talia accipis in commutationem pro anima tua, pro ſalute tua, reipſa & ipſo facto propter illa renuntias ſaluti tuæ. O quàm miſera & quàm deflenda hæc commutatio? Et hæc quidem tu accipis in commutationem pro anima tua, ſed quam dabis Deo commutationem pro eadem anima. Tua quâ vivis anima non tua eſt, ſed res totaliter Deo debita, Divini ſanguinis pretiô emptã; hanc cùm perdideris, Deo eam de manibus tuis repetenti & requirenti, quam dabis commutationem pro anima tua? Vile illud pretium, pro

quo illam vendidisti & commutâsti, exosum Deo & abominabile est. Pro argento & auro malè acquisito appendis animam; verùm, ut monet Ecclesiasticus, non est hæc digna ponderatio animæ. Non corruptibilibus aurô & argentô redemptus es, non potest his æstimari incorruptibilis & immortalis tua anima.

Non igitur bene & rectè mundus in maligno positus, & à Christo judicatus atq; condemnatus, quæritur ab eo, qui salutem animæ consequi intendit, nec vult animæ suæ detrimentū pati, impedimenta finis, media ad finē esse non possunt nec possūt eligi nisi cū detrimento finis, cū detrimento animæ.

Quod quidem certum est non solùm de illis rebus, quæ universaliter & respectivè ad omnes sunt media repugnantia fini, aut potiùs impedimenmenta finis, sed etiam de illis, quæ comparatè ad certam aliquam & determinatam personam, & respectu ejusdem, sunt media repugnantia fini, atq; impedimenta ejusdem, idq; ratione aliquarum interveniemtium circumstantiarum, licèt respectu aliorum, qui talibus circumstantijs obnoxij non sunt, possint & soleant esse media apta ad consequendum finem, quod tales res ab eo eligi non possint, respectu cujus sunt impedimenta finis. Et sic v. g. status sacerdotalis, beneficium Ecclesiasticum, respectu plurimorum possunt & solent esse media apta ad consequendam salutem, si tamen experientia infirmitatis & fragilitatis tuæ, atq; conscientia frequentiorum lapsuum te admonet, non futura hæc media opportuna tuæ salutis, sed potiùs quòd hæc futura sint laqueus, quo infeliciter illaqueaberis, media hæc non sunt tibi assumenda; quia hæc respectu tui, non media, sed impedimenta sunt tuæ salutis, aliudq; proinde opportunius medium est tibi quærendum.

Ex his consideratis, hæc erue practica dicta-

mina, illaq; pro in inconcusso & firmissimo fundamento, cui omnes tuæ electiones inniti & infundari debent, tene. 1*mò* Finem creationis tuæ, hoc est salutem animæ, in omnibus electionibus, præ oculis te debere habere. 2*do*. ad hunc finem consequendum, illa non nisi media sub tuam electionem debere te vocare, quæ fini creationis tuæ non repugnant, sive ex seipsis & ex natura sua, sive expensis & attentis omnibus & singulis circumstantijs, tuam personam particularem concernentibus, quæ, si aliqua ratione, fini repugnant, protinus reijcienda sunt. Ad has deinde regulas & normam examina, sive quascunq; electiones tuas, sive idq; quàm maximè, electionem statûs vitæ, si fortè hoc negotium eligendi statûs aggressus, vel aggressurus es; hisq; regulis, nisi aberare velis, electionem tuam conformare stude.

Punctum II. Audi illa verba Ecclesiastici 3. *Cor ingrediens duas vias non habebit successum.* Eaq; intellige hoc sensu, quòd cor per electionem alicujus rei sive medij, duos oppositos fines intendens, non possit habere bonum successum, ut scilicet utrumq; illum finem consequatur. Exempli gratiâ, si in quapiam electione, præcipuè verò in electione statûs vitæ, intendas & finem gloriæ Divinæ, ac salutis animæ tuæ, & finem aliquem vanum, mundanum, qualis finis esset consecutio honorum, dignitatum, carnis commodorum, oblectationum sensualium, divitiarum, proventuum pinguium, & his similium. Talis electio non habebit successum, nec bene succedet in consecutione alterius finis.

Poteris quidem unum finem consequi, sed ab altero, nihilo certiùs excides, hoc est salutem animæ non consequeris. Æternæ veritatis oraculum est. *Non potestis DEO servire & Mammonæ. Nemo potest duobus Dominis servire.* Viæ hæ, ad diversos, eosq; oppositos ducunt terminos; ad quem termi-

terminum ducit una, ab eodem abducit altera; una ducit ad ſalutem, altera ad interitum. Qui tales proinde vias ingreditur, non bono progredietur, ſucceſſu, ad alterum terminum, idq; ad terminum meliorem, hoc eſt ad ſalutem non perveniet. Si vis ſucceſſum bonum & optatum habere, unam tene viam, tene viam ſalutis, obliquas devita, ſolâq; rectâ viâ incede.

In omnibus quidem deliberationibus, ſed maximè in ijs, in quibus deliberatur de eligendo vitæ ſtatu, id ſingulariori ſtudio curandum eſt, ut unicè DEUM, gloriam ipſius, & ſalutem animæ tuæ intendas, ut oculus tuus ſimplex ſit, quò ſolum DEUM reſpicias, ut intentio tua ſit depurata ab omni vano, carnali, & mundano affectu. Non bene hæc ſecum componuntur & conjunguntur: terra & Cælum, vanitas & gloria Divina, amor ſui, & amor DEI, Dagon & Ara Domini. De ara cordis eijciendus eſt Dagon, præcidendæ manus, præcidendi pedes, præcidendum caput & truncus abijciendus; ſola arca Domini, hoc eſt gloria DEI, & ſalus animæ, in corde & in intentione tua locum habere debent. Reſeca proinde omnes affectus mundanos, carnales, & vanos, Dagon hic eijciatur, nimirum amor proprius, & inordinatus. Eijce non ſolū trabem, ſed etiam feſtucā de oculo tuo, DEUMq; ſolum ſimplici oculo, mundo corde intuere. Non enim miſceri poterunt æterna caducis, ſpiritualia temporalibus, ut pariter ſapias quæ ſurſum ſunt, & quæ ſuper terram. Si cor tuum duas vias ingreſſum fuerit, ſcandalizabitur in eis, ut monet idem Eccleſiaſticus, & infeliciter aberrabit.

Ex his conſideratis erue hoc dictamen, quòd in omnibus tuis electionibus etiam hoc pro univerſaliſſima & fundamentali regulâ habere debeas: Quam maximam curam tibi habendam eſſe, ne duas

duas vias ingrediaris, ne duos diversos fines nec sibi subordinatos respicias, ne simul DEUM quæras & te ipsum, ut oculus tuus sit simplex, ut intentio sit pura, ut hanc tanquam, pupillam custodias, nec minimū pulvisculum terrenæ affectionis patiaris, persvasus omnino tantùm te in spiritualibus studijs profecturum, quantum ab amore tui ipsius, & commodi proprij, ac rerum terrenarum affectione animum abstraxeris.

Reflecte te supra puritatem intentionis tuæ. In electione status tui, unamne ingrederis viam an duplicem ? quid te moveat ad sanctiorem vitæ statum, ad statum v.g. Ecclesiasticum eligendum? si fortè ad hanc electionis partem magis te inclinari sentis? An unicè propter JEUM venias, ad JESUM, an certè, ut etiam Lazarum videas? DEUMne solum quæris, an te ipsum? salutemne animæ tuæ, an certè bona aliqua temporalia, an non spes aliquas venaris? omnino cura, ut solum DEUM, ejus gloriam, & animæ tuæ salutem quæras, unam hanc viam cor tuum ingrediatur, nec ab hac unquam deflectat. protestare, quòd DEUM solum in omnibus spectare velis. *Quid mihi est in cœlo? & à te quid volui super terram, DEUS cordis mei & pars mea DEUS in æternum.*

Punctum III. Audi illa verba Lucæ 12. *Quærite primùm Regnum DEI, & Justitiam ejus, & hæc omnia adijcientur vobis.* Et ex illis disce: inter actus voluntatis, quos homo habet circa finem & media, quis ordo servari debeat, quem non sit fas pervertere, adeòq; qualiter electiones nostræ fieri & ordinari debeant? Finis primus esse debet in intentione, hic primò intendi, expeti, & quæri debet, tum deinde cognita conducibilitate & aptitudine mediorum ad finem intentum consequendum, eligenda sunt media conducentia ad eundem finem, non è contra. Præposterè proinde

inde agit, qui primò eligit quodpiam medium, & postquam se determinavit ad tale medium, tum deinde quærit modum & rationem, quâ per tale medium finem consequi possit. Talis electio in re est constitutio medij pro fine, & finis assumptio pro medio, vel certè est finis assũptio pro re, quæ occasione alterius principaliter intenti, obtineri etiam & acquiri posse existimatur.

Cùm ergò finis hominis sit Regnum DEI, salus animæ; hæc primò quæri debent, tum deinde quærenda media ad hunc finẽ, quærenda Justitia & vita Justitiæ, per quam in Regnum DEI pervenias. Pervertis ordinem, si non habita ratione finis tui, eligis primùm statum determinatum, v.g. statum conjugalem, matrimonialem, aut etiam statum spiritualem, & Ecclesiasticum, ac tum deinde cogitas & inquiris, qua ratione hic status poterit te juvare ad finem tuum, hoc est ad animæ salutem consequendam, nec aliâ viâ, nisi hâc ad salutem pervenire contendis. Similis es infirmo, qui priùs eligit medicinam, ignarus, an hæc suo morbo sanando sit idonea, tum deinde vult & intendit, ut hæc ipsum sanet; & viatori, qui viam priùs eligit, tum deinde nolendo illam dimittere, inquirit, qua ratione per talem viam possit pervenire ad terminum sibi constitutum; es miles, qui plumbeum ensem petit, ac illô vult hosti suo caput præcidere. Turrim ædificas, non computato sumptu si habeas ad perficiendum; aggrederis hostem, ignorans, an habeas vires ad resistendum, eumq; debellandũ.

Ut securè procedas, fine tuo præ oculis constituto, gloriâ nimirum DEI, & animæ tuæ salute, non aliter media elige, nisi præmisso examine, quæ media ad finem illum conducunt, & quæ ad consecutionem ejusdem te juvare possunt; collatisq; & comparatis secum invicem medijs, illud elige, quod conducibilius apparebit, & per quod

securiùs

ſecuriùs obtinetur finis. Ita fiet, ut in electione non aberres, ut quæras primùm Regnum DEI, tum deinde Juſtitiam ejus, per quam Regnum DEI obtinetur, ut intentionem finis non præcedat electio medij, nec pervertatur ordo, qui ſervari debet; tandem ut rectà in DEUM tendas non obliquè, nec eum perverſè ad vota tua trahas.

Exiſtimamus frequenter quærere nos Juſtitiam DEI, & quærimus mundum, quærimus carnem, quærimus vanitatem, quærimus corporalia atq; ſenſualia commoda & emolumenta. Juſtitiam quærimus ſed non veram, at nonniſi apparentem, & quam DEUS aliquando rigidè judicabit. Exiſtimamus, quod electione illa, quâ ex nimio & præcipiti affectu ſtatum quempiam eligimus, non facto prævio examine, an hunc ſtatum eligendo, Regnum DEI & ſalutem animæ conſequemur? non facta diſquiſitione, quid nos impellat ad talem electionem? an non ratio aliqua humana, vana, carnalis, mundana, politica, ſaltem ocultè ſe inſinuans? exiſtimamus inquam, quòd ingrediamur viam ſalutis, & ecce frequenter illam tenemus, quæ nos ab hoc termino abducit, & in perditionem præcipitat. Temporalia quærimus, & non Regnum DEI, quæ ſimpliciter quæri non debent, & non quæſita licèt, adijcienda nobis, quantum ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria erunt, appromittuntur. aut certè moderatè, ſine effuſione nimia ad exteriora, ſine adhæſione affectûs ad ipſa, in tantùm nonniſi quæri debent, in quantum conferunt, & juvant ad majorem Divinam gloriam & animæ ſalutem conſequendam.

His conſideratis, hoc dictamen practicum, tanquàm certiſſimam & infallibilem bonæ electionis regulam, & firmum fundamentum, ſupra quod ædificare debes, præter priores regulas tene: nullum te medium priùs eligere debere, antequam

finem intendas & præcognoſcas; media autem, præcognito fine, non aliter eligenda, niſi bene ponderatâ & examinatâ ipſorum conducibilitate ad finem.

Reſtecte te deinde ſupra electiones tuas, ſive jam factas, quæ adhuc mutari poſſunt & corrigi; eaſq; ad hanc regulam, non minùs atq; ad regulas duorum præcedentium punctorum examina, an omnibus his regulis benè cohæreant, & ut cohæreant, curam & diligentiam adhibe; ſive ſupra electiones faciendas etiam rerum mutabilium, ut etiam in his, ijſdem regulis, & principijs dirigaris, ut ab illis, ne ad latum unguem diſcedas; ita enim fiet ut tuæ electiones tales ſint futuræ, propter quas ipſe in numerum electorum connumereris. Fac propoſita. Elice affectus.

Colloquium inſtituendum ad Sapientiam Incarnatam Chriſtum Dominum, cui humillimè ſupplica, ut, qui tui gratiâ factus eſt via, veritas, & vita, ducat te & dirigat in viam ſalutis, inſtruat te & imbuat principjis altiſſimis indubitatæ veritatis, & infallibilibus, quibus te in tuis electionibus regulare poſſis, & quæ ſequendo non aberres; in eoq; ſtatu vitæ te conſtituat, ut ipſi & in ipſo vivas, imò ipſe in te vivat, atq; ut, poſt mortalem vitam, vivas DEO, & ipſo fruaris in beata æternitate. *In fine: Anima Chriſti.*

Meditatio Proponens primum modum faciendæ bonæ electionis.

Præludium 1. Imaginare te in ea circumſtantia poſitum eſſe, in qua proficiſcenti ad aliquem

quem terminum, plures viæ vel ſemitæ occurrunt, te interim ignorante, per quam, ad terminum præfixum, bene & ſecurè pervenire poſſis.

Præludium 2. Poſtula à Deo gratiam, quâ illuminatus, illam viam ſalutis, & illum ulterioris vitæ ſtatum eligas, quem tenendo, à termino ſalutis & felicitatis æternæ non aberres.

Punctum 1. Audi illa verba S. Petri Apoſtoli, aliorumq; qui electuri in locum Judæ proditoris, duodecimum Apoſtolum, ſic Deum orâſſe referuntur. Act. 1. *Tu Domine, qui nôſti corda omnium, oſtende quem elegeris.* Et breviter mente recole hiſtoriam electionis, quâ S. Mathias, à congregatis Apoſtolis, alijſq; Chriſti diſcipulis, electus & ſubſtitutus eſt in locum Judæ proditoris, annumeratuſq; eſt undecim Apoſtolis. In qua hiſtoria, hoc potiſſimum conſidera, quòd illa Electio non fuerit inchoata, vel ſaltem non fuerit perfecta & abſoluta, abſq; oratione & invocatione Divini luminis. Orantes dixerunt. *Tu Domine, qui nôſti corda omnium, oſtende quem elegeris.* Ex cujus actûs & orationis conſideratione, illud in tuum deriva commodum, eumq; percipe fructum.

1*mò* In omnibus quidem electionibus, ſed maximè in electione rerum majoris momenti, rerum immutabilium, qualis eſt electio ſtatûs vitæ, quem ad mortem uſq; tenere debes, non debere te temerè procedere, non eſſe hanc electionem faciendam ſecundùm humanam quamcunq; inclinationem, nec ſecundùm rationes temporales & politicas. Exiſtimandum potiùs eſt, hujusmodi electionem, rem eſſe graviſſimi momenti, maximè ſanctam, opus Divinum, adeòq; conſulto Deo per orationem, imò ſæpiùs exorato, invocato etiam Beatiſſimæ & Sanctorum patrocinio, aggrediendũ eſſe tantæ deliberationis negotium. Electio ſtatûs vitæ, eſt inveſtigatio viæ, quâ tibi ad ſalutem

perveniendum eſt, quam ſi teneas, ſecurus eſſe poſſis, te non aberraturũ. In qua deprehendenda, cùm tu facilè decipi poſſis, ſiquidem ut monet Sapiens. *Eſt via quæ videtur homini recta, noviſſima verò illius ducunt ad mortem.* Quærendus eſt Dux, talis viæ gnarus, qui tibi hujusmodi viam oſtendat, quæ te ad optatum perducat terminum. Talem autem ducem meliorem habere non potes, quàm ipſum DEUM. Ille eſt qui nec falli nec fallere poteſt, ipſe novit corda hominum, hoc eſt, perſpicaciſſimo intellectus ſui lumine cognoſcit, antequam ſint, omnes tuos actus, idq; non solùm actus liberos, qui abſolutè ſunt futuri, ſed etiam condicionatè futuros, taliq; cognitione & ſcientiâ directus, præparavit ab æterno, varia gratiæ ſuæ auxilia, fecit varias ſeries & coordinationes gratiarum, idq; non ſemper efficacium, ſed permiſtas aliquas gratijs purè ſufficientibus; aliquam ſeriem conjunctam cum pœnitentia finali, cum finali perſeverantia in gratia; alias ſeries non conjunctas tali perſeverantiæ aut pœnitentiæ. Haſq; ſeries, diverſis ſtatibus, reſpectivè ad tuam perſonam alligavit, ita nimirum ut ſi hunc ſtatum elegeris, habiturus ſis in eo talem ſeriem gratiarum, quæ terminabitur gratia finali & felici morte; ſi fortè alium ſtatum elegeris, non habiturus es ſimilem gratiarum ſeriem, ſed potiùs illam, quæ carebit finali perſeverantiâ in gratia, quæ terminabitur ſtatu peccati mortalis, impœnitentiâ finali, infelici morte, & æterna animæ damnatione. Orandus proinde DEUS eſt, & ardentiſſimis votis ac ſuſpirijs, etiam longiori tempore continuatis & repetitis poſtulandum lumen à Patre luminum, ut qui novit corda hominum, qui cor tuum intuetur, qui tibi auxilia gratiæ præparavit, variaſq; ſeries gratiarum coordinavit, diverſiſq; vitæ ſtatibus diverſas alligavit, ut eum tibi ſtatum vitæ oſtendat, in eam te viam dirigat, quâ incedendo

dendo, securè ad terminum æternæ felicitatis pervenias, tuæq; animæ salutem consequaris.

2dò. Hoc in tuum commodum derivare potest. Negotium electionis statûs vitæ tuæ ingressurus, quid à DEO postulare debeas? non satis est si postules, ut DEUS electionem tuam, cùm eam perfeceris, & apud te fixum, determinatum, & constitutum habueris, in hoc vel illo statu vitam ducere, & DEO immolari, ut, inquam, talem electionem approbet, ratam & acceptam habeat, in eaq; te roboret & confirmet, ac tuis votis annuat, sed etiam, antequam quidquam eligas & statuas, orare & postulare debes, cum omni indifferentia & animi præparatione, ad id volendum & eligendum, quod Divinæ voluntati placitum fuerit, ut DEUS ostendat suãq; manifestet voluntatẽ, quẽ statũ vitæ ipse pro te elegerit, & in quo te salvare decreverit.

Præposterè & minùs prudenter, ac etiam damnosè & periculosè agit, qui post factam à se proprio arbitratu electionem, cum fixa & determinata voluntate & adhæsione ad rem electam, tum primùm recurrit ad DEUM, ut ipsum ad vota sua trahat, ab eo exigens, ut electioni suæ se accõmodet, & suæ voluntatis ductum sequatur. Non vult quidem DEUS ut Ipse, in hoc electionis negotio, operetur solus, ut solus ille eligat statum nostrum, ut ad hunc, quem ipse elegerit, nos compellat & necessitet, sed vult eundem statum etiam à nobis eligi, quia vult ut nobis nostram libertatem servet integram & illæsam, ut cum majori nostro merito hac in parte procedamus. Vult nihilominus simul, ut Divina ejus electio præcedat nostram, nostræ electiones conformentur Divinæ, ab eaq; dependeant, ut voluntas creata sequatur ductum voluntatis Increatæ, non ut nos DEUM trahamus in vota & sententias nostras. Talem si indifferentiam habueris, poteris securè & cum fiducia orare:

Domine qui nôsti corda omnium, nôsti etiam me ad omnem nutum tuum paratissimum esse, nihil statuere, nisi quod te, de me constituisse. didicero, ostende igitur quem pro me elegeris statum,quam viam designaveris, quâ ad te pervenire debeam.

Huic tamen indifferentiæ, ne minimum adversatur fixa voluntas, spectans & unicé intendens gloriam DEI, tuæq; animæ salutem; imò tali voluntate regulandæ sunt quæcunq; electiones nostræ, & in fundamento talis fixæ & determinatæ voluntatis, quæ quoad hoc est conformis voluntati Divinæ, ~~orandus est~~ DEUS, ut per interna Lumina, & per ratiocinationes à te faciendas, tibi manifestare velit, in quo vitæ statu te gloriam DEI, & animæ tuæ salutem quærere oporteat.

Protestare hanc indifferentiam, & actum resignationis in Divinam voluntatem elice, lumenq; cœleste & intellectûs tui illustrationem implora, ut cognoscere possis Divinam circa te voluntatem, atq; ut sanam, & Divinæ electioni conformem electionem statûs ulterioris vitæ tuæ facias. DEUS meus, & Creator meus, supreme rerum omnium Dominator, summa felicitas & omne bonum meum, compareo indignus ante conspectum Divinæ Majestatis tuæ; & cùm sim vilissima creatura tua, ad te laudandum, tibiq; serviendum, te aliquando fruendum creata, voluntatem meam à te acceptam, tibiq; omnibus titulis debitam, tibi integerrimè subijcio, ac tuæ sanctissimæ voluntati, tanquam supremæ & infallibili regulæ, conformare desidero, & hoc unicè amplecti volo, quod tuæ voluntati placitum fuerit, sed vel maximè in electione statûs vitæ meæ, ductum voluntatis tuæ sequi, fixum, determinatum, & omnino constitutum habeo. Tu Domine nôsti corda omnium, meum quoq; cor intueris, tu nôsti quid gloriæ tuæ expediat, quid futurum est cum salute ani-

mæ meæ. Tu ab æterno conſiderâſti omnes vias & ſemitas meas cognoviſti, quâ via ad te ſim perventurus, quibus infeliciter aberraturus. Statue igitur de me, quidquid tibi placet, cui placere non poteſt, niſi gloria tua & ſalus mea. Ex plenitudine ſcientiæ tuæ, elige ſtatum, in quo tibi ſerviam, qui gloriæ tuæ promovendæ maximè idoneus viſus fuerit, in quo me ſalutem conſequi volueris; quem tu elegeris, is mihi acceptiſſimus erit. Renuntio proinde omnibus inclinationibus & affectionibus meis, omnibus reſpectibus vanis, ſenſualibus, & humanis, qui me aliò fortè abducere volent. Offero me ad omnes cruces, afflictiones, egeſtatem, & maximas quaſcunq; ærumnas. ſi viam crucis, quâ ad te perveniam, mihi præparâſti, paratum me ad omnia invenies, paratum cor meum DEUS, paratum cor meum. Illud à te humillimè poſtulo, ut hanc voluntatem tuam, notam mihi facias. Oſtende Domine, quem ſtatum vitæ pro me elegeris. Tua ſancta illuſtratione dirige me in viam ſalutis, quâ ad te pervenire poſſim. Quod cùm oſtenderis, doce me facere voluntatem tuam, doce me exequi quæ inſpiraveris, doce me, viâ quam monſtraveris, progredi de virtute in virtutem. Effice ut tibi ſerviam, juxta beneplacitum tuum, & ut tuam in omnibus quærendo gloriam, eam, ad quam me creâſti, conſequar animæ meæ ſalutem.

PUNUTUM II. Recole memoriâ alia, quæ præterea in electione S. Mathiæ in Apoſtolum intervenerunt. Nimirum 1*mò* Quomodo S. Petrus Apoſtolorum Princeps, congregato ſancto illi cœtui reliquorum Apoſtolorum & diſcipulorum Chriſti, propoſuerit finem faciendæ electionis, qui per eam ſpectari debuit, illis verbis: *Oportet ex his viris, qui nobiscum ſunt omni tempore, quo intravit & exivit inter nos Dominus JESUS, teſtem reſur-*

rectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis. 2*do.* statuerunt sancti Apostoli duos ex congregatis discipulis, Joseph qui cognominatus est justus & Mathiam, ut ex his unus eligeretur. 3*tiò* post orationem ad DEUM factam, dederunt sortes, & *Cecidit sors super Mathiam.* Hæc recolens, considera etiam in electione status vitæ tuæ, quàm faciendam aggrederis, ista proportionatè & accōmodatè à te observanda esse. Ac imprimis, ut in meditatione præcedenti aliàs consideràsti, & cujus meminisse maximè debes, hoc electionis negotium aggredientem, oportet te habere præ oculis finem, quem per electionem intendere debes. Finis autem hic non debet esse alius, nisi laus & gloria DEI, ejusq; obsequium & salus animæ tuæ. Ista unicè quærere, & spectare debes, nulla ratione alios fines respicere, non tua commoda sensualia, non carnem & sanguinem, non vanitates, non te ipsum, ita, ut illum statum vitæ eligas, in quo DEUM laudare, idq; perfectiùs laudare, ejus majorē & majorē gloriā quærere, & tuæ animæ salutē certiús & securiùs consequi possis.

2*dò.* sub hanc electionem non posse venire nisi illos vitæ stauts, qui fuerint vel esse censebuntur media apta ad consequendum præfixum finem. sicut Sancti Apostoli, illos viros statuerunt, qui cum illis erant omni tempore, quo exivit inter illos Dominus JESUS, adeòq; qui possent esse testes resurrectionis ejus, quales nonnisi existimabant futuros idoneos ad munus Apostolatûs. Pariter & tu illos status vitæ assumas, pro objecto tuæ electionis, quos existimas fore media idonea, ad finem creationis tuæ consequendum. Illos verò status ab hac electione & deliberatione reijce, de quibus rationabiliter persvasus es, quòd te non juvabunt ad finē tuum, aut etiā in eo consequendo impedient.

3*tiò.* sicut Sancti Apostoli, præmissis his quæ dicta sunt, præmissâ etiam oratione, quâ orârunt, ut

ut DEUS ostenderet, quem elegerit, in his non steterunt ultimò, sed progressi sunt ulteriùs ad explorandam DEI voluntatem, per sortes quas miserunt, ita & tibi non sistendum esse in sola oratione & desiderio sciendi, in quo te DEUS vitæ statu esse velit; sed per alios etiam modos & media, explorandam esse DEI voluntatem. Incurius es circa salutem tuam, si contentus desiderio serviendi DEO, & oratione ad DEUM, ut te DEUS vocet ad suum servitium, nihil ultra agis.

4tò. Licèt Apostoli in electione Sancti Mathiæ usi sint sortibus, per quas explorabant Divinam voluntatem & electionem; tamen id factum ab illis fuit ex speciali & extraordinario instinctu, exemplo à nobis non practicando, nec imitando, sed loco sortium, utendum est intellectûs ratiocinio, inquirendas nimirum esse varias rationes inclinantes in hanc vel illam electionis partem, pro hoc vel illo statu eligendo aut reijciendo, rationumq; talium inter se collatione & comparatione, explorandam Divinam voluntatem. Pro quo enim statu, ex Divina Illustratione, habebuntur rationes fortiores & validiores, magìsq; nostram voluntatem impellentes, quæ nimirùm svadebunt, quòd talis statûs electione, remotior sis futurus à quærendis terrenis & sensualibus commodis, vanitatibus, & quæ aliquomodo proprium amorem redolent, quòd sis futurus remotior à proximis peccandi occasionibus, periculosisq; conversationibus, & quòd plures diaboli laqueos sis evitaturus; uæ item svadebunt, in tali statu magìs à te promovendam esse gloriam DEI; animæq; tuæ salutem certiorem & securiorem reddi: existimandum est talibus rationibus, tanquam sortibus ostendi tibi, quòd hunc statum DEUS pro te elegerit, adeòq; ipsum etiam à te eligi debere, nec tali electione te aberraturum esse. Hæc ut in deliberatione de

ſtatu tuo obſerves, & ut tuis medijs Divinam voluntatem explores ſtude, & cave, ne ab his in aliquo recedas.

Punctum III. Audi illa verba Eccleſ. 15. *Ab initio DEUS conſtituit hominem, & reliquit eum in manu conſilij ſui.* Quibus verbis ſignificatur DEUM ita hominem creâſſe, ut voluerit eum eſſe liberum, volueritq; eum ſuas electiones, ad quas liber eſt, facere ex prævia deliberatione, conſilio, & conſultatione, hoc eſt, cognitis in utramq; partem rationibus, ijſq; bene ponderatis, & ſecum invicem ſufficienter collatis, quodſi in omnibus ita procedendum eſt, maximè hic modus tenendus eſt in electionibus rerum immutabilium, à quibus non eſt fas recedere, qualis electio, ut aliàs dictum, eſt electio ſtatûs vitæ. Hoc modo tanquàm medio maximè opportuno, & ad præfixum finem plurimùm conferente, etiam tu utere, illumq; nunc reipſa exequere.

Statue *imprimis* ob oculos mentis, duos Diverſos ſtatus, maximè & quaſi genericè à ſe differentes, quales ſunt: ſtatus matrimonialis & ſtatus Spiritualis ac Ecclſiaſticus. Et inquire rationes moventes & allicientes, ſive ad hunc, ſive ad illum ſtatum eligendum: vide, quomodo uterq; hic ſtatus juvare te poſſit ad finem tuum conſequendum, gloriam ſcilicet DEI & ſalutem animæ tuæ? quæ in uno quoq; hoc ſtatu, poſſint eſſe media & adminicula ad eundem finem? quæ, è contra, in alterutro ſint diſcrimina & pericula excidendi à fine ultimo? an & qui modi, quàm efficaces, declinandi talia pericula? confer deinde invicem omnes has rationes, & vide quæ magìs præponderent, in quo ſtatu magìs eſt per te promovenda gloria DEI? in quo es ſecurior ſalutis æternæ, per quem magìs aſſimilaris Duci tuo Chriſto in quo propiùs eum comitaris, ejus veſtibus & inſignibus induceris

eris, &c. Collatis ita rationibus, advertes facilè quô tua magis à Divino ſpiritu impelletur voluntas? quid tibi ſit eligendum? quodſi ſenties impelli te interiùs ad eligendum v.g. ſtatum ſpiritualem Eccleſiaſticum & ſacerdotalem.

Progredere 2*dò*. ad deliberandum & conſultandum an ſæcularem ſacerdotem an religioſum potiùs te fieri expediat? etiam in hac deliberatione, utere ſimili ut ante ratiocinio, hoc eſt rationes ſive ad illum ſtatum impellentes, ab hoc item vel illo ſtatu retrahentes inquire, bene expende, & ſecum invicem confer. Vide nimirum utriuſq; ſtatûs commoda, non illa, quæ carnem ſapiunt, ab his enim quærendis procul eſſe debes, ſed commoda Spiritualia, & adminicula ad tuum finem conſequendum expende. Expende item in utroq; ſtatû varia ſalutis tuæ diſcrimina & pericula, & illa ad invicem inter ſe compara. Attende, in quô ſtatu ſit major commoditas obſequij Divini, & gloriæ DEI promovendæ, ſalutis item propriæ, imò & ſalutis proximorum conſequendæ, ubi frequentiores, & fortè magis periculoſæ ac etiam proximiores occaſiones peccandi, aliaq; his ſimilia. Quibus debitè expenſis, invocato cœleſti lumine tecum diſpice, quis ſtatus tibi (tibi inquam nam & ſupra teipſum nimirum ſupra inclinationes, infirmitates animæ tuæ, alia hujuſmodi habenda eſt reflexio) ex duobus his ſtatibus congruat? in quô certior & ſecurior eſt tua ſalus, & ad quem te interiùs impelli ſentias? ſi ſenſeris te impelli ad eligendum ſtatum religioſum.

Aſſume 3*tiò*. Sacros diverſos religioſos ordines & repetito pluries ſimili ratiocinio, ibis per varias eorundem ordinum differentias ſpecificas, priùs perſubalternas, tum deinde per differentias inferiores, donec tandem ad duos particulares ordines ſpecie quaſi infima differentes perveneris, & ex his unum certum elegeris. Et ſic deliberabis

primò an religio tibi ſit eligenda, quæ ſolitudinem & vitam ſolitariam atq; contemplativam profitetur, an certè ea religio quæ occupatur non ſolùm circa propriam, ſed etiam circa proximorum ſalutem curandam, & profitetur vitam miſtam ex activa & contemplativa. Procedes deinde ad ſpecies alterutrius hujus religioſæ vitæ ſublaternas. Si v. g. ſenties te inclinari, ex rationibus æternis bene expenſis, ad eligendam religionem quæ profitetur vitam miſtam, deliberabis an eligenda tibi ſit aliqua Religio Clericorum Regularium, an certè Religio alia v. g. Fratrum mendicantium. Ulteriùs progredieris ad inferiores ſpecies, tandem ad ſpecies infimâ differentiâ à ſe differentes.

Has deliberationes facturus & repetiturus ratiocinio, illud quidem pro certo habe, quòd omnes ſacri religioſi ordines ab Eccleſia approbati, ex ſpeciali Divina inſpiratione ſint inſtituti, quòd mortales, ad conſequendum finem ſuum, juvare poſſint non tamen omnes eodem modo. Ad illud adverte diligenter, quòd non omnes tibi æqualiter congruant; nam imprimis non omnes æqualiter fortè conducunt tuæ complexioni, tuis viribus talentis &c. Non omnes etiam religioſi ordines eodem modo & ratione tendunt ad perfectionem, DEUMq; laudare ac illi placere ſtudent; unuſquiſq; ipſorum propoſuit ſibi ſpecialiùs aliud & aliud conſilium Chriſti adimplendum, aliam & aliam ipſius virtutem ſtudioſiùs imitandam. Quidam ſacri ordines toti ſunt in imitanda perfectiſſima Chriſti paupertate, alij in humilitate & ſui abnegatione, alij in imitanda ejuſdem obedientia, alij volunt excellere in charitate, quâ Chriſtus dilexit mundum, ut mundus ſalvetur per ipſum, ex quâ, venit vocare peccatores, hominumq; ſalutem operari. Ad hæc, non in omnibus ſacris ordinibus, totidem & æquè efficacia ſunt media, & adminicula

cula ad perfectionem consequendam. Non omnes etiam eodem studio & æquali conatu tendunt ad perfectionem, non in omnibus æqualiter viget disciplina, & religiosi instituti observatio, non ubiq; est par Superiorum vigilantia, conveniens irrepentium defectuum correctio, & in delinquentes animadversio.

Ad has & quascunq: alias particulares Religionum diversarum differentias, proprietates, consvetudines te reflecte, & ratiocinare, quid gloriæ Divinæ, quid saluti tuæ magìs conveniat, seposito omni carnis affectu, & sensualium commodorum appetitu. Et si invocato Lumine, cælesti, & rationibus spiritualibus supernaturalibus, ijsq; præponderantibus, senseris te inclinari ad unum aliquem determinatum sacrum ordinem, electionem conclude, & factâ reverentissima gratiarum actione pro tali illuminatione & tanto DEI beneficio, opem Divinam implora, ad exequendum quod statuisti, quodsi te plenè determinare necdum poteris, re ulteriori deliberationi relictâ, conclude resignatione tui in DEI voluntatem, & postulatione ulterioris luminis, prout habes in primò puncto præsentis meditationis.

Meditatio Proponens secundum modum faciendæ electionis.

Præludia eadem quæ præcedentis meditationis.

PUNCTUM I. Audi illa verba Isaiæ 19. *Ubi sunt Sapientes tui? annuntient & indicent tibi, quid cogitaverit Dominus?* Et considera, siquidem modo per præcedentem meditationem proposito; & per ratiocinium tunc institutum circa varios vitæ

status,

ſtatus, non es à DEO illuminatus, & permotus efficaciter ad eligendum unum ex ipſis; alium adhuc modum adhibendum, & aliâ viâ in hoc negotio procedendum eſſe. poterit is felicior eſſe, poteritq; DEUS gratiam, quam dare diſtulit, ſi conſtantes fuerimus in ea quærenda, miſericordiſſimè elargiri. Modum hunc inſinuatum habes in adductis Iſaiæ verbis. Nimirum petes aſſequi quod intendis, conſulendo Sapientes, qui tibi indicent & annuntient quid cogitaverit Dominus. Quarè ultra conſilium proprium & domeſticum, quod habes & habere poteras, rationes varias pro utraq; electionis parte ſtudioſè adinveniendo, benè expendendo, illas invicem cônferendo, & obſervando quæ & quantum præponderent. Conſule etiam & adhibe alios conſiliarios, qui & Sapientes ſint, & ſint tui amici, tibiq; benè velint, adeoq; qui & poſſint & velint tibi conſulere. Tales conſiliarij ſunt: Chriſtus Dominus, Beatiſſima Mater ejus, S. Angelus Cuſtos, tuiq; Sancti Patroni, alij etiam homines, in hac vita mortali degentes, mors ipſa, Judicium Divinum, tandem vita altera, quâ poſt mortem corporis victuri ſumus.

Et *imprimis* ipſe Chriſtus, qui eſt Sapientia æterna, qui eſt amicus tuus benevolentiſſimus, quô nemo tibi poteſt meliùs velle, ſit tibi in hoc negotio conſiliarius. Ipſum crucifixum arctè complexus, inter oſcula Sanctiſſimorum pedum, reverentiſſimè conſule, quem ſtatum vitæ eligere & tenere debeas, ſicut illum conſuluit Paulus Apoſtolus. *Domine quid me vis facere?* Et exiſtima Chriſtum tibi conſulere ſtatum illum, qui erit maximè conformis ipſius evangelicis conſilijs, in quo perfectiùs poteris imitari ejus exempla, in quo illum tanquam regem & ducem tuum propiùs comitaberis, in quo indueris ejus veſtibus & inſignibus, quales veſtes ſunt pauperies, contemptus; ignomi-

nia,

nia, & insipientiæ titulus. In quo illi pauperi, spreto & illuso, magìs assimilaberis; dicet ille tibi consilium à se exquirenti : *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Illam etiam hîc repetet adhortationem, quam habes in meditatione de regno Christi. Hoc consilio ac responso accepto à Christo, vide & bene expende: Ex duplici illo vitæ statu, circa quos in ratiocinio, per præcedentem meditationem instituto, stetisti, nec ad unum te determinare poteras, cui statui expressæ in hoc Christi consilio conditiones & proprietates, perfectiùs & magìs propriè conveniunt, atq; illum elige.

2*dò*. Sanctissima virgo Sapientiæ incarnatæ Mater, S. Angelus Custos tuus, Sancti tui Patroni, illi maximè, quorum opem & patrocinium jam aliàs expertus es, ad quos majorem præ alijs devotionem habuisti & habes, saluberrimum consilium tibi dare poterunt, si ad ipsos, sive per interna suspiria, & invocationem ipsorum opis, ac patrocinij, sive per longiores devotiones in hunc finem institutas, recurras, vel etiam mente revolvas & tantisper recogites. Si præsentem & aspectabilem haberem Beatissimam Virginem, S. Angelum Custodem, SS. Patronos illos & illos, quibus singulariùs affectus sum, ipsosq; de statû vitæ meæ consulerem, quid illi mihi consulerent, quem vitæ statum eligendum svaderent? atq; si in mentem tibi venerit quòd hi sancti consiliarij, hunc potiùs statùm quàm illum eligendum svaderent, acquiesce tali consilio, & illud tibi sequendum esse existima.

3*tiò*. Ex hominibus viventibus potes habere consiliarios, si adhibeas viros prudentes, spirituales, non interessatos, & qui per consilium, quod tibi daturi sunt, nihil aliud quærant, nisi laudem & gloriam DEI, atq; animæ tuæ salutem. Imaginare tibi quempiam talem ex ipsis, & tecum perpende.

Si

Si hujusmodi viro prudenti & sancto exponerem, me in tali esse deliberatione, nec posse me resolvere ad unum potiùs statum eligendum, ipsiusquè consilium expeterem, quid ille mihi consuleret? huncne potiùs an illum vitæ statum svaderet? Consilium quod ab ipso te accepturum sperares, existima tale esse, quod si sequaris, & juxta illud tuam electionem facias, te non esse aberraturum. Nisi etiam quid specialiter obsit, optimum & consultissimum est, ut defacto, sub obligatione secreti, rem totam confessario tuo, vel alicui viro prudenti & timorato communices, ut omnes rationes, sive allicientes & attrahentes, sive retrahentes ab hoc vel illo vitæ statu, aperias, ejusq; petas consilium. Consilio & responso tali, quod dabitur (maximè si postquam non unum sed duos aut tres hujusmodi viros exquisieris, & consilium eorum conforme fuerit) tali inquam consilio, securè stare et acquiescere poteris, & juxta illud, tuam electionem perficere. Tu etiam ipse tibi consiliarius hac ratione esse poteris. Cogita, si amicus tuus bonus, cui velles quàm optimè, consilium tuum peteret circa materiam præsentis deliberationis, optaretq; à te consilium non qualecunq; sed saluberrimum accipere; quod illi responderes & svaderes, hoc responsum exequendum tibi esse existima, neq; enim in re tanti momenti, potes aut debes alteri meliùs velle, quàm tibi ipsi.

4tò. Mors ipsa potest esse consiliarius, qui tibi annuntiet & indicet, quid de te statuerit & cogiataverit Dominus. Hujus consiliarij sententia te non fallet, O mors quàm rectum est judicium tuum! Porro mortem tali ratione consule: cogita, si nunc tibi moriendum esset, & adhuc posses meritoriè eligere unum statum ex his, de quibus deliberas, quemnam potiùs tunc eligeres? in morte etiam interrogatus, in quonam statu, si id tunc in optio-

optione tua esset, mori exoptares? in quo te statu vixisse & mortem oppetere gauderes? ad hanc interrogationē quid responderes? illa responsio sit tibi regula, juxta quā convenit electionē tuā te facere.

5tò Assume adhuc in consiliarium tuum, illud judicium, quod, constitutus ante Dei judicis tribunal, formaturus es, vel certè, quod habiturus es in alteram vitam translatus, & in æternitate felici vel infelici positus. Quod tunc erit judicium tuum, idem nunc sit in præsenti deliberatione. Judicaturus forsitan es, quòd consultissimè fecisses, si hunc potiùs elegisses statum, quàm illum, quòd de tali electione facta in vita, minor tibi reddenda esset ratio; quòd tali electione consecutus fuisses salutem æternam, à qua fortassis (avertat id Devs optimus) excidisse te, serò nunquam satis dolebis. Ex tali judicio tunc habendo, inferes, quid in præsenti, facto opus sit, quem statū eligere debeas?

Ex his consiliarijs cùm cognoveris Divinam circa te voluntatem, non est cur ultra fluctues in hanc & illam partem; vide an non durum tibi sit, contra tot stimulos calcitrare? Time illam comminationem Christi: servus qui cognovit voluntatem Domini sui, & non fecit secundùm volumtatem ejus, vapulabit multis. Resolve te ad suscipiendum illud vitæ institutum, ad quod per tales illustrationes & inspirationes Divinas vocaris. Quod cùm feceris, Deo humillimè age gratias pro tanto beneficio, quod inter maxima, quæ in vita tua optare vel sperare potes, numerari debet, & postula gratiam, ut qui dedit velle, det & perficere, quòd si aliquid adhuc te retardat, quominùs electionem perficias; ut negotio huic finem imponere possis, progredere ad

Punctum II. & audi verba illa Joan. 3. *spiritus, ubi vult, spirat, & vocem ejus audis.* Et considera post adhibitum etiam secundum electionis

modum, puncto præcedenti propositum, ut vocem Domini non audias, difficilè id persuaderi posse. Timendum potiùs est, ne, dum Spiritus Sanctus ad cor tuum loquitur, ad vocem ejus obsurdescas; vocem quidem audias, sed non percipias, nec intelligere velis, quæ sunt tibi ad salutem. Talis obsurdescentiæ, duæ causæ, ex adductis S. Joannis verbis colligi possunt.

1ma Quod spiritus Sanctus, per suam inspirationem & vocationem, quâ te vocat, spirat ubi vult, hoc est, ea tibi inspirat, quæ ipsi placent; suo afflatu & äffatu, ad eum te vitæ statum inclinat, quem ipse ex altissimo suo consilio elegit, non quo tu vocari velles. Fortassis spiritus S. taliter spirat: ut Christum sequaris pauperem, illusum, contemptū, ut eum eligas statum, eam religionem, quæ per institutum suum, his Domini sui vestibus, & insignibus præoptat vestiri. Tu verò ab his abhorres, non placent hæc appetitui sensitivo, tuæ hæc repugnant vanitati. Fortè vocat te spiritus S. ad eum statum, in quo te mundo mori omnino oportebit, in quo mortificationem Christi, continuò in corpore tuo circumfere necesse erit, in quo sædulò curandum est, ut & tu mundo, & tibi mundus, cum suis concupiscentijs sit crucifixus, per quàm abstraharis quàm maximè, à mundo à periculosis conversationibus, pluribusq; peccandi occasionibus, in quo cum hoste animæ decertandum, bellumq; ipsi inferendum est, in quo corpori nulla quies concedenda erit, nulla commoda sensualia quæri debent, in quo præclusus est honoribus aditus, in quo, diligenti cura & studio, in tuam perfectionem, & in proximorum salutem incumbendum est. Deniq; vocat te spiritus Sanctus, ut exeas de terra tua, de cognatione tua, de domo patris tui, aliamq; terram tibi monstrat, in quam te vult venire. Ab his è contra retrahit te fortissimè amor proprius, spes

vana

vana cre∫cenedi honores, Prælaturas a∫∫equendi, nominis celebritatē & famam comparandi; retrahit te appetitus commodorum ∫en∫ualium, divitiarum, libertaris, ∫oli nativi amor. Omnia hæc magís placent, adeoq; vocans ∫piritus S. & ∫vadens his omnibus contraria, ∫pirat ubi vult, non eô modô, quô tu velles. Et hæc e∫t, vel e∫∫e pote∫t una cau∫a ob∫urde∫centiæ ad vocem Spiritûs S.

2da Cau∫a eju∫dem ob∫urde∫centiæ, e∫∫e ∫olet. Quia Spiritus S. ∫pirat, vox ejus non e∫t valida, ∫ed tenuis & placida ∫piratio, in ∫ibilo tenuis auræ, Spiritus S. ad cor tuum loquitur, ∫vaviter invitat non violenter, vox ejus dulcis, & non illa adhuc, ad quam ambæ aures tinniant. Cùm interim totus fremat infernus, tumultuentur cupiditates tuæ, buccinatores inordinatorum affectuum, totis buccis clament, clament item voce valida nugæ illæ antiquæ, prout illas clamantes aliquando audivit S. Augu∫tinus. *Itanè nos de∫eris Augu∫tine? ergonè tibi ampliùs illud & illud non licebit u∫q; in æternum?* Inter hos inconditos carnalium cupiditatum clamores, facilè ob∫urde∫citur ad vocem Spiritus Sancti tenuiter ∫pirantis. Vox hæc ∫vavis aut non auditur, aut audita non percipitur, non intelligitur.

Reflecte te, an ad vocem Domini non ob∫urde∫cas? an non aliqua ex his, vel non utraq; hæc ∫it cau∫a ob∫urde∫centiæ tuæ? Excita te ad audiendam vocem Spiritûs Sancti, dicendo cum P∫almi∫ta: hodie ∫i vocem ejus audieris ô anima mea noli obdurare cor tuum, magno & forti animo vince te ip∫am, frange voluntatem tuam, quantumvis rebellem, compelle ∫ub ∫vave jugum, ad quod te vocat DEI tui beneplacitum. Vince omnes tuas pravas inclinationes, impone ∫ilentium tumultuantibus cupiditatibus tuis. Eijce tibicines & buccinatores pravorum habituum, & affectuum validè reclamantium.

Proteſtare coram Domino, quòd ipſum ſolum, ejuſq; vocem audire velis, idq; ita audire, ut intelligas, & corde percipias. *Loquere Domine quia audit ſervus tuus*, non loquatur mihi caro, mundus, non loquatur infernus, tu Domine loquere, verba enĩ vitæ æternæ habes. Perfice Domine aurem cordis mei, ut quæ mihi loqueris ad ſalutem, audiam & intelligam. Fac Domine, ut te loquente, omnes clamores obſtrepentium cupiditatum mearum, & ſibili ſerpentis antiqui conticeſcant, ſola deinceps vox tua ſonet in auribus meis.

PUNCTUM III. Audi eadem verba S. Joannis, cum addito, quod ulteriùs ſequitur *Spiritus ubi vult ſpirat, & vocem ejus audis, & neſcis, unde veniat.* Et cogita obſurdeſcentiæ, ad vocem Spiritûs Sancti, poſſe adhuc & hanc cauſam eſſe. Quòd audias vocem, ſed neſcias unde veniat, hoc eſt, quia tibi certò non conſtat, an hæc vox, quam interiore aure animæ tuæ audis, ſit Divina, ſit vox Spiritus S. & non potiùs vox alicujus alterius Spiritus, an non vox hoſtis animæ tuæ, qui ſubinde ſe transfigurat in Angelũ lucis. Nec mirùm, ſi tali ſuborta dubitatione, aliquantùm hæreas, nec ad vocem, quam interiùs audis, ſtatim te proripias, cũ S. Paulus Apoſtolus velit, ut probemus Spiritus, an ex DEO ſint.

Loquitur quidem DEUS aliquando, ita clarè, & ejus virtus Divina ſic impellit voluntatem, ut omnis dubitatio & dubitandi facultas ſublata ſit, quominus ſequatur ipſam illam impulſionem. Sicut legimus SS. Paulo, & Matthæo Apoſtolis, alijſq; nonnullis accidiſſe. Quem vocationis Divinæ modum, S. pater IGNATIUS tempus primùm ad electiones faciendas magìs opportunum appellat. Quia tamen hic modus loquendi eſt valde extraordinariùs, & non communis, exſpectari, aut exigi, & à DEO poſtulari non debet. Alij modi locutionis & vocationis Divinæ, magìs uſitati & ordinarij

narij sunt : Vel cùm animus inspirationibus & motionibus internis agitur, ijsq; tam efficacibus, ut sine ullo intellectûs discursu, aut cum modico, voluntas feratur ad DEI servitium & perfectionem; qui modus vocatur secundum electionis tempus, vel tandem, cùm intellectus, ratiocinando (qui modus tertium tempus electionis appellatur) & rationes ponderando pro una & altera parte, veritatem clariùs aspicit, & veluti Lumen voluntati præfert, ut id demum eligat, quod, omnibus perpensis, meliùs fuerit Judicatum. Per duplicem hunc posteriorem locutionis Divinæ modum, quia non tollitur dubitandi facultas, fit, vel fieri potest, ut dum auditur locutio Divina, per alterutrum hunc modum facta, dubitetur, unde vox talis & impulsio veniat. Siquidem fieri potest, ut etiam hostis animæ, transfigurans se in Angelum lucis, voluntatem impellat ad id, quod aliquam obsequij Divini & perfectionis speciem & apparentiam habere videtur ; rationes etiam fallaces, & argumenta sophistica obtrudat, ut hoc potiùs voluntas eligat, quàm illud ; subinde etiam & rem bonam svadet, & pias cogitationes fovet. Est tamen virus quod latet, & quod detegi debet.

Ad discernendam locutionem & vocationem Divinam à Dæmonis versutijs & suggestionibus, has regulas, ex Doctrina S. Patris mei IGNATII, tene. 1*ma*, sedulò & accuratè excutiantur & examinentur sive motiones ipsæ & impulsiones secundi temporis, sive cogitationes & rationes pro utraq; electionis parte occurrentes, examinentur inquam circa principium, medium, & finem, hoc est circa rem ipsam & objectum ad quod tales motiones impellunt, sitne illud in se & veré bonum, an fucatam tantùm boni speciem præseferat. Examinentur etiam circa finem ? Ex quo fine illis motionibus & impulsionibus res svadetur.

fitne ille finis bonus, depuratus à finibus quibuscunq; vitiosis, an certè finis pravus, aut fini alicui non bono conjunctus? Circa medium deniq; examinentur, inquirendo, an objectum, quod svadetur, per aliquas circumstantias non vitietur? an comparatè ad illud bonum, ad quod voluntas antea impellebatur, non sit minus bonum? an res quæ svadetur, alioqui secundùm se bona, non debeat per media mala & illicita obtineri? Si omnia hæc rectè se habeant, principium, medium, & finis, atq; rectè se habere deprehendantur per accuratum examen, in quo metienda sunt omnia, majore Divinâ gloriâ & salute ac perfectione animæ, nullo respectu habito ad proprias commoditates temporales, sensuales, & vanas; argumentum & indicium erit, motiones & impulsiones, quas voluntas sentit, cogitationes etiam & rationes ad quidpiam impellentes, à bono & Divino spiritu esse. Quòd si res mala, vel bona quidem, sed non bene, quia ob finem malum, aut in circumstantijs, & per media quæ rem vitiant, svadeatur, deprehendaturq; sive in principio, sive in fine, aliquod vitium, quod certè diu latere non potest, hostis enim noster nocendi studiosissimus, diu se tegere & occultare nequit, quin sine malo tanquam caudâ serpentinâ se prodat, vel ex capite agnoscatur, vel venenum ejus non sentiatur; ex his deprehendes motiones & impulsiones hujusmodi, à spiritu malo immissas esse.

2*da*. Regula est ad discernendam locutionem & vocationem Divinam, à suggestionibus spiritûs mali. Attendendum est ad modum locutionis. Diversissimus enim est locutionis & vocationis Divinæ modus, à modo locutionis diabolicæ. Spiritus Divinus, dum movet & inclinat animam, quæ DEO se conjungere studet & desiderat, ejusq; exquirit circa id ipsum voluntatem, leniter, placidè ac svaviter, sicut aquæ stilla in spongiam, illabitur.

Spi-

Spiritus verò malus duriter, implacidè, violenter, atq; cum quodam strepitu, sicut imber decidens in petram. Seu, expressiùs loquendo, spiritus Divinus movet voluntatem animæ, quæ DEUM & suam salutem quærit, movet inquam svavi consolationum illapsu, hoc est, inflammat affectum ad amorem Creatoris, ad quærendam salutem & perfectionem propriam, ad exercendos, cum omni facilitate, heroicos virtutum solidarum actus, cor conterit & solvit in lacrymas pœnitentiæ, compassionis Christo patienti, in lacrymas pietatis, devotionis, teneritudinis, affectûs erga DEUM; facit animæ desipere res terrenas, oblectationes sensuales, vanitates, & similia, è contra facit sentire gustum & delectationem in meditatione rerum cœlestium, in asperitate statûs pœnitentiæ, viæ crucis, mortificationis, facit sentire desiderium maxima quæq; agendi, & patiendi pro gloria DEI. E contra diabolus dum loquitur, desolatione perturbat animam, hoc est, ad res viles & terrenas inclinat, affligit timore subtractionis oblectationū, cōmodorum sensualium, vanitatum &c. Aufert internā animi pacē & tranquilitatem, tristitiā, teporē ac torporē inducit, & propè in desperationē agit.

Juxta has regulas, discerne & tu Spiritus, ipsorumq; impulsiones, quas sentis in deliberatione de statu tuo, aut certè ad directorem tuum pro consilio recurre. His expeditis, electionem statûs vitæ tuæ, in exercitijs S. Patris IGNATII perficere, & difficultates in exequenda Divina vocatione profligare stude. Certè hoc tempus huic operi maximè est opportunū, dum DEI motio recens est, spiritusq; fervore per tot meditationes excitato, incaluit.

Colloquium ad pretiosissimam DEI Parentem, cui supplica, ut suo patrocinio te ab hoste protegat, & defendat, fraudesq; ejus detegat, ac Divinam vocationem te agnoscere, illamq; exequi faciat. *In fine* : *Ave MARIA.*

Meditatio I.
De reformanda vita hominis in ſtatu ſæculari, ac etiam matrimoniali conſtituti.

Præludium I. Imaginare converſionem Cornelij centurionis ad Chriſti fidem, de qua habetur Act. 10. Et exiſtima audire te illa S. Petri Apoſtoli verba, occaſione talis converſionis dicta: *In veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor DEUS, ſed in omni gente, qui timet DEUM, & operatur Juſtitiam, acceptus eſt illi.*

Præludium 2. Poſtula gratiam à DEO, quâ illuminatus cognoſcas, qua ratione in ſtatu ſæculari, in quo es conſtitutus, eidem placere, & acceptus eſſe, tuamq; ſalutem conſequi poſſis.

Punctum I. Audi illa verba 1. Ad Corinth. 7. *Reliquum eſt, ut qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur. Præterit enim figura hujus mundi.* Et conſidera, adhortationem hujus S. Apoſtoli ad eos dirigi, qui in ſtatu matrimoniali, vel in ſtatu ſæculari conſtituti vivunt; ut hi finem ſuum, ad quem creati ſunt, hoc eſt, ſalutem animæ conſequantur, neceſſarium omnino eſt, ut utantur hôc mundô tanquam non utentes.

Illi, ratione ſui ſtatûs, utuntur hoc mundo, vivunt alligati uxori, ſecundùm Apoſtolum, ſunt ſoliciti quomodo eidem placeant. Filios & familias ſecundùm ſuam conditionem alunt & alere tenentur; habent terrenas poſſeſſiones. Bona temporalia, & œconomias adminiſtrant, proventus percipiunt, ſubſtantiam terrenam augere & conſervare ſtudent. Filijs eandem exdividunt, parant

& colligunt dotem filiabus, honores, dignitates, in republica, in cōmunitatibus admittunt, ac etiam quærunt & procurant. Magistratus gerunt, tractant publica negotia in comitijs, comitiolis, de integritate Patriæ & bono communi consultant, non sequuntur præcipua & maximè difficilia Christi consilia, non imitantur ejusdem exempla saltem ita perfectè, atq; vi suæ professionis hæc imitantur, vel imitari tenentur, qui ad statum Ecclesiasticum, maximè verò ad statum religiosum vocati sunt. Ex quibus omnibus clarè patet, quòd homines in statu sæculari constituti, utantur hoc mundo. Ne verò illi ipsi animas suas perdant, & ut salutem consequantur, hoc reliquum ac necessarium est, ut utantur hoc mundo tanquam non utentes.

Porro tunc homines utuntur mundo tanquā non utentes, *imò* quando usus mundi & creaturarum ipsis permissus, ac per statum ipsorum cohonestatus, non est illis occasio progrediendi ad illicita, & prolabendi in ea, ad quæ ipsos mundus, caro, & diabolus incitat, & invitat, contra legem & voluntatem Divinam prohibentem, & contra rectæ rationis dictamen. Facilis siquidem in hoc statu est occasio prolabendi in illicita, ut quotidiana docent exempla. Non omnes sunt continentes intra limites conjugalis castitatis; ex nimio & inordinato affectu ad res temporales, & auctionem fortunæ, multæ committuntur injustitiæ, multæ fraudes, & damnificationes aliorum, ex ambitu & studio assequendorum honorum, promotionum, respectuum. O quæ & quanta non fiunt legi Divinæ, charitati Dei & proximi adversantia! Ut igitur quis utatur hoc mundo tanquam si non uteretur, ita illi vivendum, ita sibi ipsi invigilandum est, ne vita sua sæcularis sit sibi occasio criminum, in quæ multi in hoc statu prolabuntur; ne eorum appetitus sensualis, permisso usu quarundam sensu-

alium oblectationum, irritetur ad appetenda illicita, impellatq; voluntatem ut hæc quærat, & in ea consentiat, quæ sunt prohibita. Magna cautela & vigilantia adhibenda est, ut continentia conjugalis sit prorsus illibata, ut sensus corporis, & affectus custodiantur ad exemplum sancti Jobi, qui cum oculis suis fædus pepigerat, ut ne cogitaret quidem de virgine, ut bona fortunæ non augeantur modis indebitis & illicitis, per oppressionem pauperum, per injurias & damna proximorum, ut nihil alienum manibus adhærere contingat. Ne honores, dignitates, & alia hujusmodi quærantur per assentationes, per obsequia conscientiæ læsiva, per consilia præjudiciosa Reipublicæ, vel bono sive cōmuni, sive cujuspiā privato, per depressionē aliorum, famæ alienæ denigrationes, & his similia.

2dò Utantur mundo tanquam non utentes, qui in concursu vel mundi amittendi, & eorum quæ mundi sunt, vel committendæ offensæ Divinæ, sive mortalis, sive venialis, parati sunt potiùs jacturam opum, commoditatum, voluptatum, honorum, & totius mundi subire, quam Deum etiā leviter offendere.

Punctum II Utuntur *tertiò* mundo tanquā non utentes. Quos usus rerū mundanarum & temporalium, non impedit in cura & studio propriæ salutis, rerumq; illarum, quæ ad salutem pertinent; imò ex tali suo statu occasionem & adjumentum habent exercendorum operum misericordiæ & charitatis, promovendæ etiam Divinæ gloriæ, & cumulandorum meritorum. Qui ita utuntur mundo, ut illud sæpiùs mente versent, quòd prætereat figura hujus mundi, quòd hæc, quibus utuntur, sint finem acceptura, sint nonnisi figura & umbra aliorum bonorum, quòd sint alia bona longè sublimiora & excellentiora, quæ ab ipsis quæri debent, bona nimirum spiritualia, supernaturalia, perennatura,

tura, bona non ad corpus sed ad animam pertinentia, quæ ipsos beatos & felices in æternum reddant. Qui prætereà illa bona præstantiora ad animam spectantia studiosè quærunt, ad illa aspirant, mediaq; conducentia adhibent, ut illa consequantur, totoq; conatu allaborant, ut sic transeant per bóna temporalia, ut non amittant æterna.

4*to*. Utuntur mundo tanquam non utentes, qui mundo utuntur absq; nimia adhæsione, & affectu minùs ordinato ad mundum. Qui, dum affluunt divitiæ, cor non apponunt; Carnis voluptatibus licitis non ita immerguntur, ut non magis delectentur in domino, in rebusq; Divinis & spiritualibus gustum quærant, totoq; mentis affectu in DEUM ferantur, qui in honoribus constituti meminerunt se homines esse alijs similes, mente, non elevantur, nec despiciunt alios, sed potiùs humiliantur sub potenti manu DEI.

5*to*. Utuntur mundo tanquam non utentes, qui circa ea, quæ mundi sunt student conformitati cum Divina voluntate; si, DEUS hæc auferat, puta, si auferat amicum, filios, bona fortunæ, honores &c. jacturam hanc ferunt cum æquanimitate, & cum omni subordinatione sanctissimæ Divinæ voluntati, animasq; tunc suas possident in patientia, & DEUM in omnibus benedicunt cum Sancto Job: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est sit nomen Domini benedictum.*

PUNCTUM III. Sextò demum utuntur mundô, tanquam non utentes. Qui rebus, quæ mundi sunt sibi licitis & permissis abstinent cùm possunt, eaq; amore DEI, & ex fine aliquid pro DEO & salute animæ suæ agendi, sibi ipsis subtrahunt; qui à multis abstinent, quibus sine DEI offensa uti possent, qui sub pretiosis vestibus cilicia, catenas ferreas, aliaquè mortificationum instrumenta de

ferunt.

ferunt & contegunt. Qui in præcipuis constituti honoribus, DEO se humiliant, humilitatem Christianam non erubescunt, ad vilia etiam obsequia, DEO, Christo, pauperibus exhibenda se dimittunt, libenterq; ea suscipiunt. Qui, dum ipsis divitiæ affluunt, cor non apponunt, sed paupertatem spiritûs amant & sectantur, suis opibus, fortunis, bene comparatis utuntur, non tam ad propria commoda & minùs convenientes jactantias, atq; apparentias, quàm potiùs ad ferendum subsidium pauperibus & levandam egenorum inopiam, aliaq; bona & pia opera, totum id agendo ex amore DEI, & ad majorem mundi contemptum, quo uti putantur.

His consideratis, reflecte te supra tuum mundi usum, quomodo hactenus mundo usus sis, quomodo deinceps uti debeas? quid te pro salute animæ agere conveniat? reliquum vitæ tuæ quâ ratione transiges? fac proposita, eaq; deinceps constanter & immutabiliter exequi stude.

In colloquio Supplica humiliter Christo Cruci affixo, ut amara sua morte, & passione, omnem in te mortificet & exstinguat mundi affectum, ne mundi usus, sit tibi occasio amittendæ salutis & felicitatis æternæ, & ut non sit tibi impedimentum, sed potiùs medium & adminiculum ad DEUM amandum, laudandum, ipsiq; impensiùs serviendum, ut ita utaris mundo, ut & tibi mundus, & tu mundo sis crucifixus.

In fine: Anima Christi.

Meditatio II.

De reformanda vita hominis in statu sæculari, ac etiam matrimoniali, constituti.

Præludia eadem, quæ meditationis præcedentis.

Pu-

PUNCTUM I. Audi illa verba 2*dæ* Petri 1. *satagite ut per bona opera, certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Quæ ipsa applicata & directa esse ad homines vitam sæcularem agentes, existima. Ut verò hæc fructiosiùs penetres.

Considera 1*mò* Per vocationem, non incongruè posse hoc loco intelligi inspirationem, & voluntatis tuæ motionem, ex vi cujus, tot alijs vijs ad salutem totq; diversis vitæ statibus omissis, assumpsisti & elegisti statum vitæ sæcularis, statum matrimonialem. Per electionem verò intelligi debere Divinam tui electionem ad gloriam, per quam DEUS te inter beatos & salvandos connumerat, tuumq; nomen libro vitæ, libro prædestinatorum inscribit. Differunt electio & vocatio per hoc, quòd vocatio versetur immediatè circa media salutis, habeatq; pro objecto & termino immediato, medium salutis, hoc est certum, vitæ statum. electio verò versetur circa ipsum finem, hoc est, circa ipsam hominis salutem, & hanc habeat pro objecto & termino immediato, circa quem versatur. Vocatio ostendet viam, quâ ambulando, pervenias ad terminum æternæ felicitatis; electio præstat, ut æterna felicitate potiaris. Vocationem Divinam habere, multis est commune; electio verò est donum rarissimis obveniens, juxta illud: *Multi vocati, pauci electi.* Potest enim quis vocari ad certum vitæ statum, & vocationi Divinæ vel non obedire, vel obedire quidem, sed postquam ingressus est eam salutis viam, in quam ipsum deduxit vocatio Divina, ab hac deinde via deflectere, aut non dignè sua vocatione ambulare, & sic infeliciter aberrare.

Considera 2*dò*. An quis vocatione Divina vocatus sit ad statum vitæ sæcularem, an verò ex alicujus alterius spiritûs motione & impulsu, statum hunc elegerit, rem esse valde dubiã & incertã. De vocatione ad asttum perfectiorem, v. g. ad statum religiosum,

sum si non certitudo, fortis tamem præsumptio haberi potest, quòd hæc fuerit vocatio Divina. Ad hunc enim statum amplectendum, potuit quis moveri unicè gloriæ Divinæ & salutis consequendæ studio, idq; ex desiderio & proposito imitationis virtutum, & exemplorum Christi, ac impletionis Consiliorum ejus, absq; ulla admistione affectûs carnalis & mundani. Potuit insuper adhibere media convenientia, sive pro cognoscenda, & pro exploranda Divina voluntate, & vocatione, sive pro discernendis ac probandis spiritibus, adeoq: vocatione suâ ad statum religiosum examinatâ per modos bonæ electionis, & per regulas discernendorum spirituum, potuit, potestq; advertere, vocationem suam esse & fuisse rectam, puram, omnino sanctam, adeòq; Divinam. De vocatione verò ad statum sæcularem, conjugalem, frequenter in contrarium est præsumptio; quotus enim est, qui hunc statum eligat unicè studio placendi DEO, Deumq; laudandi, & glorificandi; ex fine item consequendæ salutis, sine admistione inordinatæ affectionis ad carnis voluptates, ad res terrenas, sensuales, vanas, mundanas, ad commoditates, aliaq; his similia? quotus est, qui hunc statum eligat ea intentione, quâ conjugium contrahi debere docuit Angelus Raphaël, Tobiam juniorem? Porro vocatio, admistum habens inordinatum affectum, cum sit obliqua, malo fine vitiata vocatio Divina esse non potest, ut docet S. Pater IGNATIUS, Punct. 3tiò. introductionis ad rerum eligendarum notitiam. & ipsa recta ratio ostendit.

Quantùm verò attinet ad Divinam electionem hominis ad gloriam, de hac, in nullo vitæ statu, independenter à speciali revelatione Divina, certitudo omnimoda & absoluta haberi potest. Cùm enim homo in vita sua nesciat, an amore an odio dignus sit; cùm nemo dicere possit, mundum

eſt cor meum, purus ſum à peccato; cùm ignoret an ſit perſeveraturus in DEI gratia, an in gratia finali moriturus. Nemo conſequenter dicere poteſt ego de electis ſum, ego prædeſtinatus ad vitā, ego de numero filiorum. Quamvis verò talem certitudinem in nullo vitæ ſtatu habeamus, ſpes tamen & fiducia pleroſq; conſolatur, ſuntq; inſuper ſigna & indicia manifeſta è ſenſu D. Bernardi. *Serm.* 1. *in ſeptuag:* ut indubitabile ſit aliquem eſſe in numero electorum, in quo ea ſigna permanſerint. & talia quidem ſigna reperiri poſſunt in aliquibus viris ſanctis & perfectis; in hominibus tamen vitam ſæcularem agentibus hæc non ſolent ordinariè & communiter inveniri.

PUNCTUM II. Conſidera 3*tiò* in hac incertitudine ſive circa vocationem, ſive circa electionem ſuam conſtitutus homo ſæcularis, ne dubitationis hujus anxietate omnino conſternetur, modum & remedium inſinuat S. Petrus Apoſtolus illis ſuis verbis: *Satagite, ut per bona opera, certam veſtram vocationem & electionem faciatis.*

Modus itaq;, quo in ſtatu ſæculari, cujuſpiam, certa ad eundem ſtatum vocatio & electio fieri poſſit eſt. Faciendi ſunt fructus pœnitentiæ, deplorata vitæ antecedentis peccata eleemoſynis redimenda, uſu indulgentiarum & frequentatione Sacramentorum Euchariſtiæ & pœnitentiæ expianda, opera etiam bona & ſalutaria, opera Juſtitiæ, miſericordiæ, Charitatis exercenda, ſanctè & Chriſtianè vivendum. ſervanda DEI præcepta, Conſilia Chriſti, quæ impleri poſſunt, adimplenda, orationi & obſecrationibus, cum Cornelio, inſiſtendum. In rebus cœleſtibus & Divinis guſtus excitandus & fovendus, Curandum, ut juxta monitum S. Pauli Apoſtoli, exhibeamus noſmetipſos, ſicut DEI miniſtros, in multa patientia, in tribulationibus, in anguſtijs, in laboribus, in vigilijs, in jejunijs, ut co-

ram DEO humiliemus animas noſtras, ut abundemus in omne opus bonum. Hac ratione vivendo, homo Chriſtianus, in ſtatu ſæculari & matrimoniali conſtitutus, certam faciet vocationem & electionem ſuam.

Faciet imprimis certam vocationem. Etiamſi enim dubitare poſſit, an vocatio illa, quâ primò elegit ſtatum ſæcularem & conjugalem, fuerit vocatio Divina, tamen poſtquam hunc ſtatum eligit, nec ampliùs mutare poteſt, ſecurus & certus eſſe debet, quòd illum DEUS vocet ad vitam in hoc ſtatu ſanctè & Chriſtianè inſtituendam, quòd illa vocatio, quâ excitatur ut in tali ſtatu, in timore & tremore operetur ſalutem, & in ſanctitate ac Juſtitia, DEO famuletur omnibus diebus vitæ ſuæ, ſit vocatio Divina. Talem verò vocationem & Divinam, & magis adhuc certam faciet, ſi DEO vocanti ſe ad meliorem vitam obſecutus fuerit, & hoc vitæ ſtatu, tanquam medio ad ſuum finem conſequendum, abundando in omne opus bonum, bene uſus fuerit.

Faciet etiam certam electionem ſuam. Etiamſi enim de hac non poſſit habere certitudinem abſolutam, & ex omni parte infallibilem, atq; talem, quæ excludat ulteriorem ſolicitudinem circa ſalutem animæ ſuæ; nihilominùs per bona opera certam faciet electionem ſuam, certitudine ſpei, & magnæ fiduciæ, fundatæ & innixæ ſufficientibus indicijs & argumentis, ex quibus colliget ſe eſſe in numero electorum, & quæ illum reddet diligentem & conſtantem in DEI ſervitio, & quærenda ejus gloria, atq; curanda animæ ſalute.

Hanc certitudinem faciet ipſi & conſcientia rectè factorum ac bonorum operum, in quibus ſe conſtanter exercet, & inſuper ipſa promiſſio Divina, de retribuenda, pro meritis & bonis operibus, gloria. Quæ cùm conditionata ſit, & per modum con-

contractûs onerosi, sub conditione ponendorum ab homine meritorum vitæ æternæ; impletâ hac conditione, per positionē talium bonorum operum, homo securus est, & in magnam spem erigitur, quòd DEUS stabit promissioni suæ, adeoq; quod sit collaturus illi gloriam & felicitatem æternam. Si operarius, absolutô opere, ad quod conductus est, certus est de danda sibi condicta mercede, si miles, post strenuā cum hoste pugnā & victoriam, securus est de reddendo sibi stipendio, & dividendis etiam inter se spolijs; si mercator, persolutô adæquatô mercis pretiô, certus est juris sui ad emptam mercedem; pariter & homo Christianus certus est accipiendæ coronæ & felicitatis æternæ, post vitam Christianè & sanctè transactam, & sancta morte terminatam. Illa enim cœlestis beatitudo, est laborum vitæ hujus, pro DEO susceptorum, merces, est præmium & stipendium strenui, cum hostibus animæ, certaminis, ac de ipsis obtentæ victoriæ, est illa pretiosa margarita, quam eleemosynis, operibus misericordiæ, & sanctis laboribus emimus & comparamus.

PUNCTUM III. Considera 4*tò*. unumquemq; electionis suæ ad vitam æternam certum & securum esse posse, si horum trium certus sit. 1*mò* quòd sua peccata sibi dimissa sint. 2*dò* quòd sua bona opera sint à DEO acceptanda in meritum vitæ æternæ. 3*tiò* quòd in bonis & sanctis operibus atq; in gratia finali perseveraturus sit ad mortem. Cùm enim per hæc tria, seu dependenter ab his tribus, habeatur electio hominis ad gloriam; habita certitudine de tribus illis, habetur consequenter certitudo electionis. Porro qui Christianè, sanctè, & laudabiliter vivit, per sua bona opera & sanctam vitam facit & comparat certitudinem de illis tribus, non quidem, ut dixi, omnimodam & absolutam, sed certitudinem spei, & magnæ fiduciæ ini-

nixæ promissionibus Divinis.

Nam imprimis faciendo dignos fructus pœnitentiæ, confitendo etiam sacramentaliter peccata, aut cordis contritione & humilitate sæpiùs ea deflendo, & pro ijs Iustitiæ Divinæ satisfaciendo, eaq; eleemosynis redimendo; habet, & habere potest spem magnam, adeòq; aliquam certitudinem, de remissis sibi peccatis, juxta illam promissionem Divinam 1. Joan. 1. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.*

Deinde opera Justitiæ, misericordiæ, charitatis, & quarumcunq; aliarum virtutum exercendo & accumulando, homo Christianus, confisus Divinæ bonitati & misericordiæ, quæ homini facienti quod ex se est, non denegat gratiam; sperat, quod hæc sua bona opera, dum illa quàm perfectissimè peragere studet, sint acceptanda in meritum vitæ æternæ, & pro his sit retribuenda sibi merces magna nimis, persvadetq; sibi firmiter, in die judicij; auditurum se illam Christi sententiam: *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis ab origine mundi; Esurivi enim & dedistis mihi manducare, sitivi & dedistis mihi bibere, hospes eram & collegistis me, nudus eram & cooperuistis me, infirmus, & visitastis me. In carcere, & venistis ad me. Quādiu enim ex fratribus meis minimis uni fecistis, mihi fecistis.* Sententiæ tam exoptatæ, in ipsū pronunciandæ facit, illi spem & aliquā certitudinē, enumeratorum misericordiæ operum executio & frequentatio.

Tandem homo Christianus persistendo constanter in bonis operibus, rigidamq; pænitentiam de peccatis totâ vitâ agendo, ac cum magna solicitudine operando salutem, sperat in morte, muniendum se victrici & efficaci gratiâ Divinâ, contra omnes tentationes, quibus tunc inpugnabitur; spe-

rat se etiam in morte triumphaturum de hostibus animæ, de quibus in vita solitus fuerat triumphare; sperat se in gratia finaliter perseveraturum, quam tanta solicitudine in vita conservare & augere studebat. Fidit assecurationi S. Augustini asserentis: *Neminem vidi malè mortuum, qui bene vixerit.* Si igitur bona opera faciunt nobis certitudinem, seu magnam spem, & in DEI bonitate fiduciam, de remissione peccatorum nostrorum, de comparando meritorum thesauro, ac etiam de conferendo nobis dono perseverantiæ in bonis operibus, & in gratia Divina; hæc ipsa certos nos facient electionis nostræ ad gloriam, certudine spei, & magnæ fiduciæ.

Hæc considerans accendere ad vitam sanctè & Christianè agendam, ad exercenda opera misericordiæ, ad cumulanda merita; quæcunq; potest facere manus tua, instanter operare. Manè semina, vespere non cesset manus tua. seriò cogita de vita rectè instituenda, age, ut opera tua novissima, sint plura & perfectiora prioribus, ut per hæc, certam facias vocationem & electionem tuam. Fac particularia proposita, elice affectus.

In colloquio Supplica humillimè bonitati Divinæ, ut te ad vitam piè & Christianè instituendam vocare, & accendere dignetur, suâq; potenti & efficaci gratia adjuvet, quâ adjutus, constantem de peccatis tuis pœnitentiam agas, bona opera & merita accumules, in ijsq; ac gratia sanctificante, finaliter, ad ultimum vitæ tuæ terminum perseveres, & per bona opera, certam facias vocationem & electionem tuam, ad æternam cum DEO felicitatem.

In fine: suscipe Domine &c.

Meditatio III.
De vita Christianè instituenda, sæculari & conjugali.

Præludia eadem, quæ meditationis primæ.

PUNCTUM I. Audi illa verba S. Pauli Apostoli 1. ad Timot. 5. de viduis dicta. *Si qua vidua filios aut nepotes habet, discat primùm domum suam regere.* Et inferiùs ad omnes Patres-familias spectantia: *Qui suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Et considera doctrinam hanc Apostoli ad omnes extendi, qui in sæculo degunt, omnibusq; tuis ad vitam rectè & Christianè instituendam ac reformandam, necessariam esse, ut sciant domum suam regere, & ut suorum, maximè verò domesticorum, curam habeant; quod ut meliùs præstari possit.

Considera ulteriùs 1mò. Ad hoc, ut aliquis censeatur domum suam bene & Christianè regere, requiri imprimis, ut præ oculis constituto fine hominis, qui non alius est, nisi gloria Divina & salus æterna animæ, ita domum & rem œconomicam administret, ut administratio hæc sit ipsi medium promovendæ magìs ac magìs gloriæ Divinæ, ac consequendæ salutis non solùm animæ propriæ, sed etiam ad eundem finem perducendi omnes, quotquot ad suam curam quâquâ ratione pertinent; et ut omnes suæ ac suorum actiones in hunc finem collimeant, nec ab illo deflectere ullatenus permittantur. adeóq; requiritur, ut homo in tali statu constitutus, quærat regnum DEI & Justitiam ejus, non solùm sibi ipsi invigilando, rebus spiritualibus & Divinis vacando, Sacramenta frequentando, orationi, jejunijs, operibus bonis, maximè operibus misericordiæ insistendo, sed etiam,

ut

ut ipſam temporalium adminiſtrationem, in finem hunc ordinet & dirigat.

Quod ipſum ut aſſequatur, neceſſe eſt, ut quiſq; ſecum rationem ineat, quàm amplam Domum & familiam habere illum æquum ſit, attentis: ſtatûs proprij conditione, redituum ac proventuum amplitudine, alijſq; ſimilibus circumſtantijs, ita, ut non deflectatur in alterutrum extremum vitioſum, ne nimirum, aut luxu, prodigalitate, & exceſſu, aut parſimoniâ, anguſtiâ animi, & defectu peccetur. Ut item recogitet, ac ſecum diſpiciat, quis ſit modus tenendus in colligendis proventibus, còácervandis opibus, augendis & conſervandis bonis fortunæ, ut hæc non procurentur ſtudiô immoderatô, nimia ſolicitudine, & ex inordinato ad hæc affectu; ut per curam talium, ne in minimo quidem lædatur conſcientia, Juſtitia, DEI & proximi charitas. Opus inſuper eſt, ut diligenter expendat, quis ibidem ſervandus ſit modus in erogandis pecunijs, qualiterq; ſit diſponendum de poſſeſſis facultatibus, quæ expenſæ & qui ſumptus faciendi in uſus, ſive proprios, ſive domeſticos, pro domeſtica familia; quantum ſit diſtribuendum in pauperes ? quid expendendum in pia opera miſericordiæ & charitatis ? An maturè & tempeſtivè non ſit deliberandum de ultimis diſpoſitionibus faciendis, de condendo teſtamento ? an hoc non ſit ſine dilatione conficiendum & qua ratione ? ne res hæc, in ipſa infirmitate & morte faciat tibi difficultates, ac te impediat in facienda conveniente ad mortem vicinam præparatione, reconciliando cum DEO, per ſeriam pœnitentiam, animo tuo, in eliciendis actibus, qui tunc maximè neceſſarij erunt, ne curæ & cogitationes circa res temporales, ſint tibi inpedimento.

Punctum II. Conſidera 2*dò* Quæ & qualis cura & circa quos haberi & excerceri debeat ab his, qui in ſtatu ſæculari vivunt, remq; temporalem œconomi-

conomicam adminiſtrant. Si filios, nepotes, habeant, horum primam & principalem curam habere debent, eamq; duplicem, unam in ſpiritualibus, alteram in temporalibus.

In ſpiritualibus, circa filios & nepotes, cura taliter excercenda eſt, ut detur illis bona & Chriſtiana educatio, ac inſtitutio, ut timorem DEI doceantur, inſtruantur in rebus ad fidem & ſalutem pertinentibus, ut horrorem peccati quàm maximum concipiant, ut in pietate Chriſtiana, & virtutibus ſe exercere ac proficere ſtudeant. Studijs etiam literarum, atq; artibus liberalibus & ſcientijs excolendi ſunt, nòn ſolùm, quia hæc plurimùm conferunt ad faciliorem & meliorem DEI, ac eorum quæ fidei ſunt, cognitionem, timoremq; DEI, & virtutis amorem; ſed etiam, quia cum literis plerumq; inſtillantur ea, quæ ad animam & ſalutem pertinent.

Circa temporalia curandum eſt, ut ſubſidia vitæ honeſtè ducendæ convenientia habeant, ut ſubſtantia & fortuna, ipſis relinquenda, ſit bene acquiſita, boniſq; modis & medijs aucta & conſervata, nec oneribus, præcipuè majoribus, & ære alieno gravata, ut pro filiabus dos, conformiter ad præſcriptum legum regni, aſſignetur, vel etiam, ſi fieri poteſt, in parata pecunia reliquatur, ut electio Statûs vitæ, libertati filiorum & filiarum relinquatur, nec ad ullum determinatum ſtatum, contra ſuam voluntatem & inclinationem, compellantur, ut, cùm ad ætatem convenientem pervenerint, in adeundo illo vitæ ſtatu, quem elegerint, juventur data & exdiviſa ſubſtantiæ portione quæ ipſos concernit. Tandemq; ut filiæ nuptæ exdotentur, nec dos conveniens diutiùs detineatur.

Poſt filios & filias ac nepotes, debetur cura domeſticæ familiæ, ſeu famulitio. Iterumq; hæc tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus.

In ſpiritualibus, ut Domino terreno & creato,

ita præstent obsequia, ut simul Domino cælesti & Increato famulentur, nec obsequia exhibita vel exhibenda creaturæ, sint impedimento, sed potiùs ut sint adjumentum ad serviendum Creatori, eiq; laudem & cultum reddendum. Præstandum illud est terreno Domino, ut quà verbo, quà exemplò famulos suos instruat, & hortetur ad convenientem salutis suæ curam, ut DEI & Ecclesiæ servent præcepta, pœnitentiæ & Eucharistiæ sacramenta frequentent, bona opera exerceant & accumulent, vitamq; inculpatam & christianam agant.

In temporalibus providendum ipsis est, ut vitæ sustentationem habeant ex conventione vel consuetudine debitam, ut condicta stipendia integrè & in tempore recipiant. Consulendum pariter ipsorum bono & commodo, ut pecunias in stipendium acceptas, in usus honestos & necessarios convertant, & bene expendant, non in compotationes, aleas, & his similia, dissipent.

Postremò circa subditos cura hæc est habenda. In ijs quæ ad animam spectant, pro posse juvandi sunt, ut animæ salutem consequantur. Invigilandū est, ut non blasphemetur per ipsos nomen Domini, ut festa colant & observent, proindeq; diebus festis, laboribus, itineribus, alijsq; occupationibus distrahendi non sunt. Avertenda sunt scandala, & offensionum occasiones, vitia corrigenda, præcavendæ Divinæ offensæ, bonorum operum exercitium promovendum. Idonei circa ipsorum salutem operarij & vigiles providendi, qui eos in fide instruant, viam salutis doceant, sacramenta promptè & fructuosè ministrent, officia Divina, secundùm ritus & præscriptum Ecclesiæ, celebrent, suoq; munere & sciant & velint accuratè. fungi.

In ijs, quæ ad corpus & bona temporalia pertinent, hæc subditis à Domino præstari debent. Protectione & defensione illis assistendum est, sublevandi in

ſuis neceſſitatibus, inopiæ eorum ſuccurendum, quà conſilio, quà etiam datô ipſis ſubſidiô, maturè juvandi, ne ad egeſtatem deveniant, laboribus inſolitis, novis cenſibus, penſionibus, alijſq; oneribus non gravandi.

PUNCTUM III Conſidera 3*tiò* quòd ad hanc filiorum, familiæ, & ſubditorum curam, quisquis hæc DEI beneficio nactus eſt, obligetur obligatione ſpecialis charitatis ſeu pietatis, fundatâ in ipſa natura & inclinatione naturali, atq; in maximâ convenientia. De obligatione ad curam filiorum, & cujuſq; prolis, ita conſtat, ut hanc continuò inculcet omnium animalium ſolicitudo circa ſuam prolem educandam & conſervandam. Quòd verò ad curam etiam ſuæ familiæ & ſubditorum unuſquiſq; obligetur, obligatione illâ, quæ ad obligationem pietatis reducitur, hinc eſt, quia vel ipſum nomen, quô Dominus familiæ appellari conſuevit, hanc loquitur obligationem; appellatur ille: *Pater familias*; quô nomine admonetur, ut ſuam familiam amet, tanquam Pater filios, adeòq; ut tanquam filiorum curam habeat.

Hanc curam ita ab ipſis exigit Apoſtolus, ut illum, qui eam non habet, & negligit, fidem negare aſſerat, & cenſeat infideli deteriorem eſſe. Certè fidem negat, qui ſuorum curam non habet, fidem inquam, ad quam ſuis domeſticis & ſubditis obligatur: propter hanc negatam, nemo ipſi ampliùs fidere, & in ejus circa ſuos cura conquieſcere poteſt. Fidem etiam Divinam, non verbis, ſed factis negat, dum non imitatur, ut debet, Divinam circa creaturas Charitatem & pietatem. DEUS noſter optimus, ita eſt univerſorum Dominus, ſupremuſq; rerum omnium gubernator & rector, ut ſimul ſit omnium noſtrûm pijſſimus & providentiſſimus Pater, volens omnes ſalvos fieri, ſalutis media conferens, & ad hunc finem unumquemq; noſtrûm perducere deſiderans,

derans. Ille inſuper vitam noſtram corporalem ſuſtentat & conſervat, omneſq; creaturas viſibiles noſtris uſibus concedit & ſubjcit. Hoc ipſo facto negat, qui ſuorum curam non habet. Re ipſa enim & imitatione non confitetur Divinam hanc, circa ſuas creaturas, providentiam & pietatem, licèt eam imitari & exercere teneatur. Inſuper negat fidem factis, quatenùs omnium offenſarum Divinarum, quæ à ſuis domeſticis & ſubditis committuntur, per quas DEUS blaſphematur & negatur, reus ipſe efficitur.

Eſt præterea is, qui ſuorum curam non habet, infideli deterior; quandoquidem multos infideles videmus, quantam curam illi, ſive ſubditorum, ſive familiæ, ſive filiorum habeant, ut multos catholicos hac in parte ſuperare videantur. Ad talem curam omnes Patres-familias hortatur S. Auguſtinus. Ubi dicit : *Unusquisq; Pater-familias hoc nomine agnoſcit paternum ſe affectum ſuæ familiæ debere. Pro Chriſto & vita æternâ ſuos omnes admoneat, hortetur, corripiat, impendat benevolentiam, exerceat diſciplinam, ita in domo ſua Eccleſiaſticum, & quodammodo Epiſcopale implebit officium, miniſtrans Chriſto, ut in æternum ſit cum Chriſto.*

Hæc conſiderans, illud conclude: ut ſis in æternum cum Chriſto, ut Chriſto miniſtres, neceſſarium eſſe, ut epiſcopale domi tuæ impleas officium, & curam domeſticorum habeas. Confundere ſi in aliquo huic obligationi defuiſti, tecum ipſe diſpice, quomodo deinceps te gerere debeas, firmiſq; & convenientibus propoſitis id ſtatue.

Colloquium ad Sanctiſſimum JOSEPHUM, cui humillimè ſupplica, ut is deſponſatus pretioſiſſimæ DEI Parenti, putaticius Pater effectus incarnati Filij DEI, atq, conſtitutus ſuper illam ſacram familiam, quã Trias illa Sanctiſſima: JESUS, MARIA, & JOSEPH efficiebat, præſtet ſua interceſſione, ut integerri-

tegerrimæ ſuæ converſationis exempla, Verbo incarnato præſtita obſequia, & ſolicitam curam circa illius Sanctiſſimæ Familiæ commoda, imitari & æmulari poſſis, per inculpatam tuam converſationem, per bona & ſancta opera, & Chriſtianæ virtutis exempla, tandem per convenientem & Chriſtianam familiæ tibi commiſſæ adminiſtrationem, & ut, talia imitando, præmia fidelis miniſterij conſequi merearis in cælis.

In Fine: oratio de S. JOSEPH. Sanctiſſimæ Genitricis tuæ, Sponſi &c.

Meditatio De fine hominis Religioſi & medijs ad talem finem

Præludium 1. Imaginare Chriſtum ordinantem Eccleſiam, & in ea certam ſtatuum diverſitatem conſtituentem. juxta illud Apoſtoli ad Eph. 4. *Ipſe dedit, quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam verò Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores.*

Præludium 2. Poſtula gratiam, ut cognoſcas finem & obligationem hominis Religioſi, ejuſq; ad hunc finem media & adjumenta, utq; his convenienter uti velis.

PUNCTUM I. Audi ſapientem Proverb. 4. dicentem: *Juſtorum ſemita quaſi lux ſplendens, procedit & creſcit uſq; ad perfectam diem.* Et conſidera verbis his exprimi finem hominis Religioſi, ejuſquè obligationem.

Finis Religioſi eſt, continua ad perfectionem tendentia, & continuus in virtute progreſſus. Religioſi ad religionem hac intentione veniunt, ut re-

lictâ

lictâ viâ latâ & spatiosa, quæ ducit ad interitum, relictis semitis sæculorum, quas calcârunt viri iniqui, relictis vijs difficilibus & incertis, scilicet relictô sæculô & vita sæculari, incedant semitâ justorum, serviantq; DEO in sanctitate & justitia omnibus diebus; vitæ.

Religiosi veniunt ex sæculo, non ut subsistant in via, quam ingrediuntur, aut secus viam sedeant, contenti eo Justitiæ & virtutis gradu, quem in primò religionis ingressu adepti sunt, sed ut semper progrediantur, hâc semitâ eundo de virtute in virtutem, de uno perfectionis gradu in alium, ut procedant sicut lux splendens, ubiq; splendorem virtutis, sanctitatis, & bonæ conversationis diffundendo, optimisq; exemplis, alijs prælucendo. Ut procedant sicut lux, crescendo usq; ad perfectum diem, hoc est, enitendo, ut virtus eorum sit aliquando in auge, sit in meridie, diemq; perfectum faciat.

Hæc considerans, fac reflexionem supra te ipsum, quem finem intenderis dum ires ad religionem. Hicné tuus finis, an alius fuerit? an etiam nunc, dum vivis in religione, eundem spectes & intendas? an ad hunc finem omnes tuæ collimant actiones? Vita tua religiosa estne semita justorum? estne semita quasi lux splendens? splendetne virtutibus & exemplis bonis? proceditne & crescit usq; ad perfectum diem? an non potiùs in dies magis decrescit? an in vesperam & tenebrosam noctem, hoc est ad vitam, vitâ sæculari deteriorem, non declinat? quodsi inveneris, alio te fine ad religionem venisse, aut etiam nunc vivendo in religione alium te finem intendere; Item non vivere te, juxta vocationem & obligationem statûs tui religiosi, adeòq; non incedere semitâ justitiæ, non progredi de virtute in virtutem, non crescere quasi lucem splendentem; confundere coram DEO, corrige intentiones tuas, dirige gressus tuos, ut semitâ justorum deinceps pro-

cedas, & quasi lux splendens crescas usq; ad perfectum diem, per perfectam instituti tui religiosi observationem.

Fac proposita non universalia tantùm, sed particularia, factâ priùs reflexione, & per illam deprehensô, quinam maximè defectus, lucem tuam obscurant & impediunt, ne crescas usq; ad perfectum diem. Postula à Christo qui est via, veritas, & vita, ut ipsius sequendo vestigia, juxta consilia ejus vivendo, posthàc semper semitâ justorum procedas, neq; ab hac unquam declines, ut tua vita & conversatio sit quasi lux splendens, & crescens usq; ad perfectum diem, hoc est, quousq; tibi non illuxerit perfectus æternæ felicitatis dies.

Punctum II. Audi verba illa Isaiæ 5. *Vinea Domini exercituum, domus Israël est, & viri Juda, germen ejus delectabile.* Audi item eundem Prophetam paulò superiùs dicentem: *Vinea facta est dilecto meo & sepivit eam.* Et Considera: vineam hanc, quâ olim figurabatur domus Israël typum esse Religionū, Ecclesiæ Christi, & statûs religiosi. De his, coram sponso suo Christo, gloriatur Ecclesia, dum aliquam Religionem institui, vel antiquam propagari, vel primævum ejus spiritum instaurari videt, dicitq; cum lætitia: *Vinea facta est dilecto meo.*

Homines Religiosi sunt talium vinearum germen delectabile; hi enim, ratione suæ constantiæ, fortitudinis, & imitationis Christi, qui est leo de tribu Juda, rectè appellantur viri Juda, germen delectabile. Ab hac vinea & germinibus, dominus vineæ expectat fructus virtutum multiplices, uvas ori suo gratas, vinum illud præstans, quod se bibiturum in Regno Patris sui Christus appromisit. Porrò ut vinea hæc, Domino exercituum, fructificet, hoc primum mèdium ille ipse adhibuit, quòd sepiverit eam, ne esset in direptionem & conculcationem, ne Aper de silva vastet eam. Sepes verò ulteriùs, qui-

quibus ordines & homines religiosi septi sunt.

Sunt 1*mò*. singularis Divina providentia, quâ Dominus exercituum protegit & munit suas vineas, & homines religiosos, impediendo graviores eorum tentationes, nec permittendo graviùs tentari, avertendo graviorum peccatorum occasiones, quibus obnoxij sunt homines sæculares.

2*dò* Sepes religionum sunt: præcepta, consilia, & exempla Christi, quæ hominem religiosum continent intra virtutis terminos: hostes animæ & prædones arcent, eorumq; tela retundunt.

3*tiò* Sepes hujus vineæ sunt Vota religiosa, quæ nulla ratione transgredi fas est, quæ quamdiu integra & inviolata sunt, vineæ non veniunt in direptionem & conculcationem, & fructum desideratum afferunt. Votum Paupertatis, murum appellat S. Pater meus IGNATIUS, quô tanquam sepe, cincta vinea Domini, à vastatore est tutissima; votum etiam Castitatis, est seps muniens vineam, seps est custodia sensuum, sine qua castitas difficilè servari potest, hæc seps si corruat, aper de silva vastat vineam Domini. Votum pariter Obedientiæ, aut seps est, aut cùm sit velut baculus senis, sepem vineæ religiosæ fulcit, quò firmior esse possit.

4*tò* Seps harum vinearum, scilicet sacrarum religionum, sunt constitutiones, regulæ, instituta earum, & quævis ordinationes sive instructiones; horum enim observatione, religiones in sua integritate continentur & conservantur. Hæc arcent feras, apros, latrones, ne vineæ Domini veniant in conculcationem & direptionem. Collapsâ hâc sepe, hoc est, collapsâ disciplinâ religiosâ & regulari, instituti observantiâ, vastantur vineæ, silvescunt-labruscas germinant, nec ferunt fructum desideratum.

5*tò* Sepes religionum sunt, gratiæ Divinæ, quas DEUS abundè & copiosè confert hominibus reli-

religiosis, ad superandas tentationes & hostes animæ fugandos.

6tò tandem sepis loco est vigilantia Superiorum, avertentium à suis subditis ea omnia, ex quibus virtus & perfectio ipsorum, aliquod detrimentum pateretur, & per quæ accessum aliquem aut mundus, aut caro, aut dæmon haberet ad vineam hanc electam.

His consideratis, æstima gratiam vocationis tuæ ad statum religiosum; et reflecte te, an talibus sepibus munitus, in virtute & perfectione crescas, & fructum feras, quem à te expectat Dominus vineæ, an non facias labruscas, & uvas acerbas? an divinâ Providentiâ arcente à te occasiones graviorum lapsuum, ipse te in eas non ingeras? an extra occasiones constitutus, non sis aliquando graviter lapsus?

Reflecte te iterum, quomodò imiteris exempla Christi? quomodo observes præcepta, & an sequaris consilia evangelica? sepes etiam votorum religiosorum suntne integræ? an non sint aliquâ saltem sui parte collapsæ? estne paupertas tua murus inconcussus? puritas tua & castitas estne Angelica, munita sensuum custodiâ, quæ ab anima tua hostes & prædones arceat? an certè ipsi tui sensus, non bene custoditi, non sint tales prædones? an oculus tuus non est deprædatus animam tuam? Obedientia tua an non sit fragilis arundo?

Institutum etiam religiosum, disciplina regularis, an per tuas transgressiones, licentiosas libertates, & laxitates, non collabatur.

Reflecte te ulteriùs, usúsne sis gratijs, tibi copiosè collatis, ad superandas tentationes? an non ultroneè, abjectis ijsdem & contemptis, hostem in animam tuam non immiseris?

Reflecte te tandem, quomodo in te profecerit vigilantia superiorum tuorum? an furtivè lo-

cum in te non dederis, sive concupiscentiæ carnis, sive concupiscentiæ oculorum, sive superbiæ vitæ.

Elice affectus confusionis, gratitudinis DEO, pro tot ad finem tuum consequendum tibi provisis medijs, tac proposita. Pete suppliciter à DEO, ne has, quas tibi providit sepes, à te aliquando auferat, ne eas dirui permittat, ut non permittat vineas suas venire in direptionem & conculcationem.

PUNCTUM III. Audi verba ejusdem Prophetæ, capite citato, de hac ipsa vinea dicentis: *Et lapides collegit ex illa, & plantavit eam electam, & torcular extruxit in ea.* Atq; his verbis alia media expressa esse existima, ut vineæ religiosæ fructum afferant, & finem suum consequantur.

Ex insinuatis hic medijs 1*mum* est. Quod Dominus vineæ lapides ex ea colligat. Tales lapides sunt: defectus aliqui irrepentes, prava aliorum exempla, & aliqui religiosi, per incorrigibilitatem, obdurati in malo. Lapides hi plurimùm nocent vineæ Domini, hoc est, congregationibus & ordinibus religiosis, impediuntq; vineæ fertilitatem, colligit hos lapides Pater-familias & Dominus vineæ, non tolerando imprimis defectus irrepentes, sed per tot media illos corrigendo. Qualia media sunt: delationes defectuum, monitiones privatæ delinquentium à superioribus, publicæ reprehensiones, correctiones, & pœnitentiæ, frequens Sacramentorum, meditationum, examinum usus, exercitia Spiritualia, & hujusmodi alia. Tollit iterum lapides Dominus vineæ, avertendo mala exempla, sive externa, sive domestica, & si quid contingat, remedium conveniens, per superiores afferendo. Tandem colligit tertij generis lapides, nimirum religiosos, per incorrigibilitatem obduratos in malo, eos emolliendo, vel etiam, si omnino corrigi nolint, extra vineas eijciendo, illosq: sæculo reddendo.

2*dum* Medium verbis adductis insinuatum est

eſt: Quòd Dominus exercituum, unamquamq; vineam plantaverit electam, non ſolùm per hoc,quòd omnes religiones ab Eccleſia approbatæ, ex Spiritûs Sancti inſpiratione ſunt inſtitutæ, quòd Sanctiſſimas leges habent, quód ſint in certa & ſecura ſalutis viâ. Sed etiam, quia DEUS ad religiones, ſeu ſacros ordines, vocat homines præcipuos, electos ex millibus, quibus mundus non erat dignus. Dominus vineæ plantat vineam ſuam electam, dum unumquemq; accomodatè ad ipſius complexionem,inclinationes, vires, & talenta, vocat ad eam religionem, quam ſcit illi maximè congruere, ad religionem, quam ab æterno prævidit, reſpectu illius, futuram medium maximè opportunum perfectionis & ſalutis æternæ conſequendæ. Plantat vineas electas in ſacris religionibus, plantando non vites aliquas ſteriles, labruſcarũ & uvarum acerbiſſimarum productione, hoc eſt, multorum criminum in ſæculo perpetratione, effætas, ſed plantando germen delectabile, & ex mundo plantationes novellas, hoc eſt, homines in tenera adhuc ætate, in prima innocentia conſtitutos transferendo, & in vineis religioſis transplantando, & non tam deſerentes, quàm ignorantes ſæculum, ad religionem perducendo. Plantat poſtremò Dominus exercituum vineas electas, dum in unius cujuſq; religioſi animâ, per ſuas ſanctas illuſtrationes, inſerit præſtantiſſima virtutum germina. Germina delectabilia, quæ inſerit, ſunt: paupertas, caſtitas, obedientia, humilitas, orationis ſtudium, amor DEI & proximi, conformitas cũ Divina voluntate,aliæq; hujuſmodi virtutes. Has plantando in anima cujuſq; religioſi, Pater cæleſtis plantat vineam electam.

3tium Medium ad hoc conducens, ut religioſæ vineæ fructum præſtantem & uberem faciant, eſt, quòd Dominus vineæ, in unâquâq; religione, tanquam ſuâ vineâ, extruxerit torcular, quo exprimitur vinum, ori Domini vineæ gratiſſimum. Talia

Talia torcularia sunt: mortificationes & pænitentiæ in religionibus usitatæ, castigatio corporis, abnegatio sui ipsius, humiliationes ultroneè susceptæ & quæsitæ, contumeliæ, confusiones voluntariæ, labores usq; ad defatigationem, ad sudoris, imò quandoq; ad sanguinis effusionem suscepti, compunctio cordis educens ex oculis fontes lacrymarum &c. Hæc torcularia exstruxit in vineis religiosis Dominus earundem, dum religiones sacras voluit esse statum pœnitentiæ, gymnasia patientiæ, officinam crucifixorum, in qua in unoquoq; religioso formatur Christus isq; cruxifixus; dum Christus ad has vineas non aliter vocat, nisi ut post eum crucem ferant, ut cruce tanquam torculari premantur, ut suam carnem cum concupiscentijs crucifigant, ut lacrymis suas & alienas culpas defleant, ut in ijs, tanquam strenui operarij, laborent usq; ad sanguinis profusionem.

His consideratis, humillimas DEO age gratias pro solicita ipsius cura circa vineas suas, sive in colligendis offensionum lapidibus, sive in plantatione harum vinearum, ut sint vineæ electæ, sive in exstruendo torculari ad exprimendum vinum. Age pariter gratias, quòd te in una harum vinearum plantaverit. Admirare Divinam & circa vineas ipsas, circa germina in ipsis plantata, & circa te ipsum, magnam providentiam. Agnosce verè illud à D. Bernardo dictum. *In religione homo vivit puriùs, cadit rariùs, surgit velociùs, incedit cautiùs, irroratur frequentiùs, quiescit securiùs, moritur fiduciùs, purgatur citiùs, præmiatur copiosiùs.*

Fac deinde reflexiones supra te ipsum, & imprimis, ad te referendo verba illa: *Collegit ex ea lapides:* cogita, quòd plures lapides, hoc est, plures defectus colligendi reperiantur in vinea animæ tuæ. ô quantum laborem causas cultoribus vineæ hujus in ijs colligendis! An ipse eosdem colligere consveveris

 veris

veris per meditationes, examina conſcientiæ, variaſq; ſanctas reflexiones ? Tecum ipſe diſpice, an pravo tuo exemplo, non impediveris fructus ſpirituales in conſodalibus tuis ? an non tuo exemplo ſit imputandum, quòd aliquæ vites, quæ aliquando fuerunt germina delectabilia, nunc labruſcas producant ? An non ſis lapis per incorrigibilitatem obduratus, aliquando extra tuam vineam, hoc eſt extra religionem eijciendus ?

Reflecte iterum te ſupra illa verba: *Et plantavit eam electam*, hæc etiam ad te referendo. Et cogita, in quali vinea Dei beneficio plantatusſis ? an non in vinea electa ? an non in vinea illa, in quâ uberrimos fructus, & uvas ori Divino gratiſſimas proferre potes ? quomodo religio hæc, ad quam vocatus es, ex omnibus maximè ſit accomodata tuæ complexioni, viribus, talentis, inclinationibus, quot in ea habere poſſis media, ſulcos inutiles, hoc eſt imperfectiones præcidendi. Cogita plantatum te eſſe inter germina, quæ ſibi DEUS elegit ex millibus, quæ ferunt fructus uberrimos, uvas acceptiſſimas. Cogita etiam te plantatum eſſe, cùm per ætatem tuam & indolem ad omne bonum flexibilem, eſſes germen delectabile, & quomodo factum eſt, ut nunc ſis vitis ſterilis, vitis effœta, vel certè labruſcas producens. Time, ne ſis plantatio aliquando eradicanda ! Vide etiam, an anima tua ſit vinea Domini exercituum, varijs ab eo virtutibus plantata ? eſne ager, inſpirationes Divinas, & ſancta lumina, aliarumq; gratiarum Divinarum imbrem ſuſcipiens? an ſuccreſcant in te virtutum germina per continuum ſtudium, & frequens earum exercitium ? an non potiùs hæc germina ſuffocaverunt vepres & ſpinæ, ex maledicta terra, hoc eſt ex prava tua voluntate aſcendentes?

Reflecte te tandem, ſupra illa verba: *Torcular exſtruxit in ea*, hæc ipſa ad te referendo, & cogita,

an non exhorrescas torcular mortificationum, pœnitentiarum, afflictionum, crucis Christi? an vivis in religione tua tanquam in statu pœnitentiæ, tanquam in schola patientiæ? an formes in te Christum crucifixum? an mortificationem ejus feras in corpore tuo? an carnem tuam crucifigas & Christo configi studeas? an labores in religione usq; ad defatigationem; an peccata tua defleas? an cum lacrymis contriti cordis vinum exprimas gratum ori Divino.

Confundere de defectibus quos advertes. Ad bonum usum propositorũ mediorum, & ad ferendũ fructum te excita, timore comminationis illius apud eundem Prophetam: *Auferam sepem ejus, & erit in direptionem; diruam maceriam ejus, & erit in conculcationem, ponam eam desertam, & non putabitur, & non fodietur, ascendent super eam vepres & spina, & nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem.* Fac proposita reflexionibus accõmodata.

In colloquio Postula à Domino vineæ, ut mittat operarios, qui in ejus vinea colligant scandala, defectus eliminent, obduratos lapides vel emolliant, vel extra septa eijciant. Pete deinde, ut vineas suas plantet electas, nec cesset ad eas transferre germina delectabilia, & vites fertiles ac fructuosas. Tandem conclude verbis & affectu Psalmistæ: Psalm. 79. *DEUS virtutum convertere, respice de cœlo & vide, & visita vineam istam, & perfice eam, quam plantavit dextera tua, & super filium hominis, quem confirmâsti tibi.*

In fine: Anima Christi.

Meditatio
De vocatione ad statum sacerdotalem.

Præludium 1. Imaginare ordinationem SS. Apoſtolorum, quâ à Chriſto Domino, in ultima cæna, ordinati ſunt in Sacerdotes.

Præludium 2. Poſtula à DEO, ut agnoſcas dignitatem vocationis tuæ, ejuſq; obligationem.

PUNCTUM I. Audi illa verba S. Pauli Apoſtoli ad Epheſ. 4. *Obſecro vos, ut dignè ambuletis vocatione veſtrâ, quâ vocati eſtis.* Et cogita obſervationem hanc Apoſtoli, licèt intelligi poſſit de vocatione ad quemcunq; vitæ ſtatum in Chriſtiana religione & Eccleſia Catholica, præcipuè tamen intelligi & applicari poſſe, atq; in hac meditatione applicandam eſſe, vocationi ad ſtatum ſacerdotalem. Circa quam in puncto præſenti conſidera ulteriùs, Sacerdotum, in Chriſti Eccleſia, plura eſſe munia, ſeu officia & functiones. Nimirum:

1mò Ut incruentum ſacrificium DEO immolent & offerant, quemadmodum pro populo, ita & pro ſemetipſis. Pro vivis item atq; defunctis: & ut ſacrificando conficiant Conſecratione Corpus & Sanguinem Chriſti ſub panis & vini ſpeciebus.

2dò ut miniſtrent ſacramenta Chriſti fidelibus, & miniſtrando Sacramentum Pœnitentiæ, exerceant Judiciariam poteſtatem, remittendo peccata, vel etiam retinendo & ligando, juxta pœnitentis diſpoſitionem, & intra poteſtatis ſuæ terminos.

3tiò Ut ſint diſpenſatores myſteriorum DEI.

4tò Ut ſint medici morbos animæ curantes.

5tò Ut ſint Magiſtri & Doctores erudientes multos ad Juſtitiam, veram Chriſti fidem docentes, & viam ſalutis fidelibus demonſtrantes.

6tò tandem muneris Sacerdotum eſt, ut DEUM orent, iratum placent hominbus, & legationis ad DEUM munere fungantur.

Hæc conſiderans, vide quæ & quanta munia & officia, ex vi ordinis ſacerdotalis, cōmiſſa habeas. Reflecte te, an & quomodo ſingula obeas, & quam

curam & diligentiam adhibeas, ut dignè ea obire possis.

PUNCTUM II. Considera vocationis ad statum sacerdotalem, ipsiusq; hujus statûs magnam dignitatem. Etiam in veteri lege, sacerdotalis dignitas præcipua & una ex maximis erat. Regali hæc æquabatur. Unde etiam duæ tribus, una tribus sacerdotalis Levi, altera tribus regia Judæ, conjunctæ & sibi permistæ erant. In lege Christi, sacerdotalis dignitas tantò excellentior est, quantò ipsum sacerdotium hujus legis, præeminet sacerdotio veteri. Hoc figura fuit, illud res figurata. Sacerdotiũ legis veteris originem habuit ab Aaron, & ab hoc in filios successio descendebat; sacerdotium novæ legis originem habet à Christo, & ab ipso descendit per specialem vocationem, & à legitimis Episcopis factam ordinationem. Munia Sacerdotum veteris legis fuerunt: ignem altaris custodire, sacrificia pecorum immolare, incensum adolere, panes propositionis recentes apponere, cerimonias legales observare & custodire &c. Quæ sint munera sacerdotum novæ legis, considerâsti puncto præcedenti, eorumq; dignitatem deinceps considerabis ampliùs. Ex utriusq; sacerdotij veteris & novæ legis comparatione, sacerdotii tui dignitatem facilè intelliges. Independenter ab hac comparatione, magna præterea sacerdotij novæ legis dignitas est. Quia.

Imprimis dignitas sacerdotij novæ legis, est dignitas regalis. Hoc enim sacerdotium est secundùm ordinem Melchisedech, qui rex simul & sacerdos fuit. Sacerdotes Christi sunt principes super omnem terram constituti, sunt gens sancta, populus electus, coronata capita, sunt tales reges, qualis Rex, ipse Christus fuit, dum in corpore mortali, mortalis inter homines viveret, hoc est, sunt reges, non ad exigenda tributa, non ad exercitus ferro armandos, hostesq; visibiliter debellandos, sed quòd men-

tes regant, quòd in æternum consulant, quòd credentes, sperantes, amantes in regnum cælorum perducant. Quarè cùm dignitas regalis Christi longè excellentior fuerit, Regum & Principum terræ potestate & dignitate, etiam dignitas Sacerdotum præeminet dignitati terrenorum Regum & Principum.

Imò sacerdotij dignitas major est dignitate summi Pontificatûs, si hic præcisè spectetur quoad supremã & universalẽ Jurisdictionẽ supra totã Christi Ecclesiã. Nam Papæ, ex vi sũmi Pontificatûs præcisè à sacerdotio accepti, convenit Potestas in Corpus Christi mysticum, hoc est, in omnes fideles & Ecclesiam. Sacerdotij verò potestas, est potestas in Corpus Christi verum & reale, ita, ut vel in ipso Papa nihil sit admirabilius, nihil potentius, ipsô ejusdem sacerdotiô.

2dò Sacerdotij dignitas major est dignitate Angelicâ. Quod enim non est concessum Angelis, concessum est homini Sacerdoti. Quod Sacerdotes conficimus, adorant Angeli, nec conficere possunt, satisq; honoris se habere existimant, quòd Sacerdoti celebranti tanquam famuli assistant.

3tiò Sacerdotij dignitas est aliquatenus similis dignitati Maternitatis Christi, quæ tota in hoc stat, quòd Beatissima DEI Parens genuerit mundo Salvatorem & Redemptorem Christum JESUM, DEUM verum & hominem. Hunc ipsum Sacerdos, in suo sacrificio, generat & producit per consecrationem, realemq; Christi præsentiam ponit sub speciebus panis & vini, idq; non semel hoc duntaxat facit, sed toties, quoties sacrificat; generat autem Christum non parvulum, non mortalem & passibilem, qualem genuit Mater Sanctissima, sed generat Christum in mensura ætatis & plenitudinis suæ, immortalem, impassibilem, gloriosum & glorificatum; generat Christum Redemptorem & Salvatorem; ita enim conficit Corpus, & Sanguinẽ Christi, ut statim im-

immolet eundem Chriſtum, tanquam Agnum immaculatum, in redemptionem & ſalutem Fidelium.

4tò Sacerdotij dignitas eſt eadem moraliter cum dignitate Chriſti. Sacerdos enim conficiens Sacramenta, eſt eadem moraliter perſona cum Chriſto, conficit Sacramenta repræſentando perſonam & in nomine ipſius, in poteſtate etiam & virtute ſibi à Chriſto collata. Inſuper conficit illa ſermonibus & verbis Chriſti, vel certè verbis à Chriſto ad id inſtitutis.

5tò Sacerdotij dignitas eſt dignitas propè Divina. Sacerdos enim ea operatur, quæ ſolius ſunt virtutis & poteſtatis Divinæ. Quis poteſt dimittere peccata, nonne ſolus DEUS? hanc poteſtatem Chriſtus contulit Sacerdotibus. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Judicium mundi & hominum, eſt res ad DEUM propriè ſpectans. Judicium hoc Pater æternus commiſit Unigenito ſuo Filio, juxta illud Ioan. 10. *Pater omne Judicium dedit Filio.* Filius autē hoc ipſum Judicium & poteſtatē judiciariā dedit Sacerdotibus, ipſoſq; conſtituit Judices, ut judicent 12 tribus Iſrael, hoc eſt, ōnes Chriſti fideles: ita ut terreſtre Sacerdotis Judiciū (prout ait S. Leo) *Sit præjudicata authoritas in cœlo, ut quæ in terris aut ligata ſunt aut ſoluta, ſtatuti ejuſdē conditionē obtineant & in cœlo.* Divinum opus eſt diſponere de Regno Cœlorum: Poſt hoc, morte Filij DEI reſeratum, penes Sacerdotes eſt poteſtas clavium. Sacerdos cœlum aperit, & nemo claudit; claudit & nēo aperit. Virtus etiam patrativa miraculorum, eſt virtus ſoli DEO propria, DEUS enim eſt, qui facit mirabilia magna ſolus. Hanc virtutem contulit DEUS ſacerdotio. Sacerdos ſacrificando facit miraculum miraculorum, & myſteriorum maximum. Sacerdos voce ſuâ (DEO obediente homini (è ſinu Patris æterni, Filium ejus incarnatum ad terras deducit, ſpeciebus panis & vini alligat, facit cum hominibus permanere, pane hôc cœleſti, ſub

modicis speciebus, non solùm septem millia hominum, sed totum mundum potens est reficere. Ad vocem Sacerdotis, sacrosancto altaris mysterio, Angelorum chori adesse festinant, sociantur summa imis, ima & terrena junguntur cœlestibus, ex visibilibus, atq; invisibilibus unum quid efficitur.

6tò Ad dignitatem Sacerdotij accedunt & hæc, quòd Sacerdos sit Minister & Dispensator mysteriorum DEI, sitqvè Thesaurarius Verbi Incarnati; ipse in sua dispositione & manibus habet infinitum meritorum Christi thesaurum, immensas cœlestium gratiarum & donorum opes, illasq; liberaliter elargiri possit, pro una lacrymula, pro pectoris tunsione, pro pœnitentis cordis suspirio, pro humili peccatorum confessione.

Quòd Sacerdos sit medicus spiritualis, quòd animas sanet, quòd non solùm vitam spiritualem protrahere possit, sed etiam mortuos in anima resuscitare, & ad vitam revocare valeat. Quòd tanta virtute medendi polleat, ut nullus morbus sit insanabilis, nullum vulnus, respectu illius, incurabile. Quòd non aliâ medicinâ utatur ad curandos animi morbos, nisi pretiosissimo, sanguinis ex Christi vulneribus profluentis, balsamô. Quòd efficacissima remedia in promptu habeat, quæ ex præscriptione hujus medici applicata, vim magnam habent, non solùm ad sanandos, sed etiam ad præcavendos ulteriores morbos & mortem animæ.

Accedit adhuc & illud ad dignitatem Sacerdotis, quòd ratione potestatis prædicandi verbi Divini, fungatur charactere & officio Legati à DEO missi. Sacerdotes sunt præcursores adventûs Domini, sunt Apostoli, orbis magistri, Doctores gentium, sunt Evangelistæ, Christi Evangelium annuntiantes, sunt Prophetæ prædicentes futura; præmia scilicet bonorum & supplicia impiorum. Mittuntur illi & legatione funguntur, non solùm ad Reges terræ &

Prin-

Principes, ac divites hujus ſæculi, ſed etiam ad pauperes, rudes, & ſimplices. mittuntur tam ad juſtos, quàm ad peccatores; ad hos, ut convertantur à vijs ſuis peſſimis, & pœnitentiam agant; ad illos, ut in virtute proficiant, ſerviantq; Domino in ſanctitate & Juſtititia; ut, qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc, nec viam Juſtitiæ deſerant unquam. Mittuntur ad Jnfideles & ad fideles, ut illi per ipſos lumen fidei accipiant, hi ut in lumine fidei ambulent, nec illud vitijs obſcurent. mittuntur ad omnes, ut omnes ad Chriſtum adducant, & omnibus viam ſalutis demonſtrent. Puncta legationis ſunt, ut homines agnoſcant unum DEUM, & quem Pater miſit JESUM Chriſtum Filium ejus unigenitum, ut prædicent Regnum DEI & Juſtitiam ejus, ut prædicent pœnitentiam, ut prædicent non ſemetipſos, ſed JESUM Chriſtum & hunc Crucifixum, ſuâq; prædicatione efficiant, ut in fidelibus formetur JESUS Chriſtus.

Tandem & hoc auget dignitatem ſacerdotis, quòd non ſolùm ſit legatus DEI ad homines, ſed etiam, quòd ſit orator & legatus ad DEUM & Chriſtum, à ſponſa ejus, militante Eccleſiâ conſtitutus. Magna hinc Sacerdotis eſt dignitas. Cùm Chriſtus Sponſam ſuam amet, libenter hos legatos audit, libenter habet proponi ſibi per ipſos negotia & neceſſitates Eccleſiæ, vota & deſideria populorum. Oratores hi, ſunt primæ admiſſionis; non ſolùm illis ſemper patet acceſſus ad Chriſtum, ſed etiam tenentur ſæpiùs cum eo tranſigere, conferre, & commiſſa ſibi tractare. Ipſis licet ingredi ſancta Sanctorum, ipſi latus Regis ſæculorum & thronum ſtipant, in quo reſidet Chriſtus Euchariſticus. Sacerdos, dum alij ſilent, in templo tanquam dignior & ex officio loquitur cum DEO, habetq; publicam audientiam, ſæpè etiam ſecretò loquitur tanquam amicus cum amico.

PUNCTUM III. Circa verba ſuperiùs adducta

Pun-

puncto 1. hoc considera. Si tanta est dignitas statûs sacerdotalis & vocationis ad eundem statum, sequi hinc legitimè, Sacerdotem oportere tali vocatione dignè ambulare. Certè sancta sanctè tractanda sunt, & tantæ Personæ dignitas, cum dignitate sustinenda. Non modicè enim derogatur dignitati non solùm Sacerdotis, sed etiam DEI & Christi, cujus personam sacerdos agit, si mores non respondeant professioni, & tanti muneris sanctitati.

Porro, ut quis dignè ambulet vocatione ad talem statum.

Requititur 1*mò* Ut in Sacerdote sit puritas plusquàm Angelica, puritas conscientiæ, quàm maxima, summa innocentia, &integritas vitæ. Dum sacra peragis mysteria ô Sacerdos, Rex Angelorum est, quem consecratione in Eucharistiam deducis, & in ea adoras; Angeli ipsi assistunt; Angelorum panem & tu ipse manducas, & tali pane alios reficis. Quidni igitur & ipse Angelus eris? oportet te purissimos Spiritus, Angelica puritate, æmulari. Dum sacrificas, Agnum immaculatum immolas, quarè curandum tibi est, ut & ipse sis agnus sine macula; cavendum, ne propter lupinos mores, sis lupus agnum comedens. Dum ad altare accedis, procedis, Albâ & splendidum apparatum indutus, quô sacerdotalium vestium nitore admoneris, ut tua conscientia, primâ stolâ, hoc est, gratiâ sanctificante fulgeat in oculis DEI, ut anima tua, tanquam sponsa coram suo Sponso Christo, compareat in vestitu per Charitatem deaurato, circumdata sanctarum virtutum & meritorum varietatibus atq; ornamentis. Nullius tunc labis, præcipuè mortalis, conscius esse debes, vult Christus ut sis mundus totus. Licèt verò talis fueris, hoc est à gravioribus peccatis, per gratiam DEI liber, exigit à te tanti mysterij sanctitas, ut & pedes laves, hoc est, dum adest copia confessarij, ut etiam venialia, & pulvisculos pedibus ad-

hærentes, per Sacramentum pœnitentiæ, vel etiam lacrymis ex contrito corde profusis abluas. Christi Personam agis, imitare Christi sanctitatem, Christum induere, eumq; ita moribus & sanctitate exprime, ut jam non tu vivas, sed Christus in te vivat. Es quodammodo Mater Christi, ipsum in Sacramento producens & generans, magna, proinde in te puritas inveniri debet. In Matre Sanctissima, tanta fuit puritas, ut nec actuali nec originali labe fuerit unquam contaminata; tu ad eam saltèm puritatem enitaris, ut nullô unquam, non solum mortali peccatô, sed etiam veniali, maximè verô deliberato, maculeris. Christum manibus tractas, in ulnas tuas sicut alter Simeon suscipis; ita illum porta, ut post quodvis Sacrificium, & Sacramentalē Christi susceptionē, securè & cū certa spe salutis, immediatè mori possis, illudq; cū Simeone occinere: *Nunc dimittis servum tuum &c:*

Requiritur 2*do* in sacerdote, ut dignè ambulet vocatione sua, magna in DEUM & proximum charitas. Quævis Sacramenta, quæ Sacerdos ministrat, sunt Sacramenta pietatis, sunt signa unitatis, & charitatis vincula, debent igitur & in suscipientibus & in ipso ministrante accendere magnam charitatem. Sacerdotio veteris legis demandata fuit cura custodiendi & fovendi ignis in altari. Ignis qui in altari custodiri debet à Sacerdotibus novæ legis, est Christus Eucharisticus; sed & ipsa anima atq; cor Sacerdotis, altare esse debet, in quo Sacerdos custodire & fovere debet ignem charitatis in DEUM & proximum. Duæ candelæ in altari accensæ, dum Divina celebrantur, quid aliud significant, nisi quòd cor Sacerdotis Divina celebrantis, gemino hoc duplicis charitatis igne ardere debeat. Debet tali igne ardere cor Sacerdotis, dum circa salutem animarum laborat, sive prædicando, catechizando, instituendo; sive Sacramentum pœnitentiæ aliaq; Sacramenta ministrando. Si enim non arserit igne amoris Divi-

ni, non poterit ignem accendere in cordibus peccatorum. Debet etiā ardere igne charitatis erga proximum, quia debet condolere ijs, qui ignorant & errant, memor illius : *quoniam & ipse circumdatus est infirmitate.*

Requiritur 3*tiò* Fidelitas in dispensandis mysterijs; Ut Sacerdos censeatur dignè ambulare vacatione suâ, fidelitatē in ipso requirit S. Paulus 1. ad cor. 4. *sic nos existimet hōo, ut ministros Christi, & dispensatores Mysteriorū DEI. Hic jā quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* Rara quidē hæc virtus est, cæterùm cuivis Sacerdoti perquàm necessaria. Porro fidelitas in hoc consistit, ut Sacramenta & mysteria Divina, indigentibus, petentibus, & debitè dispositis, promptè ministremus, ut minùs dispositos disponamus, & instruamus, denegemus verò indignis, nec ad ea dispositis, imò nec disponere se volentibus, ut non demus sancta canibus, nec projciamus margaritas ante porcos. Ad hanc fidelitatem, & fortitudinem, quæ fidelitati conjuncta esse debet, hortatur Sacerdotes S. Chrisostomus: *Ut cum multo studio hæc dona distribuatis* (loquitur de sanctissima Eucharistia) *Non parva vobis imminet ultio, si quem culpæ ullius conscium, hujus mensæ participem esse concedatis. Sanguis ejus de manibus vestris exigetur.* Quod ita inteligi debet, ut publicè indigni, quales potissimùm sunt excommunicati, palàm & publicè arceantur à mensa Eucharistica, imò ab alijs etiam officijs Divinis. Qui privatâ notitiâ sciuntur indigni, si non possint ad saniorem mentem reduci, privata monitione prohibeantur à Sacramenti Sanctissimi susceptione. Similis fidelitas tantò magìs servanda est in administratione Sacrāenti pœnitentiæ, ne aliena peccata palpemus, ne excusemus, quæ excusari non possunt, nec debent, ne simus canes muti & non latrantes dum latrandum est, dum est monendus peccator de periculo animæ, de facienda

restitutione sive bonorum fortunæ, sive famæ, & honoris, de dimittenda & amovenda proxima peccandi occasione, de vita seriò emendanda. Ne indebitis resolutionibus laxemus fidelium conscientias, ne ob vanos respectus, pravis consilijs, simus alijs duces in præceps, & quos in cælum ducere tenemur, ne præcipitemus in infernum.

Requiritur 4*tò* in Sacerdote orandi assiduitas, & frequens per orationem cum Deo communicatio, ut verè de eo dici possit, *hic est sacerdos qui multùm orat pro populo.* Sicut Christus semper vivit ad interpellandum pro nobis, & rogat pro nobis Patrem, ita & Sacerdoti cuivis orandus est Pater cælestis deprecatione assidua. Sacerdos est orator & legatus Ecclesiæ, necessitates ejusdem in oratione Deo exponens. Cúm ergò hæ multæ sint & novæ ac novæ semper, non breviter nec perfunctoriè exponi debent. Ut oratio sit efficax, constans esse debet, nec satìs est, in ipsa cum Christo unâ horâ vigilare, sed totis noctibus orandum, sæpiùsq; in oratione pernoctandum est. Hanc orandi assiduitatem requirit in Sacerdotibus Ecclesia, multa in hunc finem ijsdem præscribendo.

Requiritur 5*tò* In rebus Divinis tractandis summa reverentia. Minima irreverentia & denegatio exigui quantumvis honoris, offendit terrestres Principes. Præscribi consveverunt multæ adorationes, genuflexiones, cerimoniæ, cum summa gravitate, modestiâ, demissione exhibendæ ab ijs, qui in conspectum Principum, ad transigenda cum ipsis negotia, admittuntur. Quantò magìs offendit DEUM irreverentia, quæ à Sacerdotibus committitur, dum hi ministrant in conspectu Domini, & celebrant Divina. Levem irreverentiam Ozæ Sacerdotis, quam commisit sua temeritate in contingenda Arca veteris testamenti, morte ejusdem punivit DEUS. Quæ pœnæ manebunt irreverentias in tra-

tractando corpore & ſanguine Chriſti, alijſq; Sacramentis adminiſtrandis, à pluribus Sacerdotibus committi ſolitas ? ritus & cerimoniæ ab Eccleſia præſcriptæ, vide qua gravitate, modeſtiâ, animi demiſſione & corporis compoſitione fieri debeant ? abſit ut hæc fiant more hiſtrionico & mimico, ut genuflexiones Sacerdotis ſint ſimiles genuflexionibus militum Chriſto illudentium. DEUS non irridetur.

Requiritur *6tò* ad dignè ambulandum vocatione ſacerdotali, ſufficiens in Sacerdote ſcientia, eruditio, & prudentia. Hæc enim requiritur in orbis Magiſtris & Doctoribus, in his, qui viam veritatis docere, & Evangelium Chriſti prædicare, ex vi ſui muneris, tenentur. Sine hac, nec Sacramenta fructuosè miniſtrari, nec Verbum DEI ſalutariter prædicari, nec conſcientiarum difficultates convenienter reſolvi poſſunt. Sine ſcientia & doctrinâ, ſacerdotium ſuſcipi non debet; poſt ſuſceptum verò, doctrina Sacerdotis frequenti & fere continuâ librorum lectione, meditatione rerum Divinarum & ſpiritualium, ſimilibuſq; medijs conſervari, ac etiam augeri debet. Curandum eſt, ne Eccleſiaſticus ita ſe immergat rebus tēporalibus, ut obliviſcatur ſpiritualium, vel ſtudium eorum negligat, ſine quorum ſufficienti notitia, officio ſuo convenienter & fructuosè fungi non poteſt.

7mò tandem requiritur, ut converſatio Sacerdotis ſit ſancta & exemplaris, ut Sacerdos ſit ſal, quod aſperſum condiat populos, ut ejus actiones ſint ad guſtum Divinum, & fideles, videntes opera bona ipſius, glorificent Patrem qui in cœlis eſt, habeantq; unde ædificentur, nec cogantur delinquere, ſi eum imitari velint. Sacerdotes non ſolùm incenſum offerre debent, ſed ipſi ubiq; & in omni loco debent eſſe bonus odor Chriſti, debentq; in praxi oſtendere, & demonſtrare exemplô, quod prædicatione docent.

His

His confideratis, æftima vocationis tuæ, ad ftatum facerdotalem, dignitatem, fimulque reflecte te fupra tuam, propter peccata à te cõmiffa, maximã indignitatẽ, & indignum te reputa eô, quô fungeris minifterio. Reflecte te, quàm indignè hactenus ambulaveris vocatione tua? Recogita; quæ & quanta in te puritas confcientiæ? an talis, qualem exigit & perfonæ quam agis, & myfteriorum ac Sacramentorum quæ adminiftras, excellentia & dignitas? quæ in DEUM & proximum charitas? quis animarum zelus? quàm fidelis fis difpenfator myfteriorum DEI? quod in te orationis ftudium? quis ad res Divinas meditandas, & cum DEO agendum affectus? quantam DEO præfenti exhibeas reverentiam, & cum quali, Divina peragis myfteria? quàm accuratus es in facris cerimonijs & ritibus obfervandis? An fis folicitus de habenda fufficienti fcientiâ & doctrinâ, ad munus facerdotale ritè obeundum. Quam curam habes, de bono nomine & de dando alijs bono exemplo.

Confundere, fi hæc in te aut non inveneris, aut defectuofa adverteris; fac propofita, curaturum te deinceps ea omnia & fingula, fine quibus non potes dignè ambulare vocatione tuâ.

In colloquio Supplica Chrifto, ut te dignum efficiat fuum Miniftrum, ac te in fe transformet, ut non quomodocunq; geras perfonã ejus, ac facerdotali munere & functione repræfentes, fed ut imitatione virtutum & exemplorum ejus, Chriftum in te quàm perfectiffimè exprimas, hacq; expreffione efficias, ut deinceps non tu vivas, fed vivat in te Chriftus. *In fine: Anima Chrifti*



Me

Meditatio
De vocatione ad beneficium ecclesiasticum habens anexam curam animarum.

Præludium 1. Imaginare actum institutionis, per quam institutus es in Pastorem & Rectorem Ecelesiæ tibi commissæ, vel etiam illum actum, quô S. Petrus institutus est à Christo in universalem totius Ecclesiæ Pastorem, illis verbis: *Pasce oves meas, pasce agnos meos.*

Præludium 2. Postula à Deo gratiam, quâ illuminatus agnoscas obligationem annexam beneficio Pastorali seu curato, & ut huic obligationi satisfacias,

Punctum I. Audi illa verba S. Pauli Apostoli ad Hebræos 13. *Obedite præpositis vestris & subjacete illis, ipsi enim pervigilant quasi rationē reddituri pro animabus vestris.* Et ex his verbis disce in munere Pastorali Præpositorum & Rectorū Ecclesiæ tria hæc inveniri. 1*mò* Honorē & jurisdictionē ipsorum spirituale in Oves suæ curæ cōmissas. 2*dò.* laborem & vigilias circa easdem oves, ac obligationem laborandi & vigilandi super gregem suum. 3*tiô* obligationem ad reddendam rationem pro animabus.

Convenit *imprimis* Ecclesiæ Dei Rectoribus honor & Jurisdictio. Ipsos siquidem Apostolus vocat Præpositos, vult ut illis obediatur, mandat ut hi subjaceant illis, qui ipsorum curæ committuntur. Illi habent potestatem nomine DEI, & nomine Christi summi Pastoris, præcipiendi legem Evangelicam, & leges Ecclesiæ promulgandi, ac etiam exigendi, ut hæ leges à fidelibus serventur; quia Pastores sunt, & vocem eorum oves audire & sequi tenentur.

Ultra honorem & Jurisdictionem in munere Pastorali contentam, ex vi Pastoralis muneris, debetur à Pastore (quod *secundum* est) labor & vigilantia supra oves. *ipsi enim* (ut ait Apostolus) *pervigilant.* Vigilantia Pastoris qualis esse debeat, commodè describitur à S. Basilio. Dicit ille : *Pastorem esse, est esse nihil habentē, nisi quod ad victum quotidianum attinet, clavam & peram, remissè tamen, tanquam subsidia diurna gestantem, nullam crastini curam habentem, bestijs hostem, mansvetorum animalium contubernalem, forum ac tribunalia fugientem, sycophantarum ac mercaturæ ignorantem, divitias nescientem, proprium tectum non habentem, sed sub eo, quod mundo commune est, agentem, noctu ad cœlum suspicientem, & per astra, conditoris admirabilem potestatem considerantem.* Discutiantur singula. Vigilantis Pastoris proprium est : proprium nihil habere, nisi quod ad victum quotidianum attinet, non habere curam crastini, Divitias nescire, hoc est, non inhiare congregandis pecuniis, augendis Ecclesiasticis proventibus, sed contentum esse eo, quod ad congruā Pastoris sustentationē est necessarium; si verò reditus sint majores; quod est supra congruā sustentationem, id convertere in Ecclesiæ ornamentum, in Pauperum eleemosynas, in ovium suarum indigentium necessitates. Nimia enim cura & solicitudo circa auctionem proventuum, Divitiarum coacervationem, non solùm dedecet Pastorem, & turpem redolet avaritiam, sed etiam impedit eundem in debita vigilantia supra gregem Dominicum; quantum enim his augendis Pastores impendunt curæ, tantum detrahunt de vigilantia circa oves.

Convenit deinde Pastori, ut peram & clavam remissè gestet, tanquam diurna subsidia ; nimirum, ut moderata sustentatione & provisione temporalium, quam pera significat, sit contentus. Clavam verò teneat, tanquam subsidium & arma, ad arcen-

dos & abigendos lupos, fures, latrones, aliosq; ovibus hostes, ad corrigendas inobedientes & aberrantes oves. Per clavā hanc intelligi debet Pastoralis solicitudo, quæ nullis adversis cedat, nullis vincatur difficultatibus, omnesq; respectus superet. Vel etiam per clavam inteligenda est virga correptionis, quæ remissè gestari debet, quia in spiritu benignitatis & mansvetudinis Christi, corripiendæ & corrigendæ sunt oves, si deflectant & aberrent.

Ulteriùs, Pastor vigilans, debet esse bestiis hostis, qui pro grege suo, adversùs lupos infernales, adversùs Leones rugientes, qui circum eunt, quærentes quem devorent, aliasq; bestias, adversùs etiam fures & latrones, nimirum adversùs hæreticos, & malos Catholicos, pravo exemplo corrumpentes alios, strenuè & fortiter decertare debet, ne oves discerpant & lacerent, ne furentur & mactent.

Pastoris etiam vigilantis officium exigit, ut sit mansvetorum animalium contubernalis, quia inter suas oves continuò versari debet, nec ab illis, ad tempus præcipuè longius, recedere fas ipsi est, ut totus sit in quærendis animarum lucris, in providendis ovium suarum spiritualibus, commodis in avertendis damnis & & detrimentis.

Vigilantis præterea Pastoris hæc laus & commendatio esse debet, quòd forum & tribunalia fugiat, ac sycophantas & mercaturas ignoret, quòd lites, quantùm fieri potest, declinet & aversetur, nec se negotijs sæcularibus & negotiationibus immisceat. Per hoc enim maximè avertuntur fidelium animi à Pastore, si litigiosus sit, si nimius in exigendis decimis, proventibusq; augendis, si lucra & pecunias, per modos indebitos & artes insolitas, quærat. Hæc dedecent statum Pastoralem, & Pastorem distrahunt, quominùs convenienter ovibus invigilare possit.

Ad-

Additur insuper, quòd Pastor vigilans proprium tectum non habeat. Pastor pastorum Christus Dominus de seipso dicit : *Vulpes foveas habent, volucres cœli nidos. Filius autem hominis, non habet, ubi caput reclinet.* Etiam alios minores Pastores convenit æmulari, & imitari Pastorem optimum Christum, non ut defacto tecta & domos non habeant, sed ut nulla privata ipsorum commoda, in proprijs domibus, eos detineant, quin promptè, quocunq; tempore, subveniant animabus, accurrant ad juvandos morientes, ad ministranda sacramenta Fidelibus, ad conferendum Baptismum infantibus, maximè si periclitentur, ad solandos infirmos, aliaq; sui muneris exercenda ministeria, sæpiùsq; sub eo, quod mundo commune est, tecto, hoc est, sub cœlo agant, quàm domi suæ inveniantur.

Tandem de Pastoribus dicitur & illud, quòd noctu ad cœlū suspiciant, & per astra, Conditoris admirabilem potestatem considerent; quia vigilantia Pastoralis etiam hoc à Pastoribus exigit, ut sæpius, non tam corporis, quàm mentis oculos in cœlum levent, ut sæpiùs postulent à DEO, se in cura & vigilantia circa animas adjuvari, ut è somno ad orationem se pro proripiant, illud mente revolventes: *Nisi Dominus custodierit* Suum & ipsorum gregem, frustra illos vigilare, qui ex vi muneris Pastoralis custodiunt eum; ut Divina & cœlestia libenter meditentur, & per creaturas & ipsi veniant in cognitionem DEI & alios adducere studeant.

3.*ium* Quod ex verbis Apostoli discitur, est: ad vigilantiam supra oves ipsis commissas, ita teneri Pastores, ut sint rationem reddituri pro animabus. Hujus rationis DEO aliquando reddendæ, meminisse eos oportet. Hæc illos debet excitare, & accendere ad solicitam curam & vigilantiam quàm maximam. circa animas ipsis demandatas. Quia DEUS, in die sui Judicij, sanguinem de manibus ipso-

psorum requiret, si qui culpâ & negligentiâ ipsorum perierint. Quia Judicium durissimum est ijs qui præsunt, ob negligentias, & defectus vigilantiæ convenientis circa ipsorum oviculas.

Sacerdotes non beneficiati, quidquid ministerij spiritualis circa animas præstant, si exerceant munia & ministeria sacerdotalia, cùm hæc ex Charitate faciant, idq; frequenter absq; obligatione etiam ipsius charitatis, non reddent rationem pro animabus, ob omissa & non præstita aliqua spiritualia obsequia. Beneficiati tamen, qui possident beneficia annexam curam animarum habentia, graviter obligantur ad præstanda hujusmodi obsequia; quia obligantur ex Justitia commutativa, in stipendium enim, interveniente contractu saltem implicito, pro talibus obsequijs, percipiunt Ecclesiasticos proventus, & reditus beneficij. Quarè, si huic obligationi contraveniunt, si quid ex grege Domini, culpâ illorum pereat, si lupus infernalis aliquam oviculam rapiat & discerpat, sciant pro perditis animabus rationem se reddituros, manet illos Judicium durissimum.

Exhorresce Judicij Divini severitatem, & recogita, an, & quantam rationem redditurus es pro animabus, quas tuâ culpâ perijsse opinari potes. Recogita, an aliquæ & quot animæ per tuam negligentiam perierint? reflecte te, an tua vigilantia supra oves tibi commissas talis fuerit, qualem describit S. Basilius? et cùm plures adverteris defectus, eos per seriam pœnitentiam defle, ac firmiter propone omni deinceps diligentia te invigilaturum gregi tuo: Protestare paratum te etiam animam ponere, ne aliquando ovis quæpiam tibi commissa pereat.

PUNCTUM II. Audi illa verba Principis Apostolorum 1ma S. Petri 5. *Pascite, qui in vobis est, gregem DEI.* Et considera: à quovis Pastore ovium

Christi

Christi, eã curã circa oves cõmissas haberi debere, ut pascat gregem DEI, ut cibum & pascua ovibus provideat, eas alat, reficiat, & impinguet. Porro cibus duplex est. unus spiritualis, quo reficiuntur animæ, alter corporalis, quo sustentantur corpora. Cibum spiritualem, quis & qualis esse debeat, sæpiùs nobis descripsit incarnata Sapientia Christus. Nam *primò* cibum spiritualem dicit esse omne verbum quod procedit de Ore DEI. 2*dò* talem cibum dicit esse voluntatem DEI, aut potiùs voluntatis Divinæ executionem. 3*tiò* Carnem suam appellat cibum datum pro mundi vita. 4*tò*. Cibus animæ sunt Justitia & omnes virtutes. Unde beati dicuntur, qui hunc cibum esuriunt, & sitiunt Justitiã. 5*tò* tandem cibus animæ sunt quævis sacramenta novæ legis, sunt gratiæ Divinæ, tam habituales quàm actuales, illis enim sustentatur vita animæ nostræ.

Cibum hujusmodi, ex vi sui officij, Pastor gregis Christi, tenetur ovibus sibi commissis apponere. Et imprimis tenetur illas reficere verbo DEI, quia tenetur illis Doctrinam Christi & Evangelij continuò instillare, in catechismis, docendo mysteria & rudimenta fidei, instruendo quæ Christianum nôsse oportet, explicando quæ sunt præcepta legis naturæ, quæ præcepta legis scriptæ, quæ præcepta legis gratiæ seu Evangelica, quæ item præcepta Ecclesiæ, quæ sit obligatio servandi hujusmodi leges, quæ pœnæ in transgressores statutæ, quæ præmia observantibus legem appromissa. In concionibus, ostendendo ea, quæ ad mores spectant & vitam sanctè ac Chrstianè instituendam, deterrendo à peccatis, exempla Christi & sanctorum ad imitandum proponendo, exhortando ad præstandum DEO obsequium, reverentiam, & amorem, ad vitandas noxias conversationes, fugiendas occasiones peccati. In privatis colloquijs, varia salutis media, remedia contra

peccata, motiva & incitãenta ad virtutē ſuggerendo.

Tenetur inſuper Paſtor gregis Chriſti, cibum illum, quo Chriſtus ipſe veſcebatur, ſuis oviculis apponere, nimirum, debet illis exponere & explicare voluntatem Patris cœleſtis, ad eamq; faciendam adhortari, debet illis explicare, quòd voluntas DEI ſit ſanctificatio & ſalus æterna ipſarum; quòd DEUS ſua voluntate exigat, ut non ſolùm præcepta ſerventur, ſed etiam, ut in virtutibus Chriſtianis proficiant. Debet ſuis oviculis perſvadere Paſtor, ut opera Juſtititiæ, Charitatis, miſericordiæ, aliaq; exerceant, & per talia opera, ſalutem & cœlum promereantur; ut in perferendis adverſis & tribulationibus conforment ſe voluntati Divinæ, in ea conquieſcant, hanc in ſe impleri appetant, ac per ipſam, appetitum & famem ſuam exſatient.

Tenetur præterea Paſtor ovibus, ſuæ curæ commiſſis, Panem cœleſtem, panem Euchariſticum præbere & miniſtrare, non ſolùm quando illæ præcepto obligantur ad hunc panem manducandum, ſed quotieſcunq; volent & petent. Imò famem hujus cibi debet in illis excitare, uſum quàm frequentiſſimum commendare, utq; illum fructuosè, & ad vitam, non verò ad Judicium manducent, inſtruere & admonere.

Ulteriùs Paſtor, vi ſui muneris, tenetur ovibus Chriſti alia etiam Sacramenta miniſtrare, & ad hæc, tanquam ad paſcua quibus impinguari poſſunt, adducere. Juſtitiam quoq; & quarumvis virtutum ſtudium quàm maximè cõmendare, ut hæc eſuriant & ſitiant, famemq; horum & ſitim, in ipſis ut accendat, tenetur procurare.

Tandem Paſtor gregis Dominici debet laborare, ut oves ipſius in gratia DEI proficiant, eamq; augere ſtudeant, ut gratias actuales & inſpirationes Divinas promptè & toto corde ſuſcipiant, illiſq; obediant, bene ijſdem utantur, & efficaces reddant.

Ita pascendo oves suas Pastores Ecclesiarum, impinguabunt sibi commissum pecus, impinguatas oves summo Pastori Christo reddent, & in Judicio DEI universali, cum alijs ovibus, etiam suas oves ad dexteram constitutas, magno suo spectabunt solatio.

Verùm & cibo corporali, oves tali refectione indigentes, nimirum pauperes, pascendæ subinde sunt à Pastoribus. Væ illis, si se ipsos pascant, si ex vellere ovium, ex pauperum substantijs, eorumquè labore, lucra sua & emolumenta temporalia quærant, si comedant domos viduarum, si ut escam panis devorent plebem Christi. si à pauperibus, pro sepulturis mortuorum, pro Sacramentorum ministratione, & suis obsequijs, nimium exigant, & pecuniam cum sanguine emungant. Bonus Pastor non est rigidus exactor, metens ibi, ubi non seminavit. Pauperes, exhaustas, vellere spoliatas oviculas etiam temporali cibo reficit, eleemosynis sublevat, & corporalibus adjuvat subsidijs. Bonus Pastor dat, vel paratus est dare animam & vitam suam pro ovibus; quantò magis, in ovium commodum & subsidium, dabit perlibenter bona suæ fortunæ & substantiam. Hanc qui tenaciter retinet, nec pauperem sublevat, quomodo sperari poterit ut pro ovibus ponat animam? quemadmodum sentit S. Gregorius ubi dicit: *Qui non dat pro ovibus substantiam suam, quandò pro his daturus est animam suam?*

Ad veba illa: *Pascite gregem DEI*, addit Petrus: *qui in vobis est.* Quo addito videtur commendare, ut omnes quidem oves, sed maximè illas, inter quas sæpiùs aut etiam continuò versantur, pascant Ecclesiarum Pastores & Præpositi; ut oviculis domesticis majora impendant, & incipiant à Domo sua, ut timorem Domini, & ea quæ ad salutem spectant, doceant suos domesticos & familiam, ut quisq; domum Pastoris considerans, advertat facilè, domum illam esse ovile Domini, omnes illic esse mites, man-

ſvetas, innocentes oviculas, Chriſto Paſtori gratas, nullum reperiri fætentem hædum.

Videtur & alterum commendare, ut, qui Paſtoris munere fungitur, ſuas omnes oviculas non ſolùm in & præ oculis habeat, ſed etiam memoriâ & intellectu ſæpiùs verſet, de ſpiritualibus eorum neceſſitatibus cogitet, charitate & affectu complectatur, in corde & pectore ferat; hac enim ratione ſperari poteſt, ut gregem, qui ita eſt intra cor & viſcera Paſtoris, paſcat diligentiùs & cum majore gregis ipſius commodo, ac utilitate.

His conſideratis, mentem ad teipſum converte, & percurrendo ſingula, vide, in quo defueri Paſtorali tuo muneri? an ſingula hæc obſervaveris ut deinceps obſerves, & tuo ſatisfacias officio, curam & ſtudiũ adhibe, propoſitiſq; teipſum obfirma.

Punctum III. Audi ulteriora verba ejuſdem ſcripturæ: *Paſcite, qui in vobis eſt, gregem DEI, facti forma gregis ex animo*: Et conſidera: à Paſtoribus gregis Chriſti, hoc inſuper exigi ut ſint forma gregis ex animo, hoc eſt, ut in ſeipſis, vitâq; & moribus ſuis oſtendant oves ipſis cõmiſſæ, quales ex eorũ inſtitutione, eſſe debeant? ut in ſeipſis ideã ipſis exhibeant & efforment, cui ſe conformare debeant; ut, quod ore & prædicatione docent, id exemplo oſtendant, doctrinæq; veritatem exemplo proprio declarent. Imìtari debent primum & univerſaliſſimum Paſtorem Chriſtum, qui non contentus, quòd ſuâ doctrinâ oves paſceret, etiam exemplo illas pavit. Hæc, inter alias, boni Paſtoris proprietas, imò obligatio eſt, ut ante ſuas oves vadat, hoc eſt, bono exemplo illis præeat & præluceat. Nunquam efficaciùs perſvadebit Paſtor ſuis ovibus, ut viâ mandatorum DEI incedant, ut non declinent à ſemita Juſtitiæ, ut de virtute in virtutem proficiant, ut ſalutem animæ conſequi ſtudeant; quàm, ſi ipſe primus, tanquam Dux ſuarum ovium, hac viâ præiverit, &

suo exēplo viā hanc ipsis ostenderit. Unde non immeritò quærit S. Gregorius. *Quomodo nos vitam corrigere valemus alienam, qui neglimus nostram?*

Doctrina quævis, quantumcunq; difficilis, non potest meliùs facilitari, quàm exemplis; in his maximè elucet veritas. Doctrina Evangelica, Doctrina salutis, est doctrina difficilis; difficilè ab hominibus intelligi, & percipi potest, nisi ostendatur in exemplis; habet quidem Pastor gregis dominici, & habere potest in promptu, sive ipsius Christi, sive tot Sanctorum exempla, quæ suis ovibus proponat, quibus doctrinam Evangelij & suæ prædicationis declaret & ostendat; cæterùm exempla, quæ audiuntur vel leguntur, non sunt ita efficacia ad persvadendum. Efficaciora longè sunt exempla, quæ conspiciuntur; idq; maximè efficacia sunt, quæ in ipso Pastore & propositæ veritatis magistro inveniuntur, quando, qui prædicat, opere ea complet, & exequitur, quæ prædicatione docet. Ex vita & moribus magistri, doctrina ejusdem de moribus, magnum pretium & æstimationem habet; de veritate illius minimè dubitatur, si ipse magister suæ doctrinæ multùm fidat & tribuat, & reipsa ac factis doceat: suam Doctrinam, à se, pro vera & infallibili haberi.

Hinc non immeritò dicit D. Bernardus: *Boni solicitiq; Pastores impinguare pecus non cessant bonis lætisq; exemplis, & suis magìs quàm alienis; nam si alienis & non suis, ignōinia est illis, & pecus ita non proficit, si enim, verbi causâ, ego, qui videor inter vos Pastoris officium gerere, vobis exposuero Moysi mansvetudinem, misericordiam Samuëlis, Davidis sanctitatem, immitis ipse, & impatiens, atquè immisericors, & minimè sanctus; sermo minùs sapidè eveniet, & vos minùs avidè capietis.*

Ex his concludes: Pastorem bonum debere esse formam gregis ex animo. Ex animo inquam

ut, quæ in ipſo virtutum & ſanctimoniæ exempla foris elucent, non ficto animo fiant, non ſimulatè, non ad oculum, ſed ex interno vero & ſincero virtutis amore, ut non exteriùs ſolùm & in cute pateant, ſed in ipſo animo, in charitate interna erga DEUM & proximum, in corde fundamentum ſuamq; radicem habeant.

His conſideratis, ad teipſum te converte, & vide, an ſis forma gregis tui ex animo? an merearis titulum boni Paſtoris, tuæq; obligationi ſatisfacias? an virtutum tuarum exemplis doctrinam, quam ovibus proponis, confirmes? an non dicetur tibi aliquando! ô Paſtor! ô Idolum! conſtitue firmiter, quòd deinceps futurus ſis forma gregis tui ex animo, quòd ſis accuratiſſimè impleturus boni Paſtoris munus & officium.

Colloquium. Supplica humillimè Paſtori optimo Chriſto, ut, qui te ad Paſtoralis muneris ſortem vocavit, bonum te Paſtorem efficiat, Paſtorem vigilantem, paſcentem gregem Domini cum fructu, & utilitate ipſius gregis, bono exemplo, & ſanctâ vitâ tuâ, ad omne bonum prælucentem, ita, ut ſis forma gregis ex animo, ut te potenti ſuâ gratiâ ſibi conformem efficiat, quatenus per imitationem exemplorum & virtutum ipſius, bonum paſtorem induas, ita enim fiet, ut ſis forma gregis ex animo.

In fine: anima Chriſti.



ERRATA CORRIGE

In intentione Authoris pag. 3. fac. 1. V. 4. cetiduo excitiorum *Lege* octiduo exercitiorum

Ibidem pag. eadem & fac. V. 19. ipſorum *Lege* ipſarum

Ibidem pag. 6. fac. 1. V. 15. ſuccinite *Lege* ſuccincte

Ibidem eàdem pag. & facie V. 16. crrca quæ *Lege* circa quas

Ibidem pag. 6. facie 2. V. 13. alium vero *Lege* alia vero.


Parte 1mâ.

Pag. 9. V. 17. *felicitatatis* L. felicitatis
Pag. 11. V. ultimo *clari* L. dari
Pag. 12. V. 15. *betus* L. beatus
Eadem pag. V. 28 *liberate* L. libertate
Pag. 20 V. 19. *temperiania* L. temperantia
Pag. 21. V. 1. *onitas* L. bonitas
Pag. 24. V. 29. *reveretatur* L. revereatur
Pag. 28. V. 8. *totâ hac pœna gravior eſt maliti* peccati mortalis* L. totâ hac pœna gravior eſt malitia peccati
Pag. ead. V. 12. *mulplientur* L. multiplicentur
Pag. 32. V. 32. *divininis* L. divinis
Pag. 33. V. 33. *ſe abuſus* L. es abuſus
Pag. 49. V. 4. *deficiens* L. defectuoſum. Eadem pag. V. 5. *particip ionem* L. particellam
Pag. 58. V. 4. *conſuggam* L. conſurgam
Pag 62. V. 31. *Spritum* L. Spiritum
Pag. 64. V. 18. pœnitecham L. pœnitentiam
Pag. 90. V. 18. *præcipituri* L. præcipitari
Pag. 95. V. ultimo *pſſinarum* L. pœnarum
Vitio typi locò ſigni paginæ 100. poſitum ſignum pag. 90. & tota decas numeri iterum repetitur
Itaq; pagina 95. 2do notatâ V. 9. *Il et* L. licet
Pag. 128. V. *habebiſi* L, habebis
Pag. 131. V. 10. *ilia* L. illa
Pag. 133. V, 16. *apprvriando* L. appropriando

Pag

Pag. 152. V. 20. *filagellis* L. flagellis
Pag. 154. V. 4. *secuudum* L. secundum
Pag. 157. *confromi* L. conformi
Pag. 158. V. ultimo *ambusa* L. ambula
Pag. 175. *profectus* L. perfectus
Pag. 184. V. *pacis* L. pazzis
Pag. 188. V. 17. *invivat* L. invitat
Pag. 229. V. 32. *xardescit* L. exardescit
Pag. 243. V. 32. *genieus* L. gente
Pag. 246. V. 35. *filium* L. filum
Pag. 277. V. 34. *habueonit* L. habuerint
Pag. 254. V. 6. *multa me multa* L. multa me mala
Pag. 309. V. 18. *ara* L. arca
Pag. 311. V. 12. *vita* L. via
Pag. 319. V. 24. *stauts* L status
Pag, 320. V. 30. *va* L. quæ
Pag. 339. V. 4. *dimiltunt* L. dimittunt
Pag. 340. *astum* L. statum





EXPEDITA
Salutis Via
Per
EXERCITIA SPIRITUALIA
à S. PATRE IGNATIO
MONSTRATA
Ex meditationibus; ſenſum eorundē Exercitiorũ declarantibus.
Uſui varij ſtatûs hominum accommodata
à P. Adriano Miaskowski
Societatis JESU.
PARS III.
In qua proponuntur meditationes.
Uſui Religioſorũ Societatis IESU accõmodatæ.
Sive in octiduo exercitiorum Spiritualium
Sive in duplici votorũ & Spiritûs Renovatione
Aſſumendæ.



SANDOMIRIÆ
Typis Collegij Societatis J E S U Anno 1718

)(✠)(

PARS III.

In Qua

Proponuntur Meditationes, usui Religiosorum Societatis JESU Accommodatæ.

Sive in octiduo Exercitiorum Spiritualium Assumendæ.

Sive in duplici semestri votorum & Spiritûs Renovatione faciendæ.



Meditatio
De fine Religiosi Societatis JESU & medijs ad hunc finem.

Præludium 1. Imaginare factam à Christo in sua Ecclesia illam coordinationem, & constitutam statuum diversitatem, cujus meminit S. Paulus Apostolus ad Eph. 4. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam verò Prophetas, alios autem Pastores & doctores.*

Præludium 2. Postula à DEO gratiam, ut cognoscas finem Religoisi Societatis JESU, & media, quæ ad eundem finem, sacro huic Ordini, providit DEI bonitas, & ut per talia media illum ipsum consequaris.

PUNCTUM I. Audi DEUM dicentem Isaiæ 49. *Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usq; ad extremum terræ.* Et considera adductis verbis exprimi sufficienter finem Societatis JESU, ejusq; filiorum, quem alijs verbis, eodem tamen sensu expressit S. P. N. IGNATIUS: *Finis nostræ Societatis est, non solùm saluti & perfectioni animæ propriæ cum Divina gratia vacare, sed cum eadem impensè in salutem & perfectionem proximorum incumbere.*

Considera ulteriùs, quòd DEUS, dum vocavit te in Societatem JESU Filii sui, vocaverit te propter hunc finem, ut sis lux gentium, ut illumines eos, qui in tenebris infidelitatis, & in morte, ac in umbra mortis, per peccata patrata sedent. Præterea vocavit te DEUS, ut sis salus; sicut e-

nim JESUS ex vi sui nominis est Salvator & salus mundi, ita & tu, qui es, JESU socius debes esse aliorum, debes ipsi JESU cooperari ad salutem mundi, non enim convenit te recedere ab exemplis Ducis tui in curanda salute proximorum tuorum.

Porro ut sis lux gentium & salus earum, debes studio singulari & quàmmaximo curare priùs salutem & perfectioem tuam propriā; lux enim gentium nequaquam esse poteris, si lumen, quod in te est, tenebræ fuerint. Ut sis lux alios illuminans, non sufficit si tantùm sis lux falsa, apparens, ignis fatuus, sed necesse est, ut sis lux vera, talis enim lux esse debet, quæ illuminat omnem hominem. Necesse est ut talis lux in oculis DEI inveniaris interiùs, qualis in oculis hominum appares exteriùs. Tali enim nonnisi luce DEUS uti consvevit, ad illuminandas gentes. Necesse est, ut non solùm facem Doctrinæ præferas, sed etiam, ut bono exemplo ad omnē virtutem & perfectionem tuis proximis præluceas.

Salus etiam aliorum esse non potes, nisi priùs fueris salus tua; si enim tuam salutem & perfectionem neglexeris, imperfectusq; vixeris, non dabit te DEUS in lucem & salutem gentium. Dicetur tibi: *longè à salute mea verba delictorum tuorum.* Doctrina vitæ difformis, sunt verba delictorum. talis igitur Doctrina longè erit à salute, quia non erit fructuosa, sed sterilis, paruumq; aut nullum fructum in animabus proximorum faciet. DEUS enim, quantumvis zelosis concionibus, ferventibus adhortationibus, spiritualibus colloquijs concionatorum, confessariorum Professorum &c. salutem & perfectionem propriam aut negligentium, aut minùs curantium, non alligat gratias speciales, cor pulsantes & efficaces. Referunt quidem illi plausus, conciones ipsorum fre-

frequentantur, attentè audiuntur, zelus prædicatur; cæterùm fructus exiguus, modica aut nulla in moribus mutatio & reformatio sequitur, quia DEUS non utitur ipsis pro instrumento conversionis animarum.

His consideratis, æstima finem vocationis tuæ, adverte quàm sublimis sit! Finis hic idem est, qui fuit finis ipsius Christi, qui fuit finis Apostolorum. Quanti & tua & proximorum salus sit æstimanda, hinc collige, quòd Christus pro salute tam tua quàm aliorum hominum, vitam suam posuerit, pretiumq; salutis hominum, sanguinem à se profusum, & infinitum meritorum suorum thesaurum esse voluerit; quòd Christus salutem tuam & proximorum tuorum, suam salutem esse reputet & suam appellet. dicit enim: *Dedi te in lucem gentium ut sis salus mea.* Et certè salus hominum, salus Christi est, non solùm quia hanc, ut esset sua, Christus magno emit pretio, idq; ita emit, ut qui vivit, jam non sibi vivat, sed ei qui pro se mortuus est, Christo, imò ut ipse in omnibus vivat, ut possint singuli cum Apostolo dicere: *Vivo ego jam non ego, vivit in me Christus*; sed etiam ex hac ratione salus hominum est salus Christi, & tu lucrando salutem tuam & proximorum, es salus Christi, quia quando Christo lucraris animas, efficeris eidem in salutem, efficis enim, ut Christus suum finem consequatur qui est salus mundi. Laborando circa proximorum salutem, es salus ipsius Christi; quia zelo tuo obsistis, ne Christus tradatur, illudatur, flagelletur, crucifigatur. Obsistis enim ne DEUS offendatur, adeòq; ne Christus talia iterum patiatur, ne rursus crucifigatur in cordibus peccatorum. Dum etiam peccatores ad pænitentiam adducis, & ad meliorem vitam revocas, Christum in cordibus peccatorum crucifixum, de

cruce deponis. Salvas igitur Christum qui à cruce semetipsum non salvavit. Dum animas pretioso Christi sanguine redemptas ex inferni faucibus extrahis, facis ne Sanguis Christi descendat in corruptionem, quarè etiam hac ratione salvas Christum, adeòq; es salus Christi.

Fac deinde reflexiones. Quomodo deinceps debeas conjungere curam salutis & perfectionis propriæ, cum cura salutis proximorum, quòd debeas inchoare á curanda salute & perfectione animæ tuæ. Accendere desiderio consequendi finem tam sublimem. Offer te ad omnes labores in curanda & quærenda salute animarum. Propone curaturum te, ut efficiaris aptum instrumentum promovendæ gloriæ Divinæ, & procurandæ tuæ & proximorum salutis. Propone item juxta officij tui præsentis rationem, si Professor es, nihil te prætermissurum, in pietate cum literis instillanda discipulis tuis, in commendando ipsis timore DEI, virtutum Christianarum studio, frequentatione sacramentorum, reverentia DEI in Eucharistia præsentis, Devotione ad virginem Deiparam, alijsq; his similibus.

Conclude hoc punctum sequenti affectu. O amabilissime JESU DEUS cordis mei, totum te impendisti pro salute mea, non salvâsti te de cruce ut salvares me. Tulisti clavos, lanceam, multamq; ignominiam, innumeros dolores, sudores, & agnores, & hæc propter me ac propter meam salutem. Tu factus es mihi in salutem, tu dixisti animæ meæ: salus tua ego sum. Ergone amabilissimo cordi tuo non reddam vices? Ergone non ero salus tua? nunquid non salvabo te à persequentibus te, & à crucifixoribus tuis? agar mi JESU in cruces, tantummodo tu non crucifigaris in cordibus impiorum. Lambant canes sanguinem meum, cruore meo canales &

ſentinæ repleantur, ne tuus pretioſiſſimus ſanguis, in corruptionem deſcendat. Offero me tibi DEO meo ad omnes labores, ad omnes ignominias, ad duriſſimas cruces, ad mille mortes, etiam ad pœnas & tormenta inferni ſuſtinenda; ut per hæc omnia impediam illuſiones, flagella, cruces, omnesq; ignominias, quas amabiliſſime JESU á peccatoribus ſuſtines. Toto cordis affectu precor tibi ſalutem: *Salus DEO noſtro qui ſedet ſuper thronum, & Agno.*

Punctum II. Audi illa verba Spiritûs S. Actor. 31. *Segregate mihi Saulum & Barnabam, in opus ad quod aſſumpſi eos.* Verba item S. Pauli de ſe dicentis ad Galat. 1. *Cùm placuit ei qui me ſegregavit ex utero matris meæ, & vocavit me per gratiam ſuam ut revelaret filium ſuum in me ut evangelizarem illum in gentibus.* Et conſidera primum medium conſequendi finem Societatis eſſe præviam Diſpoſitionem & præparationem ad vitam Apoſtolicam, & munus prædicandi Chriſtum, animaſq; convertendi, quæ fiat per ſegregationem. *ſegregate mihi.* Circa quam.

Conſidera ulteriùs imò. In quo hæc ſegregatio conſiſtat? conſiſtit verò tum in hoc, quòd quis exuat pravos affectus, habitus, vitia & imperfectiones vitæ ſæcularis, exuat veterem hominem cum ſuis concupiſcentijs, exuat inclinationes & appetitus ſenſuales, ſuaſq; mortificationes plenè mortificet. Ita enim quis efficitur ſegregatus à peccatoribus, qualem eſſe oportet virum Apoſtolicum. Tum etiam hæc ſegregatio conſiſtit in eo, quòd is qui aſſumitur ad opus circa quærendam ſalutem proximorum, abſtrahat affectum ab omnibus rebus terrenis, vanis, ſenſualibus, quòd nullis rebus mundanis moveatur, commoda propria contemnat, nulli creaturæ affectu adhæreat, nihil quærat niſi ea quæ ſunt JESU Chriſti, niſi DEI

gloriam & proximorum salutem. Talis non solùm est segregatus à peccatoribus, sed insuper excelsior cœlis factus. Præterea segregatio hæc consistit in eo, quòd homo ad Apostolicos labores se præparans, antequam tali muneri applicetur, solitudinē amare debeat, non debeat se ante tēpus in conversationes cū sæcularibus ingerere, multominùs debeat se in illas effundere, sed quòd debeat latere velle, intra se collectus, suæ saluti & perfectioni intentus, & totus cùm DEO per meditationes & orationis studium conjunctus. Imò inter ipsos labores circa salutem proximorum, eandem segregationem & solitudinem homo Apostolicus amare & appetere debet; non debet se negotijs donare, sed commodare, debetq; sæpiùs seipsum abstrahere à conversatione, & quodammodo se suffurari, ut interim se recolligat, ut dispersiones congreget; inter ipsas verò conversationes debet mente in DEUM elevari, ut tota illius conversatio in cœlis sit.

Expende 2*dò*. Qualis debeat esse hæc segregatio? debet esse talis, ut per eam qui assumuntur ad opus & labores circa salutem animarum, segregentur spiritui sancto, hoc est, ut spiritu DEI agantur, rebus spiritualibus se impendant, totiq; sint spirituales. Debet hæc segregatio esse ex utero matris, hoc est, à primo religionis ingressu, à primis annis nostræ vocationis, ut tunc illi statim assuescamus, in ea gustum habeamus, ac deinceps totâ vitâ conservemus. Quisquis es, qui te disponis ad munus Apostolicum, talis tua debet esse segregatio, ut efficiaris vas electionis portans nomen JESU, ut sis Paulus evangelizans Christum. ut per eam reveletur in te Filius DEI, hoc est, ut transformeris in Christum, per veram imitationem virtutum & exemplorum Christi, ut non ore solùm, sed magis vitâ tuâ, moribus tuis

toto

toto te, loquaris & evangelizes Filium DEI.

Expende 3*tiò*, Quàm sit necessaria hæc segregatio? Est necessaria, ne laborando circa alienam salutem, nostram in discrimen adducamus, ne, dum conversamur cum perversis eo fine, ut eorum animas DEO lucremur, ab ipsis pervertamur. Est necessaria hæc segregatio, ut laboribus nostris circa proximorum salutem, fructus desideratus respondeat. Ut fructuosè prædicemus Baptismum pœnitentiæ, debemus cum Joanne ex eremo venire. Leges Sanctissimas allaturi populo, debemus venire cum Moyse à consortio sermonis Domini. Ut nos DEUS faciat in gentem magnam cum Abrahamo, oportet nos egredi de terra, & de cognatione nostra, & de domo Patris nostri.

His consideratis, reflecte te supra singula. Concipe desiderium ita laborandi circa proximos, ut fructus animarum quàm maximos referas. Resolve te ad media proposita, dependenter à quibus potes sperare, fructuosè te laboraturum. Fac proposita firma & efficacia. Implora Divinæ gratiæ auxilia, ut in virum Apostolicum formari possis.

PUNCTUM III. Audi illa verba Psalm. 104. *Misit Moysen servum suum, & Aaron, quem elegit ipsum, & posuit in eis verba signorum & prodigiorum suorum.* Et his verbis expressum intellige medium Societati concessum, ad educendos mortales ex servitute peccati, illud ipsum, quod concesserat DEUS Moysi & Aaron, ut educerent populum Israëliticum ex servitute Ægyptiaca Pharaonis. Sicut enim in Moyse & Aaron posuit DEUS verba signorum & prodigiorum suorum, ut illos tanquam legatos audirent Pharao & Israëlitæ, & ut DEI voluntatem per ipsos intimatam exequerentur; ita in S. Patre IGNATIO, Societatis JESU Institutore, & per ipsum in filijs ejus posuit verba signorum, seu posuit signa & prodii-

gia ad convertendos peccatores valde efficacia.

Signa verò hæc & prodigia sunt, illa ipsa spiritualiter exhibita, quæ ex promissione Christi. Marci 16. Sancti Apostoli corporaliter facturi erant,

1mum Ex his signum est. *In nomine meo Dæmonia ejicient.* Quam felices sint Socitatis Filii in eijciendis dæmonijs ex cordibus & animabus mortalium, docet quotidiana experientia, nequè id prodigiosum reputatur. Prodigiosum tamen est, quòd in nomine JESU hæc eijciant, hoc est, quòd non sui nominis celebritatem, non auræ popularis plausus, aliasq; vanitates, non lucra aut temporalia emolumenta quærant, non seipsos prædicent, sed prædicent JESUM & hunc crucifixum; quòd unicè intendant, ut nomen JESU clarificetur, sanctificetur, ut in nomine JESU omne genuflectatur, ut in hoc nomine profligentur dæmonia, ut ex ipsorum laboribus non alius fructus, nisi major DEI gloria & salus proximorum proveniat. Hæc fuit usitatissima Sancti Patris nostri tessera: *Ad Majorem DEI gloriam*. Eadem est & debet esse tessera filiorum ejus.

2dum Signum est: *Linguis loquentur novis*. Linguæ novæ sunt, quæ si loquantur, tanquam sermones DEI; quæ loquuntur ea, quæ mandavit Dominus, loquuntur magnalia DEI. lingua nova est, quæ loquitur de regno DEI, de rebus Divinis, de rebus spiritualibus, ea, quæ ad DEI gloriam & salutem proximorum spectant, in colloquium nonnisi adducit. De alijs non loquitur nisi perhonorificè; nulliùs famam lædit, excusat intentionem, dum opus non potest; de rebus proprijs tacet, maledicentibus non maledicit; quæ in verbo non offendit. Linguæ hæ novæ sunt, quia non audiuntur communiter. tali linguâ novâ locutus est S. P. noster IGNATIUS, talibus linguis

guis loqui voluit & docuit ſuos filios.

3tium Signum eſt. *Serpentes tollent*. Serpentes ſunt hoſtes Societatis noſtræ, qui ſuo morſu lacerant famam ipſius, ſuumq; in eam virus effundunt. Et omnia quæ pro gloria DEI Societas agit, exſibilant. Hos ſi ex mente Sancti Patris noſtri, non ſolùm ſupportamus patienter, ſed etiam amore & affectu complectimur, pro illisq; oramus, ſerpentes tollimus. Serpentes item, imò peſtilentes dracones, ſunt mala aliorum exempla, quibus ſi exempla virtutum Chriſtianarum & religioſarum opponimus, & cum Moyſe facimus ut opera noſtra ipſis contraria, tanquam virga correctionis, dracones illos devoret & eliminet, ſerpentes tollimus.

4tum Signum eſt. *Si quid mortiferum biberint, non eis nocebit*. Si ob imitationem & amorem Domini noſtri JESU Chriſti, venena oblocutionum, convitiorum, caluminarum, non abhorremus, ſed calices talium amaritudinum toto ore bibimus, neq; tamen per hæc deijcimur, & à proximorum ſalute non deterremur, verùm omnes amaritudines concoquimus, mortiferum quid ita bibimus, ut nobis non noceat.

5tum Signum eſt: *Super ægros manus imponent, & bene habebunt*. Hoc ſignum facimus, ſi ad curandos animarum morbos & vulnera, non contenti ſola prædicatione, etiam manum admovemus, & opere adimplemus, quod docemus ore; ſi per virtutum exempla ſublevamus homines ex infirmitatibus ipſorum; ſi etiam ſubſidijs temporalibus, pro noſtro poſſe, proximorum noſtrorum indigentiam adjuvamus & ſublevamus, ſuper ægros manus imponimus, & ad hanc impoſitionem manuum, illi in anima ſæpiùs bene habent.

Ultra hæc ſignorum & prodigiorum verba,

quæ Deus posuit in S. Patre nostro, & per ipsum in filijs ejus, ipse JESU socius, laborans circa salutem proximorum, debet esse quoddam prodigium, imò complexum prodigiorum.

Nimirum *1mò.* ut in ipso sit insignis scientia, non vulgarisq; Doctrina & eruditio, conjuncta cum majore longè humilitate, cū profundissima demissione, primum locum & partes cuiq; deferente, honore præveniente alios, & ambiente insipientiæ titulum.

2dò. ut sit in ipso fortitudo & constantia in procuranda proximorum salute, nullis incommodis, nullis adversis superabilis, promptitudo etiam & celeritas, per tela & ignes evolans ad animarum obsequia.

3tium prodigium est, & esse debet: inter maximos labores summa indefatigabilitas, comtemptus terreni lucri, commodi, & emolumenti, suiq; ipsius oblivio, nullius compensationis admissio, ultra Deum, & salutem animarum. ut dicere possis: *Da mihi animas, cætera tolle tibi.*

4tū. prodigium sit modestia, corporisq; & animi compositio, qualem requirunt regulæ modestiæ, ut, qui vident homines societatis secum conversantes, audiunt prædicantes, disputantes &c. intueantur illos tanquam Angelos Dei, existiment illos homines de cælo delapsos, ut conspectu modestiæ, cum animi demisione conjunctæ, exsatiari non possint.

5tum prodigium sit: perfecta affectuum & Passionum moderatio & mortificatio; ut nullus, unquam, in homine Societatis, commotior animi perturbati motus conspiciatur, nullum unquam asperum audiatur verbum; ut nullo verbo, gestu, aut facto, injuriam vindices. sed prorsus sis immobilis & imperturbabilis, vultumq; habeas ut silicem. Ut ipse etiam zelus sit secundùm scientiam

&

& prudentiam, eôq; ita utaris, non ut animum cujusquam exasperes, sed ut nonnisi à peccato retrahas, & ad DEUM peccatores convertas.

Talium prodigiorum complexum debere esse verum JESU socium, ex societatis ipsius instituto facilè intelliges. Quàm verò efficax sit hoc medium promovendæ Divinæ gloriæ, & procurandæ salutis proximorum, disces ex tot exemplis virorum Apostolicorum; utinam idipsum, cùm Divinæ gratiæ auxilio, propria te doceat experientia.

Ex his consideratis reflecte te, & cogita nihil ex his omnibus esse suprà tuas vires. Etiam tu, cum ope gratiæ Divinæ, si volueris, poteris talia patrare miracula. Ut autem velis, excita te tot filiorum Societatis, fratrum verò tuorum, sanctis exemplis, excita horum mediorum efficaciâ & præstantiâ.

Colloquium ad S. Patrem IGNATIUM. Pater Sanctissime, ad beatissimos tuos pedes procido, indignus & degener Filius, tibiq; humillimè supplico, ut inter filios tuos connumeratus, & sortitus sortem ministerij, ad quod tu à Spiritu Sancto assumptus es, vocationi meæ respondeam. Intercessione tuâ efficacissimâ impetra mihi, ut finem universæ Societati à te præfixum, per media, quibus & tu, & Societas à te instituta, sanctè usi estis, ego quoq; consequi valeam, & media proposita constanti & invicto animo adhibere velim.

In Fine: Anima Christi.

Meditatio
De beneficio vocationis ad Societatem, ejusq; pretio & amore.

Præludium 1. Imaginare te non solùm inter

ter aulicos magni Principis connumeratum esse; sed etiam admissum ad intimam cum ipso familiaritatem.

Præludium 2. Pete à DEO gratiam, ut beneficium vocationis tuæ, per quam admissus es in societatem magni Principis, nimirum DEI & salvatoris tui, pro merito æstimare velis.

PUNCTUM 1. Audi verba illa Apostoli 1. ad Corint. 1. *Fidelis DEUS, per quem vocati estis in Societatem Filij ejus JESU Christi Domini nostri.* Et ad Ephes. 1. *Benedictus DEUS & Pater Domini nostri JESU Christi, in quo etiam & nos sorte vocati sumus.* Et considera: magnam tibi gratiams magnum à DEO beneficium præstitum esse, quòd in Societatem JESU Christi filij ejus vocatus sis, pro eoq; beneficio gratias quàm maximas DEO à te persolvi debere. Magnitudinem hujus beneficij quò meliùs agnoscas, perpende bona & cōmoda vocationis tuæ, & ex illo provenientia emolumenta.

1*mum* Emolumentum est, quòd tuæ vocationis beneficio, finem creationis tuæ, facilè, & cum certitudine aliqua & securitate consequi valeas. Creatus es, ut Dominum DEUM laudes, reverearis, eiq; serviens tandem salvus fias. Et ubi hunc finem, in quo vitæ statu, meliús consequi potes, quàm in Societate? ubi majora adjumenta habes, modos & media laudandi DEUM? an non hîc, ubi in omnibus actionibus major laus & gloria DEI spectari & intendi debet; ubi in omnibus quæritur DEUS. Ubi major est occasio & cōmoditas serviendi DEO? quàm in eà religione, in qua cum DEO tam frequens est communicatio per meditationes rerum Divinarum, per examina conscientiæ, per crebras mentis ad DEUM elevationes, aliaq; multiplicia spiritualia exercitia; in qua in virtutum solidarum studium semper incumbitur

bitur, profectus in perfectione & spiritu magnâ curâ promovetur, Divinum beneplacitum exquiritur & impletur; in qua obedientia ad minimos Superioris (in quo DEUS agnoscitur) nutus, prompta & paratissima. DEUM etiam te in Societate facilè revereri posse non dubites. Revereris DEUM, quando non solùm à lethalibus, sed etiam à venialibus noxis abstines, imò etiam quascunquè caves imperfectiones, quæ vel minimùm Divinis oculis, aliqua ratione, displicere possunt. In Societate id facilè assequi potes si velis. Frequens sacramentorum usus, indefessa superiorum vigilantia, religiosæ Disciplinæ rigor, sancta domesticorum exempla, votorum & spiritûs semestres renovationes, annuæ recollectiones, manifestatio conscientiæ apud superiores & Præfectum spiritûs, delationes defectuum in Societate usitatæ, mortificationes & pœnitentiæ, sive publicæ, sive privatæ ac reprehensiones delinquentium, sunt efficacissima, remedia, ut DEUM verearis, ut à culpis & defectibus abstineas, & ut sanctè vivas. Tandem in Societate facilè, & cum aliqua non communi assecuratione assequi potes, ut salvus fias. Hanc securitatem facit tibi Christus illa sua promissione, *Qui reliquerit omnia propter me, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Eam securitatem facit vita sanctè acta: *Fidelis enim DEUS est, ut retribuat unicuiq; juxta vias suas.* Et insuper eandem securitatem faciunt revelationes S. Teressiæ, S. Francisco Borgiæ, alijsquè viris sanctis super hoc factæ, quòd quicunq; in Societate JESU moritur, salutem animæ suæ sit consecuturus.

2dum Emolumentum est, quòd ex vi vocationis tuæ possis consequi finem cuivis homini Christiano præfixum. Finis hominis Christiani est, Christum non fide tantùm & ore, sed

etiam

etiā opere & charitate confiteri, utendo medijs ad salutē, quæ idem ipse Christus providit mundo; per observationem Præceptorum, & Doctrinæ Evangelicæ, DEUM laudando, reverendo, eiq; serviendo curare, ut vitam habeas, & abundantiùs habeas. Hujus finis consequendi, vivendo in Societate, habes tot adminicula & media. In hac teneris intueri Christum ceu prototypon & exemplar omnis sanctitatis; ad ejus notitiam perfectiorem pervenis, ipsum confiteris, non ore tantùm, & nomine, sed etiam opere ac imitatione, Duci tuo te conformando. Societas, schola est, in qua non quomodocunq; Christi doctrinā addiscis, sed taliter, ut eam exequaris & adimpleas, ut per media salutis à Christo provisa, gratiam sanctificantem & merita augeas, atq; hac ratione vitam habeas, & abundantiùs habeas.

3tium Emolumentum, ex tua vocatione proveniens, est quòd finem cujusvis hominis religiosi facilè assequaris in Societate. Finis hominis religiosi est, consilia Christi maximè ardua sequi & adimplere, qualia sunt: de relinquendis rebus omnibus, de servanda paupertate spiritûs, de conservanda castitate, & carne crucifigenda cum suis concupiscentijs, de abneganda propria voluntate, & subijcienda voluntati Superioris; Finis & obligatio religiosi est: Christi exempla virtutum, maximè sublimium & heroicarum, imitari, & DEO servire in sanctitate, omnibus diebus vitæ, proficiendo de virtute in virtutem, & ad summam contendendo perfectionem. Ut hunc finem consequaris, media in Societate habes, non solùm vota religiosa, quibus te obligas ad sequenda consilia maximè ardua, omnibus religiosis cōmunia, sed etiam singularem horum votorum obligationem, non omnibus communem, constitutionibus societatis expressam. Habes & alia adjumenta. Singulæ

gulæ regulæ tui Instituti excitant te, & quodammodò compellunt, ut de virtute in virtutem proficias, ut crescas in virum perfectum, ad mensuram ætatis & plenitudinis Christi. Illæ tibi commendant alia & alia Christi consilia, maximè ardua; illæ proponunt exempla ejusdem Christi, virtutum heroicarum, & maximè difficilium; illæ volunt ut induaris vestibus & insignibus Christi, ut Christo configaris cruci, in Christum transformeris, sisq; verus JESU Socius.

4tum Emolumentum & commodum vocationis tuæ est, quòd per illam consequi possis finē hominis Religiosi Societatis JESU, qui, ut dictum est, in eo consistit, ut non solùm animæ tuæ salutem cures, sed etiam in salutem & perfectionem proximorum incumbas. Vocatus es in Societatem, ut sis Vas Electionis portans nomen JESU coram gentibus. Non alligaris uni loco, uni cubiculo, uni angulo; sed totus orbis, laborum tuorum & zeli Apostolici theatrum esse debet, ibi commorandum tibi est, ubi majoris Divini obsequij & salutis animarum spes affulget, omnia tua studia, omnes labores, actiones, officia, eò collimant, & à te ordinari debent, ut proximos tuos adjuves, & Deo lucreris ipsorum animas.

Emolumenta & commoda temporalia, à Religioso, maximè Societatis, intendi & quæri non debent; ex vi tamen vocationis tuæ etiam temporale emolumentum habes, nimirum, quòd ex Religionis præscripto, Fundatorum & Benefactorum Societatis munificentiâ, et ex Superiorum tuorum cura & paterna providentia, habeas, accōmodatè ad eandem tuam vocationem, vitæ sustentandæ necessaria, ita, ut circa ea, quæ ad victum, vestitum, & supellectilem cubiculi pertinent, non oporteat te esse solicitum.

Hæc considerans, ingens pretium tuæ voca-

tionis concipe. Quod de ſapientia tibi à Deo data ſenſit Salomon, id ipſum tu ſentias de vocatione tua: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus ipſius; infinitus enim theſaurus eſt hominibus, quo qui uſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ DEI, propter dona diſciplinæ commendati.* Magni æſtima hoc beneficium, pro eoq; Deo ſæpiùs age gratias. Benedictus Pater Domini noſtri JESU Chriſti, qui vocavit me in Societatem ejuſdem JESU Chriſti Filij ſui. Pete humillimè ut te penes idem beneficium conſervet, & finalem in Societate perſeverantiam benigniſſimè largiatur.

Punctum II. Audi illa Verba Chriſti Matth. 16. *Beatus es, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt.* Et Hæc applica ad vocationem tuam, certumq; & perſuaſum habeas, vocationem tuam ad Societatem, vocationem veram, vocationem Divinam eſſe & fuiſſe. Nec te ad Societatem à carne & ſanguine, ſed à Deo omnino vocatum eſſe. Ut hunc ſtatum eligeres, & ad Societatem admiſſionem poſtulares, non caro, non ſanguis, non mundus, non dæmon animæ tuæ hoſtis, ſed Pater ille, qui in Cælis eſt, ex ſingulari paterno in te affectu, & ex fine, ut et tu ſis in cælis, revelavit tibi,

Ac *imprimis.* non potes ſuſpicari tuam vocationem eſſe à carne & ſangnine, Quia caro & ſanguis non invitat ad illud vitæ inſtitutum, quod præſcribit carni & ſanguini bellum eſſe inferendum, quod vult, ut caro cum ſuis concupiſcentijs crucifigatur, quod exigit mortificationem quæri in omnibus, ſecundùm quod carnis commoda, quæ vitæ corporali conſervandæ neceſſaria non ſunt, & omnium ſenſuum oblectamenta reſpuuntur, & tanquam ſpiritui nociva rejiciuntur.

Neque illud metuas 2dò. ne fortè tua vocatio

tio fuerit à mundo. Etiam mundus neminem vocat ad id, ut illi crucifigatur, ut contemnatur, ut ei renuntietur; cùm ergò ij omnes, qui ad Societatem vocantur, vocentur ad hoc, ut mundo renuntient, mundum contemnant, mundum crucifigant, Juxta illud Apoſtoli: *mihi verò mundus crucifixus eſt & ego mundo*; conſequens eſt non vocari eos à mundo.

Sed & illud fruſtra timeretur 3*tiò*. An fortè non hoſtis animæ tuæ Dæmon, ſua ſuggeſtione, te ad Societatem invitaverit. Societas dæmoni quàm maximè opponitur, ipſum ubiq; oppugnat, regnum ejus deſtruit, dæmonem ex cordibus mortalium eijcere ſtudet, à caſtris illius homines abſtrahit, & ſub Chriſti deducit vexillum. Quarè Societatem ita ſibì adverſantem diabolus nemini ſvadere poteſt. S. P. Ignatius de diſcernendis ſpiritibus docet, ſi cogitatio ad rem aliquam invitans, rectè ſe habeat tam circa Principium, quàm circa medium, quàm circa finem, hoc eſt, ſi rem bonam ſvadeat, nec ad minus bonum impellat, quàm anima priùs ſequi decreuiſſet, finis etiã præfigatur bonus, nec ad ullum malũ declinet, nullamq; annectat, & anima interim in pace & tranquillitate relinquatur; cogitatio talis à Deo eſt, & pro Divina inſpiratione eſt habenda.

His conſideratis, reflecte te ſupra vocationem tuam, & facilè invenies, illam recte ſe habuiſſe & circa principium, & circa medium, & circa finem. Quàm bona enim res per illam ſvaſa tibi fuerit, metire ſanctitate inſtituti tui. Finem etiam metire ſublimitate finis eidem à S. Fundatore præfixi. Medium æſtima ex mediorum præſtantia, quibus Societas utitur, & tu in ea vivendo, uti teneris, ad finem tuum conſequendũ. Nullum hîc annexum, nullum latens malum, etiamſi

amsi Argo oculatior esses, deprehendes.

Quodsi existimas vocationem tuam ab hoste animæ tuæ suggestam esse, eò, quòd ad Societatem amplectendam, motus fueris spe aliquarum immunitatum, commodorum sensualium, vanitatum, oblectamentorum sensuum &c.

Noveris vocationē ipsam secundùm se à DEO fuisse, licèt Dæmon tanquā interpellator pessimus se immiscuerit suggestione mali finis, licèt tritico huic à cælesti Patrefamilias seminato, inimicus homo superseminaverit Zizania. Nec superesse aliud, nisi ut intentionē corrigas, evellas Zizania, vanitates & commoda sensualia, aliaq; his similia contemnas, potiùsq; his contraria exoptes, illumq; finē unicè intendas, ad quem est instituta Societas. Qua facta correctione intentionis, metū omnē depone circa tuæ vocationis rectitudinē, huncq; ipsum metū scias fraudē & tentationē diaboli esse, illo proinde abjecto, in tranquilitate conscientiæ DEO in Societate sanctè servire stude.

Solent subinde aliqui in vocatione inconstantes prætendere. à suis Promotoribus se ad Societatem eligendam inductos esse, ipsorum persvasione admissionem petijsse, ac etiam religionē ingressos esse, adeòq; vocationē suā non ex DEO sed ex hominibus fuisse. Hæc prætensio Promotoribus imprimis injuriosa est. Hoc enim legibus nostris specialiter cautum est, ne Professores quenquā suorum discipulorum ad Societatem nostram alliciant, idem in universum, prohibitum est & alijs, quamvis confessarij consilium dare possint petentibus, & eas Religiones vel monasteria proponere, quæ illis magis commoda in Domino judicaverint. In examine etiam admittendorum, de hoc expressè inter alia inquiritur, an à quopiam nostrorum non sit motus, & inductus ad Societatem eligendam. Hasq; sanctissimas leges observari, illi solùm negant

gant, qui, ut dimiſſionem è Societate extorqueant, ſe inductos eſſe prætendunt, vel qui non diſtinguunt inter datum petenti conſilium, & inter ſtudioſam inductionem ad amplectendum tale vitæ genus.

Deinde eadem prætenſio injurioſa eſt DEO & vocationi ejus. Hoc enim gratis conceſſo, quòd quiſpiam inductus fuerit à quopiam è noſtris ad hanc determinatè religionem eligendam, v. g. ad Societatem JESU amplectendam, hinc omnino non ſequitur talem vocationem à DEO non fuiſſe; hæc ſiquidem minimè ſibi repugnant, vocationem aliquam ex ſvaſione humana, ſimulquè ex DEO & à DEO vocante eſſe. Si enim quod fit perſuadentibus hominibus, non eſſet unquam à DEO vocante, verum eſſet primos Chriſtianos ad ſanctam fidem non fuiſſe à DEO vocatos, quòd ſancti Apoſtoli ipſam iiſdem perſuaſerint; verum erit, converſionem Ninivitarum non ex DEO fuiſſe, ſiquidem hi, ad prædicationem Jonæ, pœnitentiam egerunt. Et in univerſum, alias converſiones, ad prædicationem concionatorum, vel occaſione pij alicujus colloquij cum viro ſancto, vel conſilij accepti ſecutas, non eſſe converſiones vocante & excitante DEO. Nunquid non utiur DEUS hominibus ut inſtrumentis, ut alios ad ſe attrahant. Veriùs opinaberis, ſi ſenſeris, DEUM uſum fuiſſe tuis Profeſſoribus, Promotoribus etc. ut per eos tanquam per ſuas linguas te ad Societatem vocaret & adduceret. Talis omnino ſenſus fuit Patris Gaſparis Barzæi, qui in quadam Epiſtola ad ſocios Conimbricenſes data, magnum vocationis ſuæ ad Societatem pretium exaggeratè teſtatus, inter alia hæc ſcribit: *Quantum debet hic peccator Gaſpar* (ſe ipſum intelligit) *Patri Magiſtro Simoni, Joanni, & Morales, qui me propè invitum ad Societatem pertraxerunt. Quid retribuam*

tribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? præter admirationem & lacrymas, quod reddam, nihil suppetit. Ad hæc, in Tyrocinio constitutus, post tot sancta lumina, post cognitum finem tuæ creationis, comparatâ pleniore Instituti Societatis notitiâ, agnovisti clarè medium ad finem tuæ creationis consequendum maximè opportunum esse vitam in Societate transactam seu transigendam; dicere proinde debueras ad imitationem Samaritanorum, ac etiam nunc dicere debes. Non propter meorum Promotorum loquelam & consilia, vocationem meam amo & æstimo, sed quia ipse clarè perspicio, quòd hæc sit unica via, quâ ad salutē pervenire debeo, hanc teneo, neq; ab illa unquam deflectere volo.

Hæc considerans, conclude apud Te, quòd à Deo vocatus sis ad Societatem JESU; quòd hæc Divina voluntas sit & fuerit, ut castra Christi sequereris, ut huic Duci in Societate ejus adhæreas. Et quòd hanc circa te dispositionem, non caro & sanguis tibi revelaverit, sed Pater qui in cœlis est. Redde iterum pro tali beneficio Divinæ Providentiæ gratias: Misericordias DEI agnosce dicendo: Misericordias Domini cantabo, qui me in hanc Societatem adlegit, fecit mihi magna, qui potens est, quando me de sæculi luto ereptum, collocavit cum Principibus populi sui.

Punctum III. Audi illa verba Lucæ 9. *Nemo mittens manum suam ad aratrum & respiciens retro, aptus est Regno DEI.* Et hæc in tellige eo sensu, quo illa intellexit D. Bernardus. Is in Epistola sua 10. ad Robertum nepotem, Monachum Cluniacensem, intelligit ea de his, qui vitam Religiosam profitentes, post facta religiosa vota, vitæ religiosæ pertæsi, eandem deserunt, dicitq; tales non esse aptos Regno Dei & de e-

orum

orum salute multùm debere metui existimat. Nec immeritò, tales enim sunt canes illi redeuntes ad vomitum, quibus dicetur: *foris canes*. Illi disrumpunt vincula, quibus trahendi erant ad DEUM in cælo possidendum.

Christus Regnum cælorum non parat nisi ijs, qui cum Christo permanserunt & permanent in tentationibus, qui cum Christo permanent in Cruce, quantumvis graves patiantur tentationes, quibus tentantur, ut ex cruce descendant, & crucem deserant, hoc est, ut vitam Religiosam, cui tanquam cruci per religiosa vota tanquam per clavos affiguntur, deserant. Ut descendas de Cruce hac, tentat te caro, tentat mundus, tentat diabolus; tentant verò vanitatibus, spe vana honorum, Divitiarum, voluptatum, commodorum sensualium, tentant subinde fucatis & apparentibus majoris Gloriæ Divinæ promissionibus. Si non cedas his tentationibus, sed cum Christo in ipsis permaneas, si in cruce religiosa perseveres, parat & disponit tibi Christus Regnum cælorum. Descendis de hac cruce? redis ad sæculum? deseris Sanctam JESU Societatem? frustra tibi blandiris, si regnum cælorum appromittis. Desertoribus Angelis ignis æternus paratus est. Time ne in te & de te verificetur, quod dictum & impletum est in Juda Iscariote, præcipuo Societatis JESU desertore. Prævaricatus est ille de Apostolatu suo, hoc est de gratia Vocationis ad Apostolicum vitæ genus, ut abiret in locū suum, hoc est in locum, qui conveniebat Filio perditionis.

Certè ad hoc, ut quis salutem æternam consequatur, necessarium omnino est, ut non moriatur in statu peccati mortalis, sed potiùs ut moriatur constitutus in gratia sanctificante, in eaq; finaliter perseveret, et ut ex hac vita decedat in pœnitentia finali, & Charitate DEI. Porro qui

 post

post emissa religiosa vota, Societatē deserunt, & ab ea sine justis & sufficientibus causis dimissionem extorquendo, recedunt, communiter mori consueverunt in statu peccati mortalis, & sine vera & finali pœnitentia, atq; sine gratia sanctificante decedunt. Deserendo enim vocationem sine justis causis, gratiam sanctificantem miserè perdunt, quia per convulsionem votorum religiosorum, & promissionis, vim & rationem voti habentis, de vita in Societate perpetuò agenda, graviter & mortaliter peccant, atq; in hoc peccato ad mortem usq; perseverant, nec de hoc peccato veram ac seriam pœnitentiam agunt. Si enim pœnitentia illorum seria, & prout oportet ad salutem, esset, deberent reparare quod ab ipsis pessimè actum est, adeoq; deberent ad Societatem redire, quam indebitè & nulliter dimiserunt, vel cùm dimissio eorum, causis non veris, fraude aut dolô, aut gravibus delictis ea mente perpetratis obtenta, per leges & declarationes Societatis, ipsis optimè notas, quia sæpiùs omnibus intimari solitas, sit nulla & irrita, deberent sibi consulere & media adhibere, ut dimissionem, quæ coram Deo valeat, obtineant, quod rari sunt qui faciant. Huic peccato plurima alia accumulant, dum ligati votis; taliter atq; si ijsdem soluti essent, more sæcularium vivunt, gravissimisq; criminibus suas innodant conscientias, ac morte deinde superveniente, non solùm sine fructuosa pœnitentia, sed etiam in desperatione de obtinenda venia & salute decedunt; in hoc etiam Judam, infelicem Societatis JESU desertorem, imitati, qui pariter desperationis laqueo vitam suam infeliciter ac miserè finivit. Hujusmodi igitur desertores Societatis, non sunt apti regno Dei, sed ab hoc excluduntur & in locum Judæ, hoc est in æternum desertoribus Angelis præparatum supplicium abeunt.

Sed

Sed fortassis, his suæ vocationis desertoribus spem bonam faciet, data ipsis á votis Religiosis absolutio, & dimissio facta ex legitima Præpositi generalis Authoritate. Cæterùm monet Bernardus in citata Epistola ad Robertum Monachū, qui etiam obtenta Apostolica absolutione & concessione, à Cistercienſi, ad Cluniacensem Ordinem transierat, non esse fidendum tali absolutioni *Dicit enim perituram ejus animam, fieriq; supra modum peccatum peccans.* Et statim addit: *Quid tibi frustra quispiam blanditur de Apostolica absolutione, cujus conscientiā Divina ligatam tenet sententia. Nemo mittens manum suam &c.* Multò minùs fidendum est absolutioni à votis, ijs qui è Societate JESU sine rationibus justis ad sæculum redeunt. Absolutio talium desertorum à votis, solvit eos votis coram hominibus, & in foro externo. Sed coram Deo ligatam conscientiam Divina tenet sententia.

Colloquium instituatur ad Beatissimam, per cujus Patrocinium supplex postula, ut in Societate JESU Filij ejus, Cruci ipsius confixus, moriaris, & ut materna illius protectione adversùs omnes tentationes defensus, ad Societatem triumphantem pervenias.

In fine: Ave Maria.

Meditationes In Triduo Collectionum ante primam Votorum renovationē Faciendæ.

Meditatio I.
De Votorum & Spiritûs Renovatione.

Præludium 1. Imaginare Sanctissimam Divinarum Personarum Trinitatem, Sacratissimam Christi humanitatē, Pretiosissimam Virginem Dei Parentem, & curiam cælestem universam, non solùm renovationi votorum à te faciendæ interfuturam, sed etiam præsenti tuæ meditationi, omnibusq; tridui sequentis actionibus speciali modô interesse præsentem; In hisq; tuum fervorem, tuum animum, tuam intentionem spectare, suumq; gustum explere velle.

Præludium 2. Pete uberem gratiam, ad hæc omnia cum gustu & beneplacito Divinæ voluntatis, & dignè conspectu cælestis curiæ, peragenda.

Punctum I. Considera Renovationem, quam Societas, in suis Domibus & Collegijs, bis in singulos annos fieri & institui sanctissimè voluit, duplicem esse. Unam Renovationem Votorum Religiosorum, alteram Renovationem Spiritûs. Renovatio Votorum, est eorum votorum, quæ post expletum biennium tyrocinij nuncupavimus, & per quæ nos obligavimus ad servandam in Societate perpetuam Paupertatem, Castitatem, & Obedientiam, & ad ingrediendam eandem Societatem, per acceptationem gradus illius, in quo unumquemq; nostrûm hæc ipsa Societas per Adm. R. P. Nostrum Generalem constituere volet. Horum, inquam, Votorum est iterata & repetita nuncupatio. Finem duplicis hujus renovationis, propter quem illam fieri voluit S. Pater noster Ignatius, sequentibus verbis expressit part. 4. Constit.

Cap.

Cap. 4. Num 5. *Ad Devotionis augmentum, & ad excitandam, quâ DEO obstricti sunt, obligationis memoriam, & ad majorem in vocatione confirmationem, bis, annis singulis, simplicia vota congruum erit renovare.*

Utraq; hæc Renovatio, inter alias, duas has etiam habet proprietates.

1*mam* Quòd habeat vim & totam rationem primæ nuncupationis & emissionis votorum, ita, ut licèt non inducat novam & diversam obligationem, inducat tamen eam ipsam, quam inducit, vel de se nata est inducere prima nuncupatio.

2*da* Proprietas Renovationis votorum est, quòd quævis renovatio suppleat omnes defectus & vitia, si quæ fortè contigerunt in prima votorum nuncupatione, ob defectus ætatis requisitæ, biennii Novitiatûs, & alios similes, omnesq; tales defectus, postquam cessârunt, consveta votorum renovatione emendantur.

His consideratis, recogita. Quantæ dignitatis & æstimationis apud Religiosos Societatis debeat esse hæc renovatio. Si prima votorum nuncupatio habetur pro re maximè sancta, maximè necessaria ad finem vocationis hominis Religiosi, si diem primæ nuncupationis votorum bonus religiosus observat, tanquam natalem, quo Deo & Religioni natus est, quo primò cæpit esse Religiosus, si diem hunc existimat esse diem suæ desponsationis, quo per vota Religiosa, anima ejus Deo desponsata est. In pari observatione, & æstimatione debere esse renovationem, quâ prima vota renovamus.

Recogita iterum & reflecte te, quâ devotione, qua animi resolutione, tuiq; victoriâ, qua præpatione, primò vota tua nuncupâsti, pari devotione, resolutione, & animi sensu, simili præ

m issa

missa dispositione & præparatione, eadem vota nun renovare stude. Imò si fortè prima nuncupatio remissè, negligenter, defectuosè facta est, nunc supplere & corrigere velis hos defectus.

Resolve te ad hanc renovationem omni meliori modo faciendam, Deoq; quàm maximè per eam placendum. Propone adhibiturum te media ad hunc finem conducentia, præmissurū præparationes, quas Societas à nobis hoc tempore præmittit, exigit, idq; propone, hæc te præmissurum non ex more & consvetudine, non ex aliqua indeclinabili necessitate, sed ut gustum expleas Divini beneplaciti, conformiter ad exempla tot nostrorum, qui hujusmodi renovationes magno fervore, devotione, & sanctitate peragere soliti fuerant.

Ora S. Patrem tuum, S. Franciscum Xaverium, & alios primos Patres Societatis nostræ, ut in renovatione tuorum votorum, eum fervorem experiaris, eam intentionem habeas, ita omnia, tuamq; obligationem intelligas, atq; te obligare velis, quo feruore illi, qua intentione, quo sensu, & qua obligandi se voluntate, sua vota in monte serrato nuncupârunt.

Punctum II. Considera Renovationem in Societate non esse præcisè & unicè, repetitam votorum nuncupationem, sed debere esse etiam Renovationem spiritûs, totiusq; hominis reformationem in melius. Considera et illud: hanc ipsam spiritûs renovationem, in eo stare, ut nos exuamus veterem hominem.

Homo vetus qui exuendus est, nihil aliud est, nisi homo terrena sapiens, sapiens ea quæ carnis sunt, quæ mundi sunt, non percipiens verò ea, quæ sunt spiritûs, quæ sunt salutis animæ, idq; non percipiens hæc practicè, licèt fortè speculativè ea cognoscat & intelligat. Homo vetus, est homo

homo propriorum commodorum, & eorum quibus sensus oblectantur, sectator, homo vanus, suis obsequens concupiscentijs, homo passionū immortificatarum, amoris proprij servus & mancipium; homo vetus, est Belial, hoc est absq; jugo, jugum excutiens legis Divinæ, obligationis votorum, Regularum & disciplinæ religiosæ, aliterq; vivens, quàm à se exigant recta ratio, lex Divina, & Regulæ proprij Instituti. Homo vetus deniq; est, homo Christo, ejus exemplis, doctrinæ, consilijs, quaqua ratione contrarius & oppositus. Hic igitur vetus homo, per præsentem votorum & spiritûs renovationem est exuendus.

Exuitur verò per constantem & fortem tentationum victoriam, quibus aliquis succumbere solitus fuerat, per passionum & carnis mortificationem, per debellationem sensualitatis & amoris proprij, per eradicationem pravarum, vel certè nostro instituto minùs conformium consvetudinum, & habituum, per exactam votorum & regularum observationem, per Christi humilis, obedientis, contempti, patientis imitationem.

Hæc considerans, reflecte te supra anteactam vitam tuam, & recogita, an non reperiatur in te homo vetus. Vide quæ emendare potissimùm debeas, quas tentationes superare, quam rationem in his superandis tenere, quæ adhibere media. Tecum dispice, quæ passiones dominentur, quæ maximè mortificationis ferrô egeant, quæ consvetudines sint eradicandæ, contra quæ vota, contra quas regulas, facilius delinquis? Christo, ejusq; sanctissimis exemplis, quàm sis dissimilis? Resolve te ad hæc corrigenda, age pænitentiam, & detestare anteactam vitam tuam, per animosam confessionem depone quidquid gravat conscientiam tuam, per sancta & firma proposita obfirma te contra tentationes, quibus impugnari

S

gnaris, contra consvetudines, quibus obnoxius es, contra defectus quos commisisti.

Punctum III. Considera per renovationem spiritûs ita debere exui veterem hominem, ut simul induamur novum.

Novi hominis, quem induere debemus, exemplar & ideam, in seipso exhibuit nobis & expressit suâ Doctrinâ, suis virtutibus, exemplis & consilijs, Dominus noster JESUS Christus, descripsit nobis Spiritus Sanctus, digitus Paternæ dexteræ, per S. Patrem nostrum Ignatium, in Sanctissimis Societatis Constitutionibus. Descripsit insuper idem Spiritus Sanctus per sua lumina, sanctas illustrationes & inspirationes, per proposita in tyrocinio, collectionibus, & meditationibus à nobis concepta & formata. Hunc hominem novum efformare in nobis nititur gratia Divina, in quotidianis meditationibus, examinibus, aliisq; exercitijs spiritualibus.

Talem novum hominem induere hoc maximè tempore debemus, nimirum debemus induere talem hominem, qualem nostra poscit vocatio, qualis nostris regulis & constitutionibus depictus atq; delineatus est. Indui debemus verum JESU Socium, debemus indui vestibus & insignibus Domini nostri JESU Christi, pro ejus amore ac reverentiâ, ut velimus contumelias & injurias pati, ac stulti haberi & existimari, ut ipsi assimilemur, eumq; imitemur. Indui debemus ipsum Dominum nostrum JESUM Christum, & seriò adlaborare, ut in nobis formetur Christus, Christus humilis, Pauper, Castus, Obediens, non solùm Patri æterno, sed etiam Matri Sanctissimæ, sed etiam Sancto Josepho, & cuicunq; alteri potestati obediens usq; ad mortem, idq; mortem Crucis, ut formetur in nobis Christus in Cruce sua constantissimus, & in vocatione sua

usq;

usq; ad finem perseverans, ita, ut ne propter salutem quidem principum sacerdotum totiusq; gentis Judæorum, ut in ipsum crederent, de cruce descendere voluerit. Laborandum est, ut formetur in nobis Christus patiens incommodorum, injuriarum, & quorumvis adversorum tolerantissimus, Christus mitis & mansuetus, orationi, in qua etiam pernoctare solitus fuerat, maximè deditus, conformis in omnibus voluntati Patris æterni. Curemus, ut has aliasq; virtutes Christi, imitatione in nobis exprimamus.

Hac ratione induemur novum hominem, induemur Christum, imò in ipsum transformabimur. Transformatio hæc, opus est præstantissimum, tuæ vocationi, perfectioni, & saluti, maximè consentaneum & summè necessarium. Hoc opus in præsenti triduo aggredere, hoc deinceps toto vitæ tuæ tempore perficere stude. Hæc unica sit tua cura, ut Christi exemplis & vestigijs, insistas, & in novitate vitæ semper ambules.

Colloquium ad Patrem æternum, cui supplica humillimè, ut sicut per generationem æternam filium unigenitum sibi simillimum generavit, eiq; suas omnes perfectiones per identitatem in natura communicavit, ut te quoq; suis gratijs per hoc triduum ac totâ deinceps vitâ tuâ liberaliter in te effundendis, faciat conformem imagini Filij sui, quatenus per vota religiosa, eorumq; observationem, ipsi arctissimo & nunquam dissolubili vinculo vnionis conjungaris, Sanctitatisq; Filij ejus Incarnati, ac virtutum suarum per imitationem particeps efficiaris, atq; hac ratione exuens veterem hominem, ipsum Christum induaris, in eumq; perfectè transformeris. Conclude affectu, Sancto Patri tuo usitatissimo.

Anima Christi.

Medi-

Meditatio De Renovatione exterioris & interioris hominis.

Prældia eadem quæ Meditationis præcedentis.

Punctum I. Considera in præsenti spiritûs & votorum Renovatione renovari debere & Exteriorem, & Interiorem hominem.

Exterioris hominis Renovatio stat potissimùm in exteriorum animæ potentiarum, seu sensuum nostrorum reformatione. Absq; hac & innovatio interioris hominis & per consequens renovatio spiritûs nullatenus obtineri potest. Si portæ patentes sunt, impediri difficilè potest hostis, ne animam occupet, & tanquam in suam intret domum, ne vetus homo cum suis concupiscentijs sedem suam in tali figat anima, ne intret mors, ne intret peccatum. Claudantur sensuum portæ & custodiantur, in pace erunt omnia. His januis clausis veniet in animam Dominus JESUS Christus, veniet novus homo.

Custodiatur lingua, ponatur custodia ori per Regulæ silentij accuratam observationem, dum medium silentium tenebit omnia, Omnipotens sermo Divinus, Verbum æternum, de regalibus sedibus veniet, in anima hominis religiosi residebit, eamq; donis suis, gratijs, virtutibus & meritis locupletabit. Qui non refrænat linguam suā, ejus vana est Religio. Multùm vanitatis, parùm virtutis est in religioso linguam suam non refrænante. Religiosus garrulus & loquax, est Virtutibus vacuus, deficit in humilitate, quæ est, fundamentum totius Religiositatis, deficit in Charitate, deficit in mansvetudine alijsq; virtutibus, factus

eſt velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens. Talis Religioſi vana eſt religio. In multiloquio non deeſt peccatum; ubi multiloquium, ibi multi ſunt defectus, ibi vetus homo.

Sine cuſtodia etiam oculorum, aurium, aliorumq; ſenſuum, non ambulamus in novitate ſpiritûs. Pepigiſti fœdus cum oculis tuis, ut non aſpicias mundum & ea quæ mundi ſunt, quæ te à Deo avertere poſſunt, ut terram plerumqvè, & ſubinde etiam mente ad Deum elevatâ, cælum intuearis, exclusiſti ab anima hoſtem, qui ipſam deprædaturus erat, exclusiſti veterem hominem, veterem Adam, qui pomum vetitum, eò quòd eſſet pulchrum viſu, intuitus, illudq; comedens, & ſe, & totum perdidit genus humanum; induiſti Chriſtum, expreſſiſti in te imaginem matris Beatiſſimæ, Matris & Virginis modeſtiſſimæ. Sis affectus huic imagini, eam tenerrimè ama & appretia, cura ut in te ſit perfectiſſimè expreſſa. Hæc tibi placeat ſemper, quæ in te ſpecialiter Deo, Chriſto, matri ipſi ſanctiſſimæ, bonis omnibus, imò malis etiam placet, quæ te in omnium oculis, non ſolùm novum hominem omnibus amabilem, ſed etiam Angelum Dei, imò & ipſum Chriſtum, & Dei filium facit.

His conſideratis, fac reflexionem ſupra exteriorem tuum hominem, qualis ille hactenus fuerit. Quæ linguæ tuæ, quæ oculis, quæ alijs ſenſibus à te adhibita eſt cuſtodia? Erubeſce ac defle tuam miſeriam. Recogita quanta tibi damna ſint illata, imò non tibi tantùm, ſed & tot alijs per tuam garrulitatem! quot non ſolùm defectus ſed etiam peccata commiſiſti? Recogita & illud, an oculus tuus non ſit deprædatus animam tuam? An portâ hâc patente non introierit in Animam tuam vetus homo? an per hoc o-

ſtium hians non abiverit novus homo, Chriſtus, gratia illius, virtus, Religioſitas? an per januas ſenſuum non cuſtoditorum non receſſerint à te? Obarma, obfirma te propoſitis, ad reformandas has potentias, ad ſenſus tuos meliùs deinceps cuſtodiendos. *Pone Domine cuſtodiam ori meo. Averte oculos meos ne videant vanitatem. Sepi aures meas ſpinis.*

PUNCTUM II. Conſidera in hoc triduo ut perfectam ſpiritûs Renovationem conſequaris, non ſolùm exteriorem, ſed etiam interiorem hominem debere te renovare.

Homo interior potiſſimùm conſiſtit in duabus animæ noſtræ potentijs interioribus & ſpiritualibus, nimirum in intellectu & voluntate; adeoq; ut interior homo renovetur, debere renovari intellectum & voluntatem.

Intellectûs Renovationem ſingulariter nobis commendat ſcriptura illis verbis ad Ephes. 4. *Renovamini ſpiritu mentis veſtræ.* Hanc conſequemur, ſi effecerimus, ut à noſtro intellectu procul ſint cogitationes vanæ, faſtuoſæ, ſuperbæ, quæ Angelum lucis in ſatanam transformant, cogitationes quâquâ ratione etiam remotè puritati Angelicæ repugnantes, cogitationes inobedientes, ſæculares, & quæcunq; aliæ homini religioſo non convenientes, ipſumq; dedecentes.

Potiſſimùm tamen intellectus noſter renovabitur & reformabitur *imò* ſi ſemper illi DEUS præſens obverſabitur, ſi hoc præcipuum noſtrum fuerit ſtudium, ut DEUM habeamus intellectui noſtro præſentem, & obverſantem in omnibus noſtris actionibus, eumq; mentis oculis intueamur, & ad ejus laudem & gloriam omnia referamus. Hæc continua DEI præſentis memoria non ſolùm nos novos, ſed etiam perfectos homines efficit, ſecundùm id, quod Abrahæ dictum

eſt.

eſt. *Ambula coram me & eſto perfectus*. Hæc nos reddit fortes contra omnes hoſtium animæ noſtræ inſultus, contra quaſcunq; tentationes robuſtos & invictos. Hæc facit, ut ſimus Angeli qui ſemper vident faciem Patris, qui incælis eſt. Reformabitur intellectus, ſi eidem quàm frequentiſſimè obverſetur Chriſtus crucifixus, ſi ante te fuerit pendens vita tua, ſi irretortâ mentis tuæ palpebrâ aſpicias in Authorem fidei & conſummatorem JESUM, qui propoſito gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contempta; ſi intuearis ſanctiſſimum illud exemplar in Monte Calvariæ tibi monſtratum, illiq; in omnibus tuis actionibus te conformare, eaſdem actiones paſſione Chriſti dignificare, illiq; unire ſtudueris.

2*dò* Intellectus renovabitur per renovationem noſtrarum meditationum, quæ ipſæ renovabuntur, ſi fiant eâ attentione animi, & Potentiarum applicatione, quam in nobis deſiderat S. Pater noſter Ignatius, & Sancta Mater Societas. Si juxta additiones & annotationes ejuſdem Sancti Patris, & juxta doctrinam in tyrocinio nobis traditam, meditationes noſtras inſtituerimus, eumq; ex ipſis fructum quæſiverimus, qui percipi poteſt & ſolet per has rectè inſtitutas. In his, niſi velimus deeſſe gratiæ Divinæ, facilè exardeſcit ignis, qui non ſolùm vitia excoquit, ſed in Cherubinos, Seraphinos, & in cæleſtes nos transformat Intelligentias, ut nihil ſapiamus niſi Deum, nihil amemus niſi DEUM, DEUM in Omnibus quæramus. Æſtimemus horam meditationis, ſicut illam æſtimavit magnus Societatis noſtræ Theologus P. Franciſcus Suarez, ſui ævi alter Auguſtinus, qui potiùs tantæ ſuæ doctrinæ jacturam præeligebat, quam jacturam unius horæ meditationis. Pro grandi piaculo habeamus, hanc aliquando intermittere. Perſuaſum nobis omni-

nò ſit, per nihil nos faciliùs à perfectione hominis religioſi, novi hominis, veri JESU Socij, imò etiam (quod avertant Superi) à vocatione religioſa, & in ea perſeverantiâ defecturos, quàm per neglectum orationis & intermiſſas meditationes.

3*tiò* ad Renovationem intellectûs confert plurimùm debitus Examinum conſcientiæ uſus, eſtq; ſpirituali profectui maximè accommodatus, Examinum inquam, non ſolùm, generalium ſed etiam particularium. Particularis Examinis uſus, utpote proprium S. Patris noſtri inventum, filijs ejus, niſi velint à Sancto ſuo parente deflectere, maximè deberet eſſe familiaris. Per duo hæc examina, tanquam per efficaciſſima media, in novos transformamur homines.

4*tò* tandem ad innovationem intellectûs etiam hoc deſiderari poteſt, ut ipſa literarum ſtudia, quæ in Societate, intellectus noſtri ſunt præcipua occupatio, & ad quæ nos interim applicat Societas, tractemus juxta mentem, ſpiritum, & intentionem Societatis, ut non aliam rationem in addiſcendis literis & ſcientijs teneamus, niſi præſcriptam pro uſu ſive diſcentium ſive docentium rationem ſtudiorum.

His conſideratis, reflecte te ſupra ſingula. In quo tuus interior homo, in quo intellectus reformatione indiget? An frequenti Dei & Chriſti Crucifixi memoriâ delecteris, eâq; ad perfectionē & profectū in virtutibus exciteris? quô fervore, quâ diligentia & applicatione meditationes inſtituas? qualiter hora illis conceſſa decurrat? an non ſument tunc cogitationes vanæ, otioſæ, diſparatæ & alienæ? an certè exardeſcat in ipſis ignis Divinus? Examina conſcientiæ quàm ſanctè, quô ſucceſſu, & quô fructu fiant? Examinis particularis uſum quàm pridem intermiſeris? an ſis conſtans

ſtans in eo bis ſingulis diebus faciendo ? An deniq; in tuis ſtudijs rectam intentionem habeas, an in his DEUM, gloriam ejusq́, & ſalutem animarum quæras ? an vanitatem, an te ipſum & vanos plauſus ? An cures ſervare ea, quæ circa modum ſtudendi, docendi, leges noſtræ præſcribunt. Fac propoſita accomodata, gratiamq; Divinam implora.

PUNCTUM III. Conſidera, ut renovetur interior homo, voluntatem quàm maximè renovari debere. Hæc ſiquidem, propter corruptionem naturæ noſtræ per peccatum originale cauſatam, à proſequendo bono vero & honeſto, à DEO amando, à primævo fervore, à virtute & perfectione facilè deflectit. Cùm bona æterna, ſupernaturalia, ad ſalutem pertinentia, voluntas frequenter contemnat, caduca verò, tranſitoria, in perniciem nos trahentia, facilè ſectetur, veterem in nobis aſſiduò format, retinet, & conſervat, novum autem expellit hominem. Quarè in voluntate reformanda plurimùm & in deſeſſo ſtudio eſt laborandũ, indicendum eſt bellum amori proprio, amori rerum terrenarum, amori creaturarum, expugnandæ pravæ animi affectiones; his enim nonniſi expugnabitur vetus homo, & novus induetur.

Porrò voluntas noſtra reformabitur, quando conformabitur voluntati Divinæ. Ad reformandam & renovandam voluntatem opus eſt, ut reguletur in omnibus ſuis actibus Lege æterna, Præceptis DEI & Eccleſiæ, legibus & regulis Societatis, dictamine conſcientiæ recto, conſilijs Chriſti, illuſtrationibus & inſpirationibus Spiritus Sancti.

Innovatur etiam voluntas, per frequentes Amoris Divini aliarumq; virtutum Theologicarũ & moralium actus, per intentionem placendi ſoli DEO, eum laudandi, divinamq; ejus quærendi

 gloriam

gloriam, per talis intentionis frequentem renovationem, per contemptum reſpectuum humanorum, per odium ſui ipſius.

Innovant voluntatem frequentia & ardentia ad DEUM ſuſpiria, ignitæ ejaculatoriæ orationes, ardens proficiendi ſemper in melius deſiderium.

Recollige te, an utaris his medijs renovandi tuam voluntatem. Ab hoc tempore incipe. Conſtitue tempora pro eliciendis & frequentandis hujusmodi actibus; diſpone aſcenſiones ad DEUM in corde tuo.

Colloquium ad Filium æternum Incarnatum, à quo ſuppliciter petes, ut, qui hominem renovaturus, hominem aſſumpſit, meritiſq; ſuis infiniti valoris, gratias ad hunc finem opportunas promeruit, ut inquam, ſuæ paſſionis & meritorum fructum tibi applicet ad te innovandum, ut, pro te homo factus, & exteriorem & interiorem tuum hominem, in hominem novum, imò in ſeipſum transformet, ſuarumq; virtutum exprimat in te imaginem.

Concludes illo affectu: Suſcipe Domine univerſam libertatem meam etc.

Meditatio De Renovatione Voti Paupertatis.

Præludia eadem, quæ duarum præcedentium Meditationum.

PUNCTUM I. Conſidera, in triduo hoc Renovationis à Societate conceſſo, ante iteratam ab omnibus renovaturis faciendam votorum ſimultaneam more Societatis nuncupationem, debere

ab unoquoq; ex renovaturis singula vota renovari per correctionem defectuum, in cujusvis observatione, superiori semestri & ante, commissorum. Singula vota, & eorum renovatio, erunt materia sequentium meditationum. Et præsentis quidem Meditationis erit materia & objectum, votum paupertatis. Circa quod votum in hoc puncto considera sequentia.

1*mò* Naturam voti simplicis Paupertatis, quale post biennium Novitiatûs emittunt nostri scholastici, talem esse, ut, licèt per illud non extinguatur nec auferatur jus ad bona quæcunq; sed maximè immobilia, quæ quis in sæculo habuit, & quibus ante ingressum in Societatem se non abdicavit, sed potiùs, vovens in Societate paupertatem, talium bonorum retineat Dominium; per idem tamen votum exuat se administratione omni talium bonorum, nec licitus sit illi ullus eorundem ullus, ita, ut nec distribuere, nec donare, nec abdicare illis seipsum possit proprio arbitratu, sed nonnisi cum facultate & assensu superiorum, de illis disponere debeat in pias causas, & per modum Eleemosynæ. In propriam verò utilitatem, nec bona ipsa sua, nec fructus illorum convertere potest, ita, ut nec facultas ad id per leges nostras ipsi concedi debeat.

2*dò* Natura hujus voti est, quòd vi illius scholasticus, vel alius quiscunq; teneatur suis illis bonis in sæculo habitis, eorumq; dominio se abdicare, cùm primùm illi, sive per leges Patrias, sive per leges Societatis licuerit, dependenter à facultate & concessione superiorum, & juxta modum legibus Societatis præscriptum.

3*tiò* Natura ejusdem voti est, quòd vi illius religiosus sit incapax dominij supra bona & res quascunq;, quas, in religione existens, ex eleemosynis, donationibus, & alijs titulis acquirit,

etiamsi capax sit dominij bonorum, quæ viâ successionis naturalis intereà in eum devolvuntur. Non habet quoq; Religiosus dominium bonorum & rerum Societatis, ac ipsius cujuscunq; Domicilij; sed hoc totum & plenum dominium est penes ipsam Societatem, administratio verò penes superiores, usus autem penes privatos, prout hanc ipsis superiores concesserint.

4tò Considera, non solùm usurpationem rei tanquam propriæ, sed etiam merum usum rei sine superioris concessione, esse contra obligationem voti religiosi Paupertatis, talemq; usum esse peccatum grave vel leve pro quantitate materiæ, hoc est, pro quantitate rei habitæ vel usurpatæ. Porro quantitatem sufficientem ad culpam mortalem declaravit Societas esse illam, quæ furto sublata, esset sufficiens ad constituendum peccatum mortale, contra septimum præceptum; imò statuit, ut culpa circa talem quantitatem esset Casus in Societate reservatus.

His consideratis, reflecte te supra tuam paupertatem. Recogita, quæ sit tua obligatio circa bona hæreditaria & Sortem legitimam te concernentem, an huic obligationi in aliquo non contraveneris? Quòdsi circa hæc bona servas intereà leges Societatis, vide tamen, ne contra eas & obligationem tui voti quidpiam aliquando committas.

Reflecte etiam te, an, sivè per leges Societatis, sivè per leges patrias, non possis jam te abdicare tuis bonis? Si quadriennium vitæ tuæ religiosæ jam implevisti, per leges Societatis potes jam, & teneris abdicare te tuis bonis, nisi superioribus aliter visum fuerit.

Reflecte insuper te supra reculas tuas, quas habes ex donationibus, eleemosynis, alijsq; titulis similibus, an non sit aliquid majoris & notabili

bilioris quantitatis, an non sit aliquid sine facultate? Etiam usum & usurpationem rerum minoris quantitatis sine facultate, nè contemne; talium enim rerum usus, est saltem venialiter peccaminosus; timendum etiam est, ne, sicut per repetita parva furta potest perveniri ad eam quantitatem, quæ sit sufficiens ad peccatum mortale, & ut peccetur mortaliter; ita per frequentes rerum parvarum usurpationes contra paupertatem, perveniatur ad quantitatem sufficientem ad peccatum mortale contra Votum Paupertatis. Exhorresce tantum malum.

Elice affectus huic materiæ & tuæ conscientiæ accōmodatos. Fac proposita, observaturum te exactè votum paupertatis, conformiter ad obligationem tuam, omnia intelligendo juxta ipsius Societatis Constitutiones.

Punctum II. Considera, cùm vitam hanc mortalem nullatenus possimus ducere absq; usu aliquarum rerum creatarum, ad ejusdem vitæ sustentationem necessariarum; neq; enim sine cibo, potu, indumentis esse possumus, quoad vivimus, proindeq; debeat nobis horum usus concedi, & defacto conceditur, absq; ulla voti paupertatis violatione; ut tutò & secura conscientiâ hac in parte procedatur, hæc in praxi esse tenenda.

1*mò* Quòd ex obligatione voti paupertatis omnia superflua resecari debeant, debereq; nos esse contentos solis necessarijs.

2*dò* Ex ijs quæ videntur esse necessaria ad vitæ nostræ sustentationem, debere nos esse contentos rebus vilissimis, & quæ pauperibus maximè accommodatæ judicantur. Quarè in Necessarijs quæcunq; singularitas, vanitas, aut sensualitas quæsita, ac etiam quivis excessus, repugnant puritati voti paupertatis.

3tiò Religiosum debere experiri subinde aliquos effectus sanctæ Paupertatis, patienter, sine murmurationibus, ac etiam libenter ferendo defectū rerum necessariarum; aut, si nostra necessitas expleatur rebus vilioribus, quàm juxta Societatis morem à superioribus nostris provideri nobis soleat; cùm & ipsi superiores, per talium rerum subtractionem, possint subinde probare suos subditos.

4tò Omnia Necessaria ad victum, vestitum, cubiculi supellectilem, debere subministrari subditis, ab ipsorum superioribus, ex bonis & proventibus communibus, nec licitum esse ulli subbitorum, ea sibi aliâ quacunq; viâ quærere, aut per alios procurare, nec penes ipsos superiores esse, hanc illis facultatem dare.

His consideratis, reflecte te supra tuam supellectilem, an sit illa pauperibus & paupertati accomodata, an in ea non reperiatur aliquid superfluum, an non aliquid pretiosum, aut vanitati magis & curiositati, quàm necessitati deserviens. Reseca superflua, pretiosa, vana; desidera cum vilioribus, imò cum vilissimis commutare, & ut efficaciùs id obtineas, à superioribus hoc ipsum postula.

Reflecte te an experiaris, & quo animo, fructus & effectus sanctæ Paupertatis. Per gratiam quidem Divinam, & superiorum providentiam, nunquam nobis necessaria desunt, dum tamen aliquando necessitas & indigentia naturæ nostræ vilioribus expletur & contentatur, nec suppeditantur ea, quæ sensualitati amoriq; proprio magis arrident, an tunc non prorumpas in murmurationes, an non habeas in eo casu tuas resolutiones, an non soleas jus naturæ prætendere ad quærenda meliora in victu, vestitu, & cubiculi supellectili, non contentus ijs, quæ tibi superiorum tuo-

rum Charitas, ex tenuibus proventibus suppeditat; scito tuas illas resolutiones non esse resolutiones rectæ Theologiæ & rationis, sed ex Cathedra pestilentiæ esse à satana dictatas. Jus illud naturæ quod prætendis, est vitiosus naturæ corruptæ appetitus, contra quem boni Religiosi pugnant, & tu pugnare, eumq; superare teneris.

Confundere, quòd matrem tuam sanctam Paupertatem sæpiùs afflixeris, quòd murum hunc tuæ Religionis, hoc propugnaculum concusseris. Propone redintegraturum te omnia, matrem hanc tuam, S. Paupertatem, filiali deinceps affectu amaturum, nec legem ejus unquam dimissurum.

Punctum III. Considera Paupertatem religiosam non debere te profiteri merè exteriorem, quæ sit extrinseca carentia rerum superfluarum, pretiosarum, curiosarum, vanitatem redolentium; sed paupertatem tuam, debere insuper esse paupertatem internam, paupertatem Spiritûs. Tali paupertati appromittitur Regnum Cælorum. *Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Hac paupertate pauperes, ore ipsius Veritatis æternæ, Beati appellantur.

Porrò paupertas Spiritûs in hoc stare videtur, quòd Religiosus ad res illas, quæ suo usui conceduntur, non adhæreat affectu, nec cor ad ista apponat, quod ita hæc habeat, ut contentus sit futurus, si illi pro libitu superioris accipiantur, vel in deteriora commutentur, nec inde contristetur, vel minimè affligatur. Talem paupertatem commendat nobis S. P. Ignatius dum præscribit, ne ullâ re tanquam propriâ utamur, hoc est, ne ita afficiamur ut propriæ. Talis paupertas S. Gregorium Magnum pauperi Anachoretæ, in sanctitate, & merito exæquavit, imò supra hunc longè extulit, quòd Divitijs, quibus Sanctus hic Pontifex, pro ratione & conditione supremæ

in Ecclesia DEI dignitatis affluebat, non afficeretur, nec cor suum apponeret, cùm tamen Anachoreta, rei cuipiam vili & miseræ in paupere suo tuguriolo repertæ, plùs quàm par est affectu adhæreret.

Reflecte te an hæc spiritûs paupertas in te inveniatur? An ita careas rebus superfluis, vanis, prĕtiosis, ut has non desideres, non libenter habeas si offerantur. An non habeas in tuo cubiculo aliquid, vg Imaginem, Rosarium &c. cui ita afficiaris, ut si tibi acciperetur, inde perturbari te & affligi contingeret. Erubesce, & illud tibi ingemina: *Projecisti molem, vide ne arenâ obruaris.*

Colloquium ad Spiritum Sanctum, tertiam Sanctissimæ Trinitatis Personam, cui supplica, ut igne illo suo, quo universum accendit orbem, purificet cor tuum, tuosq; affectus, ut nulli rei creatæ affectu adhæreas, sed in solo DEO plenè conquiescas, solusq; DEUS sint universæ divitiæ tuæ & omnia.

In fine: Suscipe Domine universam libertatem &c.

Meditatio De Renovatione Voti Castitatis.

Præludia Eadem quæ meditationum præcedentium.

Punctum I. Considera Castitatem, ad quam nos, per votum Castitatis, DEO in Societate obligamus, debere esse talem, ut in carne militantes, non secundum carnem militemus, sed potiùs contra

tra carnem, tanquam præcipuum eumq; domesticum & continuum hostem decertemus, ipsam cum suis concupiscentijs, rationi perfectè subjugantes. Item: Castitatem in Societate debere esse Angelicam, hoc est talem, ut quod Angeli habent per naturam, nos per virtutem & imitationem puritatis Angelicæ consequamur. Circa hanc S. Pater noster in suis Constitutionibus in hæc Verba loquitur: Quæ ad votum Castitatis pertinent, interpretatione non indigent, cùm constet, quàm sit perfectè observanda, nempe enitendo Angelicam puritatem imitari & Corporis nostri & mentis munditiâ.

Circa voti hujus observationem, tantò majore supra nos ipsos vigilantiâ opus est, quantò ob naturæ nostræ corruptionem, lapsus contra hoc votum consuevit esse facilior & gravior. In aliorum votorum materia licèt possit dari parvitas & levitas, possintq; aliorum votorum transgressiones excusari à culpa mortali propter materiæ levitatem, in voto tamen Castitatis non datur parvitas materiæ, ita, ut exigua etiam in re venerea delectatio, deliberatè quæsita, propter levitatem nullatenus excusare possit à mortali, ut docet, & docere tenetur Universa Societas.

Hæc considerans, reflecte te supra Voti hujus observationem. Si contra hoc votum, ut opinari licet, per DEI gratiam graviùs non deliquisti, Divinam singularem circa te agnosce & adora Providentiam. Ex victoria de hoc tuo hoste, nimirùm de carne tua, ne insolescas, neq; quidquam remittas de vigilantia supra te ipsum, & supra hostis hujus insidias. Præliare bella Domini, continuò decerta, nec unquam quietem seu armistitium concede hosti, summâq; sollicitudine & diligentiâ invigila, ne ipsi in continuo hoc bello aliquando succumbas. Si virgo es, memineris

ris habere te thesaurum in vase fictili & fragili. Tibi ipsi diffide, atq; in timore & tremore custodi hunc Thesaurum, custodi vasis fictilis integritatem; simul tamen DEO & gratiæ ejus fide, ac spe in DEUM erectus, certus de adfuturo tibi cælesti auxilio, ulteriorem tibi de hoste hoc ominare victoriam, dicens cum Apostolo; *Omnia possum in eo qui me confortat.*

Quodsi quid contra voti hujus puritatem per humanam fragilitatem accidit, post lapsum quàmprimùm consurge; hoc beneficium est vocationis tuæ Religiosæ, quòd in religione cadatur rariùs, surgatur velociùs. Age pœnitentiam, & corrige culpam; Religio utiq; est status Pœnitentiæ. Tali malo edoctus, sis in posterum cautior, sis vigilantior, & magno animo restaura prælium adversùs hostem, victoriam de ipso reportaturus, si strenuè pugnaveris.

PUNCTUM II. Considera, cùm Societas nostra, ex vi suæ vocationis & finis ad quem est instituta, debeat non solùm propriam, sed etiam proximorum salutem curare, adeòq; cum sæcularibus diversi etiam sexus & ætatis subinde agere, homines Societatis debere esse maximè præparatos & munitos contra tot occasiones & tentationes, voto potissimum Castitatis adversantes, quæ ex conversatione cum varijs Personis accidere possunt, ne, qui alios ex cæno vitiorum extrahit, ipse coinquinetur.

Hoc Societas providentissimè præcavens, conversationes nostrorum cum externis, maximè verò cum fæminis, sanctissimis legibus circumscripsit: qualis est Lex illa, ut ad conversationes hujusmodi non exponantur nisi viri valde probati & prudentes. Item illa, ut nostri non permittantur mulieres invisere, nisi in magna necessitate, & cum spe magni fructus; ut dum invisuntur

tur quæcunq; personæ, semper sit præsens aliquis è nostris Socius; ut Professores Scholarum inferiorum cum suis discipulis non loquantur, nisi in loco patente, aut in præsentia aliorum. Scholasticis verò nostris, quamdiu student, interdicta est omnis cum quibuscunq; Externis communicatio; ita, ut ne ad portam quidem vocari debeant, nisi de unius R. P. Rectoris licentia, ut portam adeuntes sine facultate, & ad eã cum externis colloquentes, publicis & gravibus puniantur pœnis.

Magnus hic & nimius potest videri rigor, neminem tamen offendere debet; quia per hunc, & eorum qui ita circum scribuntur lapsibus ac ruinæ Spirituali occurritur, ejusq; antevertuntur occasiones; & honori Divino ac Societatis existimationi, proximorum verò ædificationi, & animarum auxilio consulitur. Estq; neccessaria hæc præcautio ad avertenda tot pericula.

Hæc considerans, reflecte te, quomodo sanctas has leges amantissimæ tuæ Matris Societatis observaveris? An colloquiorum cum externis occasiones, & clancularias conversationes non quæsieris? conversatio tua interim tota debet esse in cælis, cum libris, cum religiosis tuis fratribus, idq; etiam hæc conformis legibus nostris. Conversatio cum sæcularibus, alteri tempori & maturiori ætati reservanda est. Christus ipse in Domo Nazarethena privatus delituit, cum sua Matre Sanctissima, & Sancto suo putaticio Patre Josepho, usq; ad annum ætatis trigesimũ, nec in publico comparuit, nisi ad disputandum cum Doctoribus, idq; non in alio loco nisi in templo. Conversationes non ex voluntate superioris, nec ex obedientia, sed ex quodam pruritu & propria inclinatione quæsitæ, ordinariè damnosæ, periculosæ sunt. Amas periculum, vide ne in illo pereas.

Pun-

Punctum III. Confidera, in Religione quavis, fed fpecialiter in Societate noftra, plurima præfidia, media, & adjumenta effe, ad fervandum votum Caftitatis. Hujusmodi præfidia funt.

1mò Ufitata in Societate Sacramentorum frequentatio, per quæ nobis nova femper gratiæ Divinæ auxilia ad vincendas tentationes conferuntur.

2dò Confcientiæ propriæ apud fuperiores & Præfectos Spiritûs manifeftatio, quæ ita eft efficax medium, ut S. Pater nofter exiftimet, taciturnitate, & defectu claritatis, refpectivè ad fuperiores & confcientiæ directores, oftium aperiri fatanæ, qui pro fuo arbitratu, fine interpellatore liberè exigit, & facilè perfuadet quæ vult.

3tiò Præfidium fingulare eft delatio alienorum defectuum,

4tò Exempla fancta domeftica, tum eorum cum quibus vivimus, tum aliorum qui nos præcefferunt. Talibus exemplis fæpiùs excitabat fe Auguftinus, cùm diceret: *Potuerunt hi & hæ, & tu non poteris Auguftine?* Similibus exemplis unusquifq; noftrûm debet fe excitare, ad fanctè & innocenter vivendum, & converfandum fine querela.

5tò Mortificationis & pœnitentiarum in Societate frequens & ferè continuus ufus, eft fingulare medium ad vincendas carnis tentationes. Tali medio ufus eft S. Paulus Apoftolus, ut ipfe teftatur: *Caftigo corpus meum, & in fervitutem redigo.* Hoc medio & his armis vicerunt moleftas carnis tentationas, S. Benedictus, & S. Francifcus Seraphicus; ille in fpinis, hic volutando fe in nivibus; & S. Francifcus Xaverius, arctiffimè funiculis fe conftringendo.

6tò Cuftodia fenfuum, & exterior modeftia, arcet ab anima hujusmodi hoftem.

7mò singulare præsidium ad servandam Castitatem, est frequens cum Deo communicatio & conjunctio per meditationes ritè factas, per Examina Conscientiæ, per frequentia & ardentia ad Deum suspiria, & actus Amoris Divini frequentatos, per continuam Dei præsentis memoriam. Multùm item confert devotio ad Beatissimam Virginem, S. Angelum Custodem, aliosq; SS. Tutelares & ad eorum patrocinium in tentatione factum refugium.

8vò tandem tale præsidium est, studium virtutum solidarum potissimum autem humilitatis & obedientiæ. His enim maximè virtutibus munitur Castitas.

Reflecte te an his præsidijs & armis usus fueris, quorum usus tibi maximè successerit. Expediret uti omnibus, vel quàm plurimis; vide quomodo deinceps his te uti oporteat.

Colloquium ad purissimam Virginem Dei Parentem ei supplicando, ut in conflictu cum carne tua, monstret se esse matrem, ut te faciat mitem & castum, ut quæ in sua conceptione immaculata contrivit caput serpentis antiqui, ipsa conterat omnes diabolicas suggestiones, faciatq; te triumphare de hoste tuo, de carne tua.

In fine: Ave maris stella.

Meditatio De Renovatione Voti Obedientiæ.

Prælúdia Meditationum præcedentum.

Punctum I. Considera Obedientiam in Societate, quam renovaturi sumus: non debere esse

vulgarem, & qualemcunq;, sed debere esse perfectam, consistentem non in exteriore tantùm executione eorum, quæ Superior præcipit, sed insuper in perfecta abdicatione voluntatis ac judicii, aut potius in omnimoda conformitate voluntatis & Judicii in obediente, cum voluntate & judicio Superioris præcipientis. Talem in Societate vult esse obedientiam, ejusdem Societatis Sanctissimus Fundator S. IGNATIUS. In hac vult nos esse maximè conspicuos, in hac singulariter non vult nos superari ab aliis Religiosis Ordinibus, etiamsi patiamur nos superari in jejuniis, vigiliis & cætera victûs & vestitûs asperitate. Per talem Obedientiā quasi per notam & characteristicam vult discerni veros germanosq; Societatis filios.

Considera, proinde tres quodammodo esse gradus Obedientiæ, nobis propriæ, 1mus gradus est Obedientiæ prout hæc est in executione, 2dus gradus Obedientiæ, prout est in voluntate, 3tius gradus Obedientiæ est, prout est in Intellectu. Circa 1mum Obedientiæ gradum, hæc ulterius.

Considera, 1*mò* Quod Obediens debeat esse velut cadaver & baculus senis, hoc est, ut S. Pater noster explicat, quod debeat sinere se in omnem partem verti, totaliterq; esse in manibus & dispositione Superioris, ut illum, ubicunque voluerit ponat, de illoq; pro suo placito disponat.

2*dò* Quod obediendum sit non solùm in facilibus, & rebus gratis, sed etiā in difficilibus, idq; æqualiter, sive præcipiantur facilia, sive ardua & molesta.

3*tiò* Quod obediendum sit, non quomodocunq; promptè & alacriter, sed etiam punctualiter, ita ut ad vocem Superioris, vel ad pulsum campanæ religiosum evocantis, litera inchoata, etiam non perfecta relinquatur.

4tò Quòd ad obediendum non debeat semper expectari, clarum & expressum Superioris imperium, sed ad minimum ejus nutum & signum quodcunq; suæ voluntatis obtemperandum sit.

5tò Quòd obediendum sit, non solùm Superioribus altioribus, sed etiam subordinatis & delegatis officialibus, idq; cum humilitate, subijciendo se homini propter DEUM.

6tò Deniq; quod obediendum sit constanter & non ad aliquod solùm tempus, sed cum perseverantia & semper.

Reflecte te supra has conditiones Obedientiæ, quam in executione habere debes, an ita te tractari Superioribus tuis permittas, atq; si cadaver vel baculus senis esses? an æquè obedias in difficilibus & sensui ac amori proprio repugnantibus, sicut obedire consuevisti in gratis & facilibus? an tua Obedientia sit prompta, alacris, imò & punctualis in omnibus? an ad pulsum campanæ è lecto & somno statim te proripias & post recreationem in puncto conticescas? an voluntatem Superioris per nullum, vel aliquod signum expressam & à te cognitam promptè exequaris, an certè expectas & requiris clarum & expressum imperium? an æquali promptitudine obedire consuevisti subordinatis officialibus, atq; ipsis altioribus. Defectus, quos notaveris detestare, & per hanc renovationem corrigere stude.

PUNCTUM II. Considera 2dum gradum Obedientiæ, qualis in Societate esse debet, in hoc consistere, ut non solùm Obedientia sit exterior, exteriùs exequens ea, quæ à Superiore præcipiuntur, sed etiam ut sit Obedientia Voluntatis. Talis ut sit.

Debet *imò* curare subditus Religiosus Societatis, ut nunqnam sibi displiceat in eo, quod sibi mandatur, ut obediat sinè murmurationibus etiam

internis, ſine impugnationibus voluntatis ſui Superioris.

2*dò* Ad habendam Obedientiam voluntatis, debet curare ſubditus, ut nunquam voluntatem Superioris ad ſuam trahat vel detorqueat, ut non exoptet illa ſibi mandari, quæ ipſe facturus ſua ſpontè eſſet, maximè in concurſu voluntatis, per quam Superior ſibi diverſum quid præciperet.

3*tiò* Ad ejuſdem Obedientiæ perfectionem pertinet & illud, ut voluntas ſubditi & voluntas Superioris ſecum concordent, & inter has voluntates talis ſit conſenſio, ut quidquid vult Superior, idem velit & ſubditus, idem amet, idem ipſi placeat, & ut voluntas Superioris ſit regula, quā ſequatur voluntas ſubditi.

4*tò* Tandem ad perfectionē hujus gradus Obedientiæ requirit S. Pater noſter, ut ſubditus voluntatem Superioris non tàm ſuam faciat, quàm potius ut ſuam exuat, & Divinam per Superiores expoſitam induat.

Fac reflexionem ſupra tuam voluntatem, comparatè acceptam ad voluntatem Superioris, an illa non ſoleat eſſe diverſa à voluntate Superioris, an non ipſi contraria, an non conjuncta cum murmurationibus, diſplicentiis, improbatione voluntatis Superioris, licèt hanc exteriùs exequaris? an voluntatem Superioris non ſtudueris aliquando ad tuam detorquere, & pertrahere, ut id tibi præciperetur, quod ipſe voluiſti? an ita tuam voluntatem voluntati Superioris conformare ſtudeas, ut illam pro Regula habeas & tuam eſſe veslis, imò ut velis tuam exuere, & induere Divinam per Superiores expoſitam.

Etiam circa hunc Obedientiæ gradum defectus notatos deteſtare & corrige, DEUMq; ora, ut rebellem tuam voluntatem ad ſe & ſub jugum Obedientiæ compellat, imò in ſuam voluntatem

per

per conformitatem perfectam transformet.

Punctum III. Confidera, tertium gradum Obedientiæ Societati propriæ eſſe Obedientiam Intellectûs. Hæc Obedientia obtineri his modis poteſt.

1mò Si Obediens non examinet, neq; diſcutiat, quod præcipitur, an ſit bonū, an malum, an juſtū, vel injuſtum, ſed cæca promptitudine obtemperet in omnibus, ubi non eſt manifeſtum peccatum.

2dò Si Obediens non attendat ad Superioris qualitates, nec conſideret, utrum Superior, ſit doctus, prudens, talentatus, talium vel talium meritorum, an minùs doctus, minùs prudens &c. An ſit Sanctus, perfectus, an ſecùs. Si non attendat, quo affectu erga ſubditum rem quampiā præcipiat, quo fine, an non ſtudiô ipſum mortificandi, affligendi, ſi non attendat ad modum præcipiendi minus ſuavem & aſperiorem, ſed omnia excuſet, omnia benè interpretetur.

3tiò Si Obediens quoad fieri poterit ſuum Judicium conformet Judicio Superioris, illudq; captivet in obſequium Obedientiæ, ac juſtum omnino & rectum exiſtimet, quod Superior mandat.

4tò Si Superiorem non judicet Obediens, quod talia ſibi injugat, quæ minùs ſibi aut cuipiam alteri ſapere poſſent, ſed potiùs paratus eſt defendere id totum, quidquid imperat, nullatenus improbare.

5tò Deniq; ſi Obediens in imperante non conſideret perſonam hominis erroribus obnoxij, ſed potius perſonam Chriſti, perſonam Dei, quam Superior gerit, & cujus locum tenet, ſi non attendat ad Perſonam, cui obedit, ſed unicè ad Perſonam propter quam obedit, talis Obedientia Intellectûs cæca quidem dicitur, ſed maximè oculata eſt, ſiquidem in Superiore non præcisè

hominem, sed DEUM & Christum in homine intuetur.

Hæc considerans, vide an tua Obedientia ad hunc gradum pertigerit! an Intellectus tuus cæcutiat ad ea quæ te possent minùs promptum ad obediendum reddere, sit verò perspicax in considerandis iis, quæ promptitudinem excitare & meritum Obedientiæ augere possunt.

Colloquium ad S. Patrem IGNATIUM à quo postulabis, ut per ipsius intercessionem, triplicem hanc consequaris obedientiæ perfectionem, & ex ea agnoscaris ejus verus filius,

In fine: Suscipe Domine universam libertatem.

Meditatio.
De Renovatione promissionis ingrediendi Societatem.

Præludia præcedentium Meditationum.

PUNCTUM I. Considera, præter illa tria Vota simplicia Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, post biennium Novitiatûs emitti & nuncupari solita. Emitti & nuncupari simul promissionem de ingredienda Societate, quam Votum esse speciale, à tribus illis diversum, declaravit Societas in Congregatione Generali 5. Can. 5. in hæc verba: *Promissio illa ingrediendi Societatem, quæ in formula votorum simplicium Scholasticorum habetur, votum est peculiare à tribus aliis distinctum, quo quis se obligat ad acceptandum gradum Professorum, vel Coadjutorum formatorum, prout Præposito Generali, ad majus DEI obsequium fore videbitur.* Et ne hujus mentis & declarationis à Societate factæ,

igno-

ignorantia prætendatur, statuit eadem Societas, ut novitiis nostris ab ingressu statim Religionis ac deinceps 6to quovis probationis mense, potissimùm verò & maximè ante admissionem, eorundem ad vota simplicia, id ipsum clarè & apertè explicetur. Voluit ulteriùs Societas & Constituit, ut in libro; in quo notantur nomina Scholasticorum, qui emittunt vota simplicia, postquam illa quis emiserit, subscribat se hoc & hoc anno, die, emisisse vota simplicia, & clarè intellexisse promissionem illam in formula votorum contentam, esse Votum acceptandi gradum à Patre nostro Generali sibi determinandum, & manere se obligatum ad prædictam indifferentiam. Voti hujus obligatio talis & tanta est, ut si quis gradum quē Præpositus Generalis conferendum judicaverit, etiam dum non intervenit præceptum Obedientiæ, non suscipiat nec obsequatur, censendus sit esse in malo statu, adeoq; à Sacramentorum usu vel administratione arcendus.

Rem hanc legibûs nostrîs ita munitam, & obligationem tuam seriò apprehende, magni enim momenti est, & quàm delicatè subinde sentiunt aliqui, gradu qui ipsis confertur minùs contenti. Constitutio in certo Societatis gradu, cum à te interea remota sit, pluribûsq; annis expectari debeat, in tuam fortè non venit apprehensionem, & minùs consideratur, maturè tamen providendum est, ne suo tempore si gradum non fueris consecutus, in quem magis propendes, puta professionem 4. Votorum, graviùs hac occasione conturberis, ne in aliquas difficiles incidas tentationes.

Protestare tuam indifferentiam ad Omnem gradum, & dum vota renovabis, cum speciali reflexione ad hæc omnia, fac promissionem in formula votorum contentam, propria te hujus promissionis & voti obligatione obstringe, animumq;

tuum obfirma, ad ſortem gradûs tibi obventuri acceptationem, expugna viriliter inclinationem, ſi quam habes ad certum gradum, tali promiſſioni adverſantem. Deo ſupplica ut te in hac indifferentia roboret, ut cum tempus tuæ promotionis advenerit, gradum qui tibi obtinget tanquam de manu ejus Divina ſuſcipias. Propone nulla te quæſiturum patrocinia, nihil te unquam tentaturum, quod tali indifferentiæ & obligationi repugnet. Simulq; firmiter ſtatue curaturum te & allaboraturum ſtrenuè, ut & in virtute & in literarum ſtudijs quàm maximè proficias, & per talem profectum fias aptum Inſtrumentum gloriæ Divinæ, & ad quoſcunq; uſus Societatis idoneum, hæc cura, hoc ſtudium ne minimè officit appromiſſæ per votum indifferentiæ ad gradum. Hanc curam in ſuis filijs requirit Societas, & cum ipſa indifferentia vult conjungi.

Punctum II. Conſidera, in hoc ipſo voto & promiſſione ingrediendi Societatem per acceptationem conferendi cujuſcunq; gradus, includi votum perſeverandi in Vocatione religioſa, ſeu votum vivendi, & moriendi in Societate, idq; vivendi non ad aliquod certum tempus, ſed vivendi ſemper, vivendi in perpetuum, vivendi ad mortem, etiam in caſu in quo vita tibi concederetur longiſſima. Iucluditur votum perſeverandi, in quibuſcunq; circumſtantiis, quæ evenire ſolent vel poſſunt, hoc eſt, etiamſi maximas perſecutiones, afflictiones, tuiq; humiliationes contineas. longo imò toto vitæ tempore pati te contingeret. Etiamſi totus mundus te invitaret propoſitis ſummis honoribus, voluptatibus, divitijs. Per promiſſionem de ingredienda Societate, & quocunq; ejus gradu acceptando, tali te obſtringis obligatione, quæ excludit libertatem moralem egrediendi, ac deſerendi Societatem. obligas te ut in Societate

vitam

vitam perpetuò degas, adeoq; ut perseveres in Societate, cum perseverare nihil aliud sit nisi vitam in Societats perpetuò degere.

Imò votum perseverandi in Societate transcendit alia vota, prout hæc in Societate nuncupantur, in ijsq; includitur. Non aliam enim voves Paupertatem, nisi perpetuam & quidem in Societate, non aliam Castitatem nisi perpetuam, rursus in Societate, non aliam Obedientiam nisi perpetuam, etiam hanc in Societate, adeoq; per omnia vota tua voves perpetuitatem ipsorum in Societate, voves tuam perseverantiam. Qui percipit quid est vovere perpetuam actionem principio suo immanentem, perpetuam inquam in Societate, facilè intelligit, quòd hoc ipso velit talis actionis principium esse in Societate perpetuum.

Afficere singulariter gratiæ vocationis Tuæ, in qua perseverantiam non satis tibi est vovere semel, sed quater illam voves, dum quatuor vota simplicia nuncupas. Cave ne in vocatione tua vel minimum aliquando vacilles, ne de hoc vinculo dissolvendo cogites, aliàs resolveres te ad omnium votorum vincula dissolvenda. Qui contra hoc unum votum delinquit, factus est omnium reus, contra omnium votorum obligationem agit.

Protestare amorem Vocationis Tuæ, amorem JESU Christi, in cujus Societatem vocatus es, dicendo cum Apostolo: quis me separabit à Charitate Christi, à Societate JESU mei, an nuditas, an persecutio, an tribulatio, certus sum, quia neq; mors, neq; vita, neq; ulla Creatura me poterit separare.

PUNCTUM III. Considera, Amorem Vocationis Religiosæ, omnium virtutum, omnis perfectionis & totius Religiositatis fundamentum esse,

super

super hoc fundamento totius perfectionis fabrica construi & assurgere debet, et facilè defacto construitur.

Qui enim amat vocationem suam facilè ea facit, quæ sunt vocationis ejus. Ubi hoc fundamentum est infirmum, ubi amor vocationis vel nullus vel exiguus & imperfectus, ibi aut nullæ virtutes sunt, aut valde infirmæ valde imperfectæ, nec virtutis nomine dignæ, ibi nullum perfectionis studium, ibi omnis exulat Religiositas. Qui se resolvit ad fundamentum hoc labefactandum, resolvit se facilè ad totius perfectionis structuram subvertendam.

Quare cum in hoc triduo unà cum votis Religiosis debeat restaurari moles & fabrica virtutum ac perfectionis, à fundamento hoc inchoandum est, ut virtutes in ædificio spirituali superædificandæ sint solidæ, opus est ut solidum & firmum sit fundamentum, ut sis firmus in vocatione tua, ut cum amore solido ames.

Excita hunc in te amorem, in eoq; toto vitæ tempore te exerceas, amore verò tuæ vocationis, excitare ad amorem religiosæ perfectonis ad studium solidarum virtutum.

Colloquium instituendum ad S. Paulum Apostolum. Cujus circa hoc tempus festum conversionis & vocationis ad Apostolatum celebrat Ecclesia. A quo postula, ut sicut hic magnus Apostolus vocatus à Christo, eidem firmissimè & indissolubiliter adhæsit, & juxta mensuram suæ vocationis & gratiæ famulatus est, ita & tu firmus sis in vocatione tua, & illâ dignè toto vitæ tuæ tempore ambules.

In fine: Anima Christi.

Medi-

Meditationes
In Triduo Collectionum ante 2dam Votorum renovationem faciendæ.

Meditatio De excutienda Tepiditate.

Præludium 1. Imaginare in dæmoniaco illo muto, quem ſpiritus mutus allidebat, ſpumante, dentibûs ſtridente & areſcente, quem deſcribit S. Marcus Cap. 9. depictum eſſe hominem deſidioſum & tepidum, maximè cum Venerabilis Beda per eundem intelligat, & intelligi velit homines inertes, languidos & otiô torpentes.

Præludium 2. Pete à Deo gratiā ut poſſiis, cognoſcere naturam tepiditatis & damna, ex qua ea ſequuntur, hiſq; mederi ad torporem omnem excutiendum.

Punctum I. Audi verba illa Paralipomenon 21. de Joram Rege dicta. *Percuſſi eum languore inſanabili, & ſic longâ conſumptus tabe, languore pariter & vitâ caruit.* Et conſidera, tepiditatem rectè explicari poſſe per languorem inſanabilem & longam tabem. Tepiditas cum non ſtatim ad letalem culpam perveniat non eſt mors Animæ, nec Animam unò quaſi ictu perimit, ſicut aliæ culpæ mortales; eſt tamen morbus periculoſus, cui niſi maturè occurratur, tandem miſeram conficit animam. Eſt longa tabes, miſerum reddens quem afficit & vitam tandem conſumens. Eſt febris occulta & interna, quam hecti-

hecticam vocant, interiora hominis depafcens omnemq; auferens vigorem. Eft ignis ufq; ad perditionem devorans, eft gangræna, quæ cum femel invaserit hominem, per totum corpus fe diffundit & tandem enecat. Eft lethargus animæ, qui ita hominem perdit & conficit, ut hôc morbô laborans certò moriatur, nec tamen fentiat fe mori.

Tepiditatis Natura eft non uni tantùm virtuti opponi ficut cætera vitia, quæ fingula fingulis virtutibus opponuntur. Verum tepiditas omnes & fingulas virtutes labefactat & corrumpit. Ipfa vitiat Charitatem & facit, ut dilectio Dei non fit fummè, & fuper omnia appretiativa ejufdem, tantùm enim amari DEUM perfuadet, ut ejus bonitatem, fuper ea tantùm præferat, quæ cum gratia Sanctificante & Amicitia Dei ftare non poffunt, non verò fuper alia, quibus DEUS leviter offenditur. Ipfa cum amore Dei componit amorem proprium, amorem propriæ excellentiæ, amorem vanitatum, ipfa facit ut DEUM remiffè ofcitanter, non ex tota anima, non ex tota mente, non ex totis viribus ames.

Vitiata Charitate tepiditas vitiat & alias virtutes. Facit ut fides fit modica & exigua, ut fpes fit infirma, oratio tepida, ut in Meditatione non exardefcat ignis, ut propter diftractiones voluntarias oratio fiat in peccatum, facit ut Sacramenta fufcipiantur ex confvetudine, abfq; præparatione & conveniente devotione ac reverentiâ, ut Sacramentum Pœnitentiæ fufcipiatur cum perfunctoria confcientiæ difcuffione, cum dolore valde remiffo, & de quo meritò metui poffit an fufficiente. Tepiditas facit, ut deficiant homini fpiritualia, cæleftia, & æterna; incipiant verò fapere terrena, fenfualia, vana & caduca, ut ex via ardua virtutis, perfectionis, religiofus tepidus fenfim deflectat,

flectat, & in viam faciliorem laxiorem declinet, tandemq; ingrediatur viam latam & ſpacioſam, reſolvens ſe etiam ad mortales noxas.

His conſideratis, reflecte te & recogita, an & tu morbô tam periculoſô non labores, an hac lenta tabe non conficiaris? Examina virtutes tuas, qualis in te ſit amor Dei, an non vitiatus tepiditate, an non permiſtus amori proprio? quā magna ſit fides tua, quàm firma ſpes, tuæ orationes quàm ferventes? ad Sacramenta cum qua devotione accedas, quo fervore, quo fructu ea ſuſcipias? Percurre ſingula exercitia tua ſpiritualia, percurre omnes actiones religioſas, an hæc omnia non remiſſè ex conſvetudine, ex neceſſitate, ex compulſu fiant? an non fiant ob humanos reſpectus, ad oculum, ad apparentiam. Si deprehenderis te tam periculoſo infirmari morbô, exhorreſce periculum tuum, exiſtima malum hoc periculoſiſſimum nulla ratione tolerandum & diſſimulandum tibi eſſe. Omni contentione in hoc renovationis triduô, excute noxium hunc torporē, ad quod te duo hæc juvabunt. Subtrahe te violenter ijs, ad quæ te natura vitioſè inclinat, & ferventer inſta pro bono, quo amplius indiges.

Fac propoſita præſenti animæ tuæ ſtatui accomodata, Divinumq; ad hæc exequenda implora auxilium.

Punctum II. Audi illa verba Apocal. 3. *Dicis quòd dives ſum & locupletatus, & nullius egeo, & neſcis, quia tu es miſer & miſerabilis & cæcus & nudus.* Quæ ipſa de tepido intellige, & exiſtima per illa explicari miſerabilem & infelicem tepidorum ſtatum, ac damna, quæ tepiditatem conſequuntur. Homines & religioſi tepidi, quia non illicò in peccata mortalia prolabuntur, quia aliqua bona opera exercent, quia Sacramen-

ta frequentant, orationes, meditationes, examina, aliaq; exercitia spiritualia faciunt, existimant se divites, locupletatos esse, magnosq; virtutum, meritorum & gratiæ Divinæ thesauros collegisse, & ignorant quia pauperes & cæci & nudi sunt. Sunt pauperes ob tot neglectas merendi occasiones, ob labores vel negligenter, & tepidè susceptos, ob plures gratias actuales, & inspirationes contemptas, Sunt pauperes, quia per id boni; quod agunt, cum illud remissè & negligenter faciunt, non multùm lucrantur, nec multùm merentur, imò pro suis tepiditatibus, quod sancta non sanctè tractaverint, reddituri sunt rigidam rationem Deo Judici-justitias Judicaturo.

Tepidi præterea sunt cæci, quia suum miserabilem statum non agnoscunt, non apprehendunt, nec vident periculum in quo versantur, ad quod tamen quàm maximè advertere deberent. Quia ad tot Divinas illustrationes, ad tanta spiritus Sancti lumina cæcutiunt.

Nudi etiam sunt quia ipsorum tepiditas primam stolam in ipsis lacerat, vestem nuptialem detrahit, detrahit splendidum virtutum & Charitatis amictum, quia non habent veræ sanctitatis togam, eam vero laciniam, qua coram oculis hominum se contegunt, jubebuntur, detecta ipsorum simulatione deponere, diceturq; illis. *Depone fili, non tuum est quod geris.*

Nescit præterea tepidus, quia miser est & miserabilis. Miser est, quia uno tantum passu à morte distat, hoc est à peccato gravi & mortali. Hæc enim est via nimirum per tepiditates ad graves lapsus. Tepidi eò tandem deveniunt, ut in gravissima, fœdissima, ac etiam publica, ac infamia crimina prolabantur, Deo id permittente, vel in pœnam ipsorum tepiditatis, vel ut hac ratione advertant ad suam infelicitatem

citatem, & ita faciliùs corrigantur.

Tepidus eſt miſer & miſerabilis, quia peccatis venialibus & pluribus imperfectionibus eſt obnoxius. De tepido verificatur illud Proverb. 4. *Per agrum hominis pigri tranſivi & totum repleverunt urticæ, & operuerunt ſuperfitiem ejus ſpinæ, & maceria lapidum deſtructa eſt.*

Tepidi ſunt miſeri & miſerabiles, quia ad excitationem gratiæ Divinæ obſurdeſcunt, puta quævis media ſuæ perfectionis & profectûs reſpuunt, & inefficacia reddunt quia faciliûs eſt ut peccatores, ut homines ſæculares, ad veram pœnitentiam, & fervens Dei obſequium adducantur, quàm ut tepidi religioſi torporem ſuum & ſoporem excutiant. Tepidos illa manet Chriſti reprehenſio. *Væ tibi Corozaim, væ tibi Betſaida. Si in Tiro & Sidone factâ fuiſſent virtutes, quæ factâ ſunt in vobis, olim in cinere & cilicio egiſſent pœnitentiam.*

Tepidi miſeri ſunt & miſerabiles, quia ſunt proximi, ut ex ore Divino, à corde & viſceribus bonitatis ejus ejiciantur, juxta illud Apocalipſis *utinam frigidus, aut calidus eſſes, ſed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Sunt miſeri, quia ſunt proximi, ut DEUS candelabium ipſorum moveat de loco ſuo. Hoc eſt, ut ſuæ vocatiônis jacturam patiantur, ut illos Religio non taleret, alioſq; meliores ſubſtituat. Sunt miſeri, quia verſantur in periculo amittendæ ſalutis, & incurrendæ damnationis æternæ. De ipſis D. Bernardus dicit. *Quod turpiſſimum, plenum ignominiâ & confuſione ſaltum faciant, de excelſo in abyſſum, de pavimento in ſterquilinium, de ſolio in cloacam, de cœlo in cœnum, de clauſtro in ſæculum, de paradiſo in infernum.*

Hæc conſiderans, recogita quò te deduxerit tepiditas tua, quò deducet ulterius niſi eam

abjeceris. Obſequere exhortationi S. Bernardi Serm. 3. de Aſcenſ. Domini. *Exurgamus obſecro quicunq; eius modi ſumus, reſarciamus animas, recolligamus ſpiritum, abijcientes pernicioſam tepiditatem. Etſi non quia periculoſa eſt, & DEO ſolet (quod interdum plangimus) vomitum provocare, certè, quia moleſtiſſima, plena miſeriæ, & inferno planè proxima, umbra mortis jure cenſetur.*

PUNCTUM III. Audi illa verba Apocal. 3. *Svadeo tibi emere à me aurum ignitum & probatum, ut locuples fias, & veſtimentis albis induaris, & non apareat confuſio nuditatis tuæ.* Et exiſtima his verbis contra tepiditatem remedia tibi inſinuari.

1mum Remedium eſt, ut emas aurum ignitum & probatum. Aurum ignitum eſt Charitas & amor DEI, non ille permixtus imperfectionum ſcorijs, non qui habet admiſtum amorem proprium, amorem commodorum, & oblectamentorum, ſenſualium, ſed amor DEI, ab his omnibus imperfectionibus depuratus, ſummè appretiativus ſummi boni ſuper omnia etiam leviſſimè adverſantia eidem, eſt amor intenſus, fervens, quo DEUS amatur ex tota mente, ex omnibus viribus, eſt amor efficiens, ut cor ſit ardens in nobis, amor exurens omnes inperfectiones, nullum compatiens remiſſionis frigus.

Aurum ignitum & probatum ſunt meditationes rerum cæleſtium, non ex uſu & conſvetudine factæ, ſed ex deſidero proficiendi in virtute, meditationes ferventes, in quibus exardeſcit ignis Divini ſpiritûs, meditationes fructuoſæ, factæ cum reflexionibus practicis ſupra actiones proprias, per propoſita efficacia exurentes quoſcunq; defectus.

Aurum ignitum & probatum eſt Sacramentorum, Pœnitentiæ & Euchariſtiæ digna ſuſceptio & fre-

tatio, cum maxima dispositione & præparatione, cum excitato in nobis dolore, quàm intensissimo ac seria peccatorum detestatione, ut à mensâ Eucharisticâ recedamus tanquam leones ignem spirantes, contra omnes tentationes & vitia fortissimi, ut efficiamur Seraphini amore Dei flagrantes, toti in DEUM qui ignis consumens est transmutati.

Aurum ignitum & probatum sunt frequentes mentis ad DEUM elevationes per orationes ejaculatorias, per ardentia ad DEUM suspiria, per ignitas, in cælum evolantes amoris Divini scintillas,

Aurum ignitum & probatum, est fervor spiritus, in omnibus actionibus se se prodens, ut quidquid agimus instanter agamus, ut quodcunq; opus nostrum, fiat à nobis tanquam opus Dei, tanquam opus Deo consecratum, & ex Dei amore factum, conspectu & oculis ipsius dignum, in quo sibi Deus complaceat.

Tale aurum ignitum & probatum qui habet, facilè expugnat tepiditatis egestatem. Tepiditas stare non potest cum charitate fervente, cum meditationibus sanctè & accuratè factis, cum digna susceptione Sacramentorum, cum fervore virtutum & actionum nostrarum. Hoc auro ignito & probato efficimur locupletes. Quia abundamus in omne opus bonum, quia augemus virtutes & merita. Tale aurum emitur à nobis per seriam potentiarum animæ intellectûs & voluntatis ad res Divinas applicationem, per victoriam difficultatum, per heroicam laborum pro gloria Dei susceptionem, per strenuam & constantem executionem propositorum, per mortificationes & afflictiones corporis, per vitæ asperitatem, per humilem gratiæ Divinæ implorationem, emi debet ab ipso Deo. Solius enim Divinæ virtutis

eſt tepidos corrigere, ex tepidis efficere in ſuo obſequio ferventes.

2dum remedium ad depellendam tepiditatē eſt, ut induamur veſtibus albis. Indui veſtibus albis eſt emundare conſcientiam per confeſſionem generalem culparum toto ſemeſtri commiſſarum, & ſtolam primam tot imperfectionibus infectam, in ſanguine agni & balneo Sacramenti Pœnitentiæ dealbare, eamq; immaculatam deinceps conſervare & cuſtodire.

Indui veſtibus albis eſt exuere veterem hominem & induere novum cum fervore, cum intentione depurata, ex plurium virtutum motivis. Agere & per ſingulas gloriam Divinam intendere, & promovere ad guſtum beneplaciti Divini explere velle.

Alba veſtis eſt candor ille animi, quem inſtitutum noſtrum requirit in detegendis conſcientiæ noſtræ arcanis, ac reddenda ratione Superioribus & Præfectis ſpiritûs.

Hæ veſtes à nobis indutæ faciunt, ut confuſio noſtræ nuditatis non appareat, ut propter tepiditatem noſtram, quæ nos nudos facit, non confundamur coram Deo & Cælitibus, imò etiam coram hominibus, coram quibus frequenter tepidi confunduntur, dum ipſorum virtutis inopia detegitur.

His conſideratis ſeriò te ipſum excita & animum applica ad hæc adhibenda remedia, & per illa tepiditatem depellendam. Propone in hoc triduo uſurum te his remedijs, ac etiam deinceps, illis maximè, quæ reſpectu tui fore efficaciora eventus ipſe docebit.

In Colloquio poſtula ſuppliciter à Deo, qui ignis inextinguibilis eſt, ut in corde tuo illa ſuſcitet incendia, quibus inflammatus & accenſus depulſa omni tepiditate, illum ardentiſſimè ames & in

in ejus obsequio, tuisq; omnibus actionibus fervens & in fervore constans efficiaris.

In fine : Anima Christi.

Meditatio
De Observatione Instituti & Disciplinæ Religiosæ.

Prælud1um 1. Imaginare S. Patrem tuum IGNATIUM porrigentem tibi librum illum pretiosissimum, qui vocatur Constitutionum nostrarum Thesaurus, & dicentem, quod aliquando dictum fuit Ezechieli Prophetæ. Ezech. 3. *Fili hominis comede volumen istud.*

Præludium 2. Postula à DEO gratiam, ut in Regulis Societatis gustum quàm maximum habeas, easq; quàm accuratissimè observes.

PUNCTUM I. Audi illa verba Deuter. 30. *Juxta te est sermo valde, in ore tuo & corde, ut facias illum.* Et hæc de lege veteri dicta applica legibus Societatis, & considera in his Sanctissimis legibus observandis magnam facilitatē esse.

Mandatum hoc quod tibi DEUS præcepit per famulum suum, S. IGNATIUM Patriarcham tuum, non supra te esse, nec procul positum, nec in cælo situm, ut possis dicere, quis valet ad cælum ascendere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus, atq; opere compleamus, non est supra te hoc mandatum, nimirùm non est supra vires tuas, non præscribuntur tibi res difficilimæ. nimia exterior vitæ austeritas, nocturnæ vigiliæ, perpetua jejunia.

Leges etiam tuæ non sunt supra te quoad modum obligandi, ut ad minima obligeris sub

obligatione præcepti. Sermo Domini legibus nostris contentus, juxta te eſt, non arctatur illo libertas tua, ſed juxta illam eſt, eſt accomodatus imbecillitati naturæ tuæ, nec eam nimiùm prægravat, non eſt item ſupra vires gratiæ, confert tibi illas DEUS liberaliſſimè, & qui eas inſpiravit S. Patri tuo, ipſe te auxilio gratiæ ſuæ adjuvat ut exequaris.

Non eſt procul poſitum mandatum legum tuarum, ſed juxta te eſt, continuò tibi legum iſtarum memoria refricatur, gratijs divinis ad illas obſervandas aſſiduò excitaris, juxta te ſunt ſanctiſſima exempla, tot fratrum tuorum, qui in obſervatione & amore legum iſtarum excelluerunt, qui exactiſſimè illas obſervare ſtuduerunt, & nunc etiam in hoc ſtudio deſudant magno ſuo fructu & ſolatio.

Mandatum hoc, cæleſte quidem eſt, ſed non in cælo ſitum, at de cælo miſſum eſt. Sermo hic cum unigenito Filio Dei à regalibus ſedibus venit, innituntur enim ſanctæ, tuæ Religionis regulæ conſilijs & exemplis Chriſti, & ex ipſis ſunt deſumptæ. De cælo datæ ſunt & inſpiratæ; quia poſt frequentes Sanctiſſimæ Trinitatis apparitiones, & factas ab ipſa illuſtrationes, Beatiſſima etiam Virgine Deipara ſæpe viſâ & approbante, conſcriptæ, quare non reſtat, niſi ut leges has audiamus & opere compleamus.

In ore & corde tuo eſt ſermo hic Divinus, ut facias illum, cor enim rapit, legis hujus ſanctitas, os & linguam provocat, ut laudes & approbes, quidni ut facias eam. In ore tuo & corde tuo eſt, quædam enim Regulæ (ut Regulæ Summarij) cum ad internam ſpiritualem noſtrorum pertineant inſtitutionem, videntur ad cor propriè dirigi & ordinari, adeoq; in corde eſſe ac debere eſſe. Aliæ, (quales ſunt Regulæ communes

munes) cum pertineant ad communem externã disciplinam; in exteriori hominis compositione & exterioribus actionibus, quasi in facie & ore ejusdem positæ esse censentur.

Hæc considerans humillimas age gratias Sanctissimæ Trinitati, & pretiosissimæ Dei Parenti, pro legibus tam Sanctis, tam facilibus, tibiq; & obsequio Divino ac saluti, sive animæ tuæ; sive proximorum procurandæ accomodatissimis. Confundere, quod in eis observandis tam negligens fueris, quod sæpiùs abusus sis ea libertate, quæ per leges tuas tibi relicta est, & immunitate, à peccati obligatione, ut liberiùs transgredereris quasdam regulas, quæ libertas incitamento esse debuerat ad eas observandas, ut etiam Deo aliquid offerres ex filiali amore, non habente admistum timorem servilem, timorem servitutis peccati. Propone exactiorem te in illis observandis futurum, aliquas Regulas delige, quas unicè amore Dei, te observaturum firmiter statue.

Punctum II. Audi illa verba Proverb. 7. *Fili serva mandata tua & vives, & legem meam quasi pupillam oculi tui, liga eam in digitis tuis, scribe illam in tabulis cordis tui.* Et his verbis puta exprimi pretiũ & æstimationem, in quo debent esse leges tuæ.

Nimirum leges hæ Sanctissimæ debent esse in eo pretio *in primis* in quo est vita, debent enim æstimari tanquam medium dependenter à quo vivere debes, media autem, sicut bonitatem, ita & æstimabilitatem & pretium suum à fine, & ipsius finis habent. *Serva mandata tua & vives.* Idq; non debent esse in eo tantùm pretio, in quo est vita corporalis, supra quam etiam debes æstimare easdem leges; 2do enim humilitatis gradui maximè congruit, ut paratus sis legem tuam observare, cum dispendio vitæ corporalis.

Verum leges Societatis apud Religiosum ejusdem, debent esse in eo pretio, in quo est vita Spiritualis animæ, salus item & vita æterna. Siquidem ab observatione legum istarum dependet vita animæ, per illam augetur, nutritur, conservatur. Observatio legum tuarum est via, qua te oportet pervenire ad salutem & vitam æternam. Si non observes leges tuas, non es securus salutis. Quia non es securus perseverantiæ in gratia Dei, timendum tibi est, ne à transgressione legum tuarum, progrediaris ad committenda peccata venialia, ab his ulteriùs ad patranda mortalia, adeòq; ne à gratia Dei excidas. Timendum tibi præterea est, ne commisso semel mortali, de hoc deinde in aliud, de leviori in gravius, de occulto in infame, & quod non tibi solùm, sed etiam aliis, imò & toti Religioni noceat, prolabaris, tandemq; ne vocationis tuæ jacturam incurras, & ne exerrando à via salutis, animam tuam in æternam damnationem præcipites. His enim itineribus pervenitur ad perniciem, quod insinuare videtur illa Psalmistæ monitio: *Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, & pereatis de via justa.*

2dò æstimare debes leges tuas religiosas, ut pupillam oculi tui. Tot enim lacrymis steterunt Sancto Patri tuo, non tam atramentô illæ, quàm lacrymis conscriptæ sunt Pupilla S. Patris tui, adeoq; pupilla oculi tui super se & super universam Societatem vigilantissimi tantum laboravit, desudavit circa omnes & singulas regulas, debes itaq; omnes & singulas æstimare, ut pupillam oculi tui. In pupilla oculi tui ne minimum quidem pateris pulvisculum, etiam in observatione legum tuarum, ne minimum convenit te pati defectum, ut ne unus quidem apex de lege prætereat. Circa pupillæ oculi tui custodiam, singularem adhi-

bes curam & diligentiam, indemnitati & integritati illius, quàm maximè provides, ut etiam legum tuarum integritas servetur, pari diligentia allaborandum est, ad hanc te hortatur Spiritus Sanctus per Sapientem: *Tibi serva legem meam ut pupillam oculi tui.*

3*tio* Lex Societati data, æstimari debet æstimatione non more affectiva, sed effectiva, non satis est, quod meliora videas probesq; sed opus est ut æmuleris charismata meliora, ut exequaris quæ probas, Hoc insinuant illa verba: *in digitis tuis liga eam.* Non satis porro est, ut ad executionem manum tantummodo admoveas, ut bene incipias, alligare debes manum digitosq; legi tuæ, ut perficias, & opere compleas, & ne putes, majores tantummodo regulas te observare debere, Regulas item magis difficiles & magis arduas, ad quorum executionem, tota manu & frequenter valida opus est. Etiam parvæ minutæ leges, & legum apices, ad quarum executionem digitis non nisi utendum est, observari debent, idq; ita ut illas in digitis liges, ne effugiant, ut earum specialem curam, & in digitis quodammodo, hujusmodi leges numeratas habeas, earum executioni asuescas & in iis exequendis continuò occuperis.

4*tò* Tandem. *Scribe illam in tabulis cordis tui.* Tanti æstimare debes legem tuam, ut illam in tabulis cordis describas, ut bene cordi imprimas, in eoq; conserves. Porro in corde lex religiosa describitur per frequentem ejusdem meditationem, quam expressè commendare videtur scriptura, Deuter. 6. *Eruntq; verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atq; consurgens.* Hac meditatione legum tuarum, frequenti super earum observationem reflexione,

flexione, teſtaberis pretium, quod earundem habes, teſtaberis affectum, quô ipſis afficeris, quod legem tuam in tabulis cordis tui deſcriptā habeas, declarabis quā & quamtam diligentiā habeas circa earum integritatem & cuſtodiam. Et proculdubio aſſequeris, ut has ſanctas leges obſerves.

Fac reflexciones convenientes proteſtare pretium legum tuarum, propone quæ ſuggeret Spiritus S.

PUNCTUM III. Audi illa verba Proverb. 4. *Tene diſciplinam, ne dimittas eam, cuſtodi illam, quia ipſa eſt vita tua.* Et his verbis exiſtima deſcribi, qualis legum tuarum obſervatio eſſe debeat, expende ſingula.

1mò Tene diſciplinam non ſatis eſt, diſciplinam & legis obſervationem digito attingere vel etiam digito movere, apparentiam aliquam facere, quòd regulas obſerves, teneri debet diſciplina, hoc eſt in poſſeſſionem accipi. Debet ex poſſeſſione obſervari, oportet eam exactam & accuratam eſſe. Tene eam, hoc eſt bene percipe, quid à te leges tuæ, quid diſciplina religioſa exigat. Cura, ut ea quæ ſunt diſciplinæ religioſæ exequaris, omnia intelligendo juxta ipſius Societatis conſtitutiones, juxta verum earundem ſenſum, non verò juxta interpretationes detortas, laxas, & vero ſenſui repugnantes, hoc enim non eſt tenere diſciplinam, ſed abijcere.

2dó Expende verba. *Nec dimittas eam.* Quibus verbis exigitur, ut Diſciplinæ & legum religioſorum obſervatio ſit conſtans, ne facilè recedas à ſancto mandato, ne difficultatibus occurrentibus, aut quibuſcunq; rationibus induci te patiaris ad negligendam vel tranſgrediendam aliquam legem, ne à ſervanda diſciplina & legibus religioſis dimovearis, cenſurationibus & linguis aliorum, vanis reſpectibus, privatis amicitijs & fami-

liaritatibus

liaritatibus, pravis si quæ contingerent exemplis. Ut non dispenses tecum in ulla lege, nec agas, ut in aliqua earum, tecum dispensetur sed circa omnes & singulas protesteris. *Tenui eam, nec dimittam.*

3tiò Expende verba: *Custodi eam.* Et puta his verbis exprimi legum tuarum observationem debere esse providam. Ut futuris à longè prospicias, antevertas occasiones transgrediendi leges. In conversationes, in quibus, aliquas earum probabiliter transgressurus es, non te ingere, sed has, quàm maximè declina. Per proposita efficacia particularia practica ad circumstantias particulares & impedimenta quæcunq; ac difficultates se reflectentia, obfirmare animum stude, ut semper stes pro legum tuarum observatione, hanc in te promove, & cura ut in dies sis perfectior & perfectior.

4tò demum expende illa verba. *Quia ipsa* (id est disciplina) *est vita tua.* Hoc præstat constans observatio, alicujus temporis continuâ firmata praxi, ut in naturam transeat, si observationi huic asueveris per aliquod tempus, nullam deinceps in iisdem observandis difficultatem experieris, ita tibi facilè & gratum erit servare leges, ac vivere. In ipsis transgrediendis, ita difficilis & immobilis efficieris, atq; si de vita tua ageretur. Hocq; assequeris ut exacta legum tuarum observatio non sit finienda nisi cum vita tua. *Quia ipsa est vita tua.* Non solùm observatio legum religiosarum, ita debet esse cum vita connexa, illiq; alligata, ut sicut respiriis & momentis, ita & executione legum vita nostra distinguatur & decurrat, sed etiam legum & Disciplinæ religiosæ observatio pro medio habenda & adhibenda est, ut vitam non tam corporalem, quàm potiùs spiritualem animæ serves, eamq; contra hostes ani-

mæ

mæ tuearis. Perſuaſum omnino habe ſi obſervatio legum in te vigebit & vivet, quòd & tu vives, cuſtodies regulas, cuſtodient te, ſervabis illas, ipſæ viciſſim ſervabunt te, contra hoſtes animæ tuæ protegent & defendent te.

Habe illas pro antidoto & remedio contra omnes tentationes, à legum tuarum obſervatione, adeoq; vita tua ſpiritualis dependet. Ad fugandos dæmones & infernalia ſpectra præſentiſſimum remedium exiſtimatur eſſe effigies S. Patris noſtri Ignatii habita & deportata. Verior effigies S. Parentis tui eſſe non poteſt, quàm ſit illa, quæ in Conſtitutionibus ejuſdem expreſſa reperitur. Hanc non in foliis depictam, aut libris deſcriptam, ſed in tabulis cordis delineatam cuſtodi & fugabis dæmonia. Tanquam verus & germanus Sancti Patris tui filius, ſis vera imago ejuſdem per exactam legum ſuarum obſervationem. Omnino tibi perſuade, Sanctum Patrem tuum talem fuiſſe, qualem hominem Societatis debere eſſe, ſanctis ſuis deſcripſit legibus. Has & tu quò perfectiùs obſervaveris, eris imago perfectiùs expreſſiva S. Parentis tui. Vide ergo, ne ex lineamentis ejuſdem, aliqua linea deſit, aliquis apex deſideretur, ne in alicujus regulæ obſervatione deficias. Talem imaginem cum in te expreſſeris, horrebit illam dæmon, procul à te diſcedet, non infeſtabit te ſuis tentationibus, nec hanc S. Ignatii effigiem ferre poterit. Fæminæ cuidam in partu periclitanti Eberſpergæ in Bavaria libellus legum noſtrarum papyro involutus, applitatus fuit, eamq; ſubitò à morte imminente liberavit, & fætum vivum eduxit. Libellum hunc tu tibi applica non quomodocunq; ſed comedendo hoc ſacrum volumen, illudq; per exactam obſervationem legum in eo contentarum, in tuam ſubſtantiã convertendo, ac ipſo viſcera tua replendo, tali antidoto à per-

periculis vitæ tuæ liberaberis, mortemq; evades animæ, & per conversionem animarum plures spirituales Christo produces filios. Quia lex in hoc Sancto libello contenta, ipsa est vita tua, imò non tua tantùm, sed tot aliorum.

His consideratis, fac reflexiones materiæ accomodatas, & te ipsum excita ad exactam, constantem, providam, cum vita non nisi terminandam legum tuarum observationem, excita te ad depingendam in te, quàm simillimam Sancti Parentis tui effigiem, ut illâ omnes à te repellas tentationes & vitam animæ tuæ inter tot serves pericula. Fac proposita. Elice affectus.

Colloquium ad Increatam Dei Sapientiam. Unigenite Fili Dei, & Increata Patris æterni Sapientia, per quam legum Conditores justa decernunt, quæ famulo tuo Sancto Ignatio de Lojola Sanctissimam inspirâsti legem, qua, universa per ipsum instituta, regeretur Societas, supplico humillimè, largire mihi gratiam, ut eandem legem ad quam observandam, ex tua miseratione, me vocare dignata es, quàm perfectissimè observem, simq; vera immago ejusdem S. Parentis mei Ignatii, ei quàm simillima per accuratam legum observationem, quas ille non solùm sapientissimè condidit sed etiam exactissimè observavit.

In fine: DEUS qui ad majorem nominis tui gloriam &c.

Meditatio De Paupertate Religiosâ.

Præludium I. Imaginare quòd stes in conspectu Divinæ Majestatis, coram Sanctissima Virgine Maria & curia cælesti universa, velisq; vota religiosa

religiosa nuncupare vel renovare. Interim verò quòd monearis à Malachia Propheta Malach. 1. *Si offeras cæcum ad immolandum, non ne malum est, si offeras claudum non ne malum est. Offer illud Duci tuo, si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam.*

Præludium 2. Postula gratiam à DEO, ut ad defectus in observatione votorum commissos seriò advertas, illosq; defleas & corrigas, atq; his correctis accedas ad immolandum te ipsum Domino, per faciendam à te votorum renovationem.

PUNCTUM I. Audi illa verba Amos 10. *In die illa suscitabo tabernaculum David, quod cecidit, & reædificabo aperturas murorum ejus, & ea quæ corruerunt instaurabo, reædificabo illud sicut in diebus antiquis.*

Et considera siquidem paupertatem religiosam, S. Pater noster IGNATIUS murum Religionis appellat, quidquid voto paupertatis repugnat, esse id quod murum hunc labefactat & subruit. Omnes defectus contra paupertatem, esse aperturas & fissuras murorum, partesq; collapsas, quæ reædificari debent, per exactiorem voti paupertatis observationem.

Hunc murum post tempora Apostolorum aliquatenus collapsum, monitus ut collabentem Ecclesiam reædificaret pauperrimus Franciscus Seraphicus instauravit & reædificavit, instituta religione, quæ singulariori studio Evangelicam Christi paupertatem rigidissimè profiteretur, hunc reædificandum murum, si per te aliqua sui parte collapsus est, invitat te hoc tempore Divina Bonitas, offert tibi gratias, vult ut ipsi collabores. Id ipsum à te exigit Societas, exigit S. Pater IGNATIUS, & ipsa voti obligatio, quod ut faciliùs & meliùs præstes.

Considera ulteriùs *imò* Paupertatem, quam reædi-

reædificaturus es, taliter reædificari debere, ut sit tabernaculum David, hoc est debere à te taliter instaurari paupertatem, ut in ea sibi ipse Christus verus David complaceat, ut in eam tanquam in suum tabernaculum reclinet, qui non habuit ubi caput reclinaret, qui stabulum palatiis, præsepe auratis regum soliis, viles pannos pretiosæ præelegit purpuræ. Porro tua paupertas non qualiscunq; murus, sed erit tabernaculum David, si illi quam Christus in vita sua mortalis adamavit, paupertati, fuerit quàm simillima, si per rerum omnium contemptum, quoad fieri poterit, immitatus fueris Christi paupertatem.

Considera 2*dò* murum paupertatis religiosæ subrui maximè sequentibus defectibus 1. Si habeas & clanculariè asserves pecunias, res pretiosas, curiosas, vanas, non necessarias. 2. Si res usui Religioso profuturas, compares viâ indebitâ & religioso instituto repugnante. 3. Si aliqua, quæ permitti possunt, habeas absq; Superiorum concessione. 4. Si re aliqua tanquam propria utaris, eiq; affectu adhæreas. 5. Si res ex Domo vel cubiculo alterius tibi usurpes. 6. Si accipias, vel dispenses quidpiam ex iis, quæ domi sunt sine facultate, nec ita tractes res usui tuo concessas, ut integræ & indemnes maneant, quæ longiori usui conservari debent. 7. Si ab externis aliqua accipias, procures vel etiam Eleemosinas, maximè pro ministeriis Societatis, ultrò oblatas, acceptes & admittas. 8. Si valetudinis prætextu in infirmitate sis nimius in exigendis commoditatibus, si medicinas singulares requiras & magni pretij ac valoris, non contentus minùs pretiosis.

Considera 3*tiò* collapsum paupertatis murum reædificari debere, per defectuum illorum per quos collapsus est correctionem & eliminationem, per oppositos & contrarios illis ipsis defectibus virtuosos

osos paupertatis actus, per seriam pœnitentiam de talibus defectibus actam, per firma practica & particularia proposita, quæ offerente se occasione certò sis executurus, per curam & studium perfectæ spiritûs paupertatis. Tres paupertatis species distinguit S. Bernardus, serm. 1 in festo SS. Omnium. Unam Plebeiorum, qui sunt pauperes miserabili necessitate, non laudabili voluntate. Alteram veterum Philosophorum Ethnicorum, quorum aliqui voluntariè sua omnia reliquisse leguntur, ut expediti mundialibus curis, studio vanitatis possent vacare liberiùs, nolebantq; censu abundare terreno, ut sensu abundarent proprio. Tertiam paupertatem Apostolorum & imitatorum Christi, seu paupertatem spiritûs, quam illi habent, qui sunt voluntariè pauperes; intentione sancta & desiderio spirituali imittandi Christum, propter explendum beneplacitum DEI, & quærendam salutem proximorum, Hæc tibi curanda est paupertas ut instaures ruinas collapsi muri religiosæ paupertatis.

Considera 4*tò* murum hunc debere, ita restaurari ut talis sit tua reædificata & instaurata paupertas, qualis fuit diebus antiquis, hoc est non debere te esse contentum, quòd aliquos non nisi defectus v.g. graviores corrigas, vel quòd corrigas omnes imperfectè, sed enitendum esse, ut paupertas sit omnino conformis constitutionibus Societatis, ut sit conformis exemplis Ducis tui Christi, ut sit comformis exemplis primorum nostrorum Patrum, SS. IGNATII, FRANCISCI Xaverii, FRANCISCI Borgiæ, & aliorum qui in hac virtute singulariter excelluerunt, ut sit talis, qualis fuit diebus antiquis, hoc est statim ab inchoata Societate, item dum primus adhuc in te fervor Novitiaticus permaneret.

His consideratis, reflecte te supra tuam pau-

paupertatem, circumspice, an qua parte murus hic collapsus non sit, an ruinam non minitetur. Percurre defectus supra enumeratos, an aliqui in te non reperiantur & qui illi? stude omnino reædificare & restaurare hunc murum, manum operi admove, utq; integer semper maneat, te allaboraturum propone. Protestare verbis Prophetæ quòd cum Divinæ gratiæ auxilio, suscitaturus sis tabernaculum David, quod murum paupertatis, si forte aliqua sui parte corruit, instauraturus sis, & reædificaturus, sicut in diebus antiquis.

PUNCTUM II. Audi illa verba S. Pauli Apostoli 1. ad Timot. 6. *Habentes duntaxat alimenta & quibus tegamur, his contenti simus.* Et considera his Apostoli verbis, duo insinuari, quæ ad paupertatem religiosam comparandam sunt necessaria.

1*mum* ut si habeamus alimenta, & quæ ad vestitum pertinent, his contenti simus, hoc est, ut ea, quæ nobis à Religione per Superiores providentur, circa victum & vestitum, quantumcunq; illa vilia fuerint, gratè accipiamus, & ex amore paupertatis, libenter habeamus, nec requiramus, sive in ipsis alimentis præstantiora, & quæ magis appetitui sensuali arrideant, sive in ipso vestitu meliora. Sed unice attendamus ut tegamur, qui finis non minus obtinetur per vestes veteres & attritas, panni vilioris & crassioris, atq; per novas, ex panno tenuiore & meliore, idq; ita hæc acceptemus, ut contenti simus futuri etiam vilissimis.

Alterum est, ut ultra alimenta, & tegumenta, nihil præterea appetamus nihil habeamus, sive illud magnum, sive parvum fuerit, sive vile, sive pretiosum. Sed quidquid est supra vitæ necessaria, & supra id, sine quo officium nostrum exequi non possumus, ut sunt libri aliqui, id omni-

no

no respuamus, & contēnamus. Divitiæ hominis religiosi, hominis Societatis, debet esse ipsa paupertas. Paupertas se ipsâ satis pretiosa, satis dives est. Paupertas Christi, debet esse homini religioso pretiosior cunctis opibus, cunctis thesauris sæculi, hæc non solùm seipsâ, sed etiā Deo divitem facit religiosum. Paupertate enim spiritus possidetur regnum Cælorum, possidetur DEUS & in DEO possidentur omnia. Extra DEUM qui quærit aliquid, ostendit se nimis avarum esse, quia talem cui DEUS non sufficit.

Iterum fac reflexiones, es ne contentus his, quæ ad vitam utcunq; sustentandā, quæ ad corpus tegendum sunt necessaria? esne contentus etiam vilioribus? an subinde non experiaris desiderium habendi meliora! an non sentiâs accendi te invidiâ, si apud alios præstantiora videas? an non soleas conqueri, murmurare, contra ea, quæ ex Superiorum providentiâ ad usum tibi conceduntur.

Reflecte te, quid ultra vitæ necessaria quæras? si DEUM quæris & in Deo omnia, habes DEUM & invenis in ipsa paupertate. Si aliud quæris, DEUM facilè perdere potes & omnia.

Fac proposita convenientia, elice affectus.

Punctum III. Audi illa verba Christi Lucæ 22. *Quando misi vos sine sacculo & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt Nihil.* Et considera hoc paupertatis religiosæ privilegium esse, ut nihil habentibus nihil desit. Etiam hanc dum in subtractione necessariorum experiuntur sanctæ paupertatis effectus, veris Religiosis abundè sunt omnia. Mittuntur Apostoli sine sacculo, sine pera, sine calceamentis, desunt illis necessaria, quia desunt calceamenta, desunt insuper pera & sacculus, reconditoria asservandæ

vandæ alimoniæ & faciendæ ulterioris provisionis, adeoq; nec spes relinquitur humanæ providentiæ, ulterioribus vitæ necessitatibus prospicientis, & interim Apostolis nihil deest.

Nihil deest 1*mò*, quia omnes divitiæ hujus sæculi, omnia commoda, omnes providentiæ, & quidquid est extra DEUM, est magnum nihil, est vanitas, est quid inane. Excelsus animus hæc contemni & pro nihilo habet, adeoq; dum desunt commoditates, desunt vitæ necessaria, nihil deest, non apprehenditur, non sentitur hic defectus, atq; si nihil deesset. non ita amatoribus mundi, hominibus avaris; suppetunt his omnia, & nihil habent, quò plùs hi colligunt, eò magis egent & plùs illis deest. Avaro enim tā deest id quod habet, quàm quod non habet, siquidem circa utrumque æquè est anxius, æquè solicitus; circa id quod habet est solicitus, ut conservet, retineat, non amittat; Circa ea quæ non habet est solicitus & anxius, ut acquirat, ut habeat. Utraque illi desunt, desunt ea quæ non habet, sentitque gravissimè hæc sibi deesse, siquidem tanto studio, & frequenter cum animæ dispendio ea quærit; Desunt etiam illi ea quæ habet, cùm enim his, quæ habet, non utatur, ita illa habet atquè si non haberet, adeoque & hæc ipsa illi desunt. Deest insuper avaro Deus, quia Deum minimè quærit, nullam curam habet, ut consequatur & possideat Deum, quia aurum simul & Deum tenere non potest, occupatam enim habet animam.

2*dò* nihil deest veris paupertatis amatoribus, dum sine quibusdam etiam necessarijs vitæ subsidiis vivunt. Quia dum ipsi terrena despiciunt, sua commoda & seipsos negligunt, id Deus ipsis compensat longè melioribus. Quia spiritualibus & internis bonis, cælestibus consolationibus, compensat Deus centuplo, quod relinquentibus omnia, hic adhuc in vita reddendum appromisit, ut nihil haben-

tes omnia possideant, habeantque id totum in eminenti, & amplius, quod dimiserunt.

3*tiò* tandem nihil ipsis deest. Quia etiam temporalia Deus religiosis omnem sui curam abijcientibus providet; imò major est circa eos Divina Providentia, in subministrandis etiam temporalibus, quàm possent esse quæcunque humanæ providentiæ. *Jacta cogitatum tuum in Domino & ipse te enutriet.* Dico cum Psalmista. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit,*

His consideratis, reflecte te, an tu sis in ter eos pauperes, quibus nihil deest? sunt quidem aliqui, teste Divo Bernardo, qui pauperes esse volunt eô pactô, ut nihil illis desit, & sic diligunt paupertatē, ut nullā patiantur inopiā; cæterùm hæc paupertas valdè imperfecta, & imperfectorum religiosorum est, nec illi hac ratione consequuntur, quod volunt, nimirum ut illis nihil desit. Illis solis nihil deest, qui eam paupertatem profitentur, ut etiam velint pati necessariorum defectum & inopiam. Esne tu de hujusmodi pauperibus? Felicem te, si subsidijs quibuscunque destitutus, lætus dicere possis: nihil te desiderare, nihil tibi deesse. Disce experiri effectus sanctæ paupertatis etiam in necessariorum defectu; disce terrena & sensualia commoda postponere spiritualibus & cælestibus bonis ac solatijs; disce totum te Divinæ Providentiæ relinquere & committere. Resolve te, ut ad hanc paupertatis perfectionem enitaris.

Colloquium ad Christum Crucifixum. Pauperrime Jesu, amore mei cruci affixe, & in summa moriens paupertate, commendâsti mihi de cruce Matrem tuam Sanctissimam & filialem erga ipsam amorem, Commenda & alteram matrem. Excita me & accende tuâ gratiâ, ut paupertatem tanquam matrem filiali affectu diligam, ut hanc matrem meam non erubescam, sed in ejus amore, pretio

pretio, & æstimatione vivam, ejus munera gratè suscipiam, & tanquam verus hujus matris filius, cruci tuæ confixus, in nuditate & paupertate moriar.

In fine: Anima Christi.

Meditatio De Religiosa Castitate.

Præludia eadem quæ Meditationis præcedentis.

PUNCTUM I. Audi illa verba Matth. 10. *Inimici hominis domestici ejus.* Et ad Colos. 3. *Mortificate ergo membra vestra quæ sunt super terram.* Et considera, per tria vota Religiosa, tres hostes animæ oppugnari; per votum paupertatis oppugnatur concupiscentia oculorum seu mundus, per votum obedientiæ oppugnatur superbia vitæ seu Diabolus, per votum castitatis oppugnatur concupiscentia carnis seu caro.

Per vota paupertatis & obedientiæ oppugnantur hostes externi, extrinsecùs animam aggredientes. Per votum Castitatis oppugnatur hostis intrinsecus, intestinus, imò non unus tantùm, sed plures hostes oppugnantur. In una enim carne plures hostes experimur & numeramus. Inimici hominis domestici ejus. Contra hunc hostem, utpote domesticum, acerrima & continua instituenda est pugna. Ut ejus insidiæ evitentur, assiduò invigilandum est. Si magnâ vigilantiâ & circumspectione opus est, dum hostis vicinus adest, quantò magis dum domi est, dum præsens te aggreditur.

Non desunt tamen arma quibus ille impugnari debet, & quibus sæpiùs feliciter devictus est, & à te vinci potest. Hujusmodi arma potissimùm sunt; Mortificatio carnis, & crucifixio ejusdem cum suis

concupiſcentijs; hæc arma arripienda, his confligendum, ne domeſtico huic hoſti ſuccumbamus. Porro ſicut hoſtes viſibiles duplici modo impugnari conſveverunt, uno modo quando arctè cinguntur, die & nocte inquietantur, & ad faciendas continuas excubias atque vigilias neceſſitantur, dum item ijsdem commeatus neceſſarius vitæ ſuſtentandæ, aliaque ſubſidia ſubtrahuntur. Alterô modô hoſtes viſibiles extrinſeci impugnantur, quando manus in prælio conſeruntur, expediuntur & committuntur arma, mortes & vulnera infliguntur. Pariter & caro, hoſtis domeſticus Animæ, duplici hoc modo impugnandus, vexandus, & mortificandus eſt.

1*mò* Per ſubtractionē & denegationem eorum, quæ ad ejus commoda, neceſſitates prætenſas, licta etiam ac permiſſa ſenſuum oblectamenta ſpectant. Hoc eſt, affligenda eſt caro inediâ, vigilijs, ſiti, frigore, laboribus, alijsque his ſimilibus. Debilitandæ ſunt, per hæc, vires ipſius, ne contra ſpiritum ſit robuſta, ne contra eundem aliquando prævaleat,

2*dò* Caro mortificari debet, vulnerum, verberumque inflictione, frequenti caſtigatione, flagellis, catenulis, cilicijs, alijsque varijs ingenioſè adinventis mortificationibus, idque ita, ut quò potentior eſt hoſtis, & quò validiores ſunt, ac moleſtiores ipſius aggreſſiones & inſultus, tantò majori conatu ipſi reſiſtamus, acrioresque mortificationes, magis crebras, & rigidiores adhibeamus, ut illius impetum & vires frangamus.

His armis uſi ſunt & rebellem carnem devicerunt. S. Paulus Apoſtolus, S. Benedictus, S. Martinianus, S. Franciſcus Seraphicus, S. Franciſcus Xaverius, alijque Sancti. His armis & nobis utendum eſt, ut ex domeſtico hoſte carne triumphemus. Qui carnem ſuam indulgenter habuit, rarus aut nullus eſt, qui eam debellaverit. Si indulgemus carni,

ni, si majorem, quàm par est, curam illius habemus, si nihil illi negamus quæcunque desiderant oculi, si in nulla re inferimus illi molestiam, violentiam; nutrimus hostem, armamus illum contra spiritum, fortem & robustum reddimus. Valde difficilis conflictus erit cum ejus tentationibus, & incertus pugnæ eventus, imo timendum est, ne in hac pugna infeliciter potiùs succumbamus, quàm triumphemus. Efficacissimus modus hostem hunc superandi est, mortificationem continuam in corpore circumferre, flagris & disciplinis carnem discindere, catenulis dilaniare, cilicijs affligere, varijsque instrumentis & modis in illam sævire, et Cruci Christi cum suis concupiscentijs affigere.

His consideratis, reflecte te supra usum pœnitentiarum & mortificationum corporis. Ne fide hosti tuo, sed mortificationibus stude illum subjugare Spiritui. Constitue reassumpturum te mortificationes, quas in Tirocinio in usu habuisti, ac etiā aucturum, præsertim si experiris hostem contra rationem & spiritum vires sumere; et cùm in omnibus mortificationem quærere debeas, vide & tecum dispice in singulis occupationibus, & actionibus tuis Religiosis, quas & quales mortificationes te facere & adhibere conveniat.

Punctum II. Audi illa Verba Lucæ 11 *Cùm fortis armatus custodit Atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet.* Et considera, alterum medium debellandi domesticum animæ hostem, nimirum Carnem, esse Custodiam sensuum. Nisi fortis armatus custodierit atrium, non est speranda hostis hujus victoria, non est speranda pax animæ, & tranquillitas; ut in pace sint, & salva ac integra maneant, quæ possidet anima, fortis armatus in atrio est constituendus. Caro nostra intra nos bellum gerens adversus rationem & spiritum, non sola eundem aggreditur, sed ordinariè advocat externas

ſuppetias, ut conjunctis viribus, validiore irruat impetu. Suppetiæ ſunt: variæ imagines, variorumq; objectorum ſpecies ſenſibiles, quas per patentes ſenſuum portas advocat, & miniſterio eorundem ſenſuum, in atrium immittit, atque cum his deinde adoritur animam, & interiora domûs penetrare nititur, intellectum & voluntatem oppugnat, & varijs cupiditatibus exagitat, fitque ſubinde, ut voluntas in prælio & pugna, cum hoſte talibus viribus aucto, infeliciter ſuccumbat, ejusque tentationibus cedat.

Hic aſtus & bellandi modus, ne carni, hoſti noſtro ſuccedat, cuſtodiendum eſt atrium, cuſtodiendi ſenſus corporis, fortis armatus in atrio hoc & in primo aditu & ingreſſu Domûs animæ noſtræ conſtituendus eſt, qui arceat externum hunc ſuccurſum. Fortis hic armatus eſt ipſa ratio, & voluntas bene animata adverſùs hunc domeſticum hoſtem, obfirmata & ſtabilita in deſiderio & propopoſito ſuperandi eundem, armata & inſtructa Regulis modeſtiæ, armata ſanctis reſolutionibus & propoſitis, ſuper exactiſſima earundem regularum obſervatione formatis, armata tot Divinæ gratiæ auxilijs, totque adjumentis & præſidijs, armata denique forti & efficaci puritatis Angelicæ amore. Armatus hic debet eſſe fortis, ut non cedat ullis difficultatibus, ullis reſpectibus & rationibus humanis, lingvis item & obtrectationibus aliorum, qui non patiatur ſe ex ſua ſtatione moveri, & atrium incuſtoditum relinquere, propter explendam curioſitatem, aviditatem ſciendi, aliosque ſimiles ad ſpeciem honeſtos titulos & prætextus. Talis fortis armatus, ſi cuſtodierit atrium & ſenſuum portas, in pace erunt omnia quæ poſſidet.

Quàmdiu anima non ſuccumbit hoſti, poſſidet Theſaurum puritatis & caſtitatis, æſtimabiliorem quibuscunque opibus, poſſidet Theſaurum meri-

meritorum & bonorum operum, thesaurum gratiæ divinæ & donorum supernaturalium, possidet pacem & tranquilitatem cordis, quæ exuperat omnem sensum, possidet DEUM & thesauros bonitatis ejus. Hæc omnia erunt in pace, erunt salva & integra, si custoditum fuerit atrium; non enim oculus, non auris, non lingva, non ulius alius sensus deprædabitur anima m.

Hæc considerans reflecte te, an forti huic armato commiseris custodiam atrii tui? Custodia & vigilantia Superiorum supra conversationes & exteriores actus nostros, supra observationem legum nostrarum, multùm juvare potest ad nos in puritate conservandos, & præcavendos tot lapsus ac defectus; interim si non accesserit propria sensuum custodia & vigilantia supra semetipsum, minùs illa efficax erit; unusquisque debet supra seipsum vigilare, nec satìs est, alteri custodiam atrii relinquere. Is ipse, cujus est domus & atrium, qui thesauros in hac domo depositos habet, debet custodire atrium suum, quia de ipso & de ijs quæ possidet, agitur.

Lustra atrium domûs tuæ, percurre omniũ & singulorum sensuum portas, & vide, an illæ sint bene custoditæ? si quæ minùs custodita est, provide, ut quàm optimè custodiatur; percurre item omnes & singulas modestiæ regulas, adverte in cujus potissimùm observatione deficias, velisque hunc defectum corrigere. Pone custodiam ori tuo, sepi aures tuas, claude oculos, illudque quàm maximè cura, ut nulli tui sensus pateant, ne per varia objecta liberè vagentur, ut per illorum portas nihil perveniat, quod vires hostis tui augere possit. Ita enim fiet, ut in pace sint tua omnia, quæ possides, ut habeas internam animæ pacem & tranquillitatem, ut tua puritas sit integra & Angelica, ut gratiã Divinam retineas, ut DEUS in corde tuo resideat.

PUNCTUM III. Audi illa verba Genesis 38 de Ioseph dicta. *Relictô in manu ejus palliô fugit.* Et obiter in memoriam revoca historiam Patriarchæ Joseph. Quomodo is ad peccatum sollicitatus tentationem vicerit, nimirum vicit illam per hoc, quòd relictô pallio fugerit, fugâ feliciter triumphavit. Et hinc disce, ultra media duobus superioribus punctis proposita, hoc probatissimum & efficax medium ad debellandum domesticum hostem, nimirum carnem, esse fugam occasionum, fugam tentationum.

Universalissimum quidem hoc medium est, ad quoscunque animæ nostræ hostes debellandos, ut nos subtrahamus occasionibus, ut de tentationibus fugâ triumphemus; maximè tamen felix, & maximè necessarium est hoc medium ad superandos domestici hostis insultus. Contra mundum, contra dæmonem, non solùm innoxiè, sed etiam cum spe victoriæ potest pugnari aggressivo conflictu, potest formale institui prælium, carnem verò tuam poteris quidem aggredi mortificationibus & afflictione multiplici, ultra hunc tamen, nullus alius conflictus est attentandus, sed solâ fugâ triumphandum.

Et imprimis, ut de carne triumphes, fugiendæ sunt quævis occasiones & conversationes, quæ vel umbram periculi habere videntur. Puritas Angelica, est speculum nitidissimum, speculum sine macula, quod levi etiam afflatu infici & obfuscari potest. Si obfuscari illud nolis, subduci debet, ne affletur. Est lilium candidissimum, quod in manibus facilè marcescit, est ovicula, quæ nisi effugiat, in occasionibus, tanquam in medio luporum, facilè discerpitur. Occasiones verò & conversationes aliquid periculi afferentes, sunt ignis, in quem si te conijcias, facilè adureris, sunt viscus, quem si tangis inquinaris, sunt laqueus, in quem facilè incidis, si non

caveas

caveas, si non fugias, sunt dulce venenum, quod si haurias, necaris, sunt pestis, quam si attraxeris, de te actum est. Effundenti se in conversationes, ingerenti in occasiones, nihil aliud ominandum est, nisi quia periturus est in periculo, quod amat.

Fugiendæ igitur sunt conversationes & quævis occasiones, quibus caro uti potest ad nos debellandos, idque fugiendæ sunt relictô palliô. Pallium hoc sunt tituli colorati, prætextus quæsiti, & rationes quæ svadent, ne te illi occasioni subducas, ne hanc vel illam convesationem dimittas. Tales rationes & tituli sunt: spes prætensa majoris gloriæ Divinæ, occasio apparens spiritualis obsequij animarum, metus ne animos fidelium a te avertas, ne pro solitario, & eremicola habearis; persvasio fortis, leve aut nullum periculum timeri debere ex tali occasione & conversatione, fiducia gratiæ Divinæ; experientia, quòd similes occasiones & conversationes nihil tibi in antè damni & nocumenti attulerint, spes conciliandi amicos, Benefactores Societati, spes obtinendæ eleemosynæ & subsidij, vel pro domo paupere & indigente, vel pro alijs pauperibus. Hæ & aliæ rationes similes, sunt pallium ex quo teneris, & ad animæ tuæ traheris interitum, hoc pallium nisi dimiseris & reliqueris, hosti tuo in prædam cedes.

Tentationes etiam quas caro immittit, & quibus nos solicitat & aggreditur, fugâ sunt superandæ. Quod hac ratione præstabis: Principijs cujuscunque tentationis puritati Angelicæ repugnantis, fortiter obsta, primas statim suggestiones reijce, ostium mentis claude, fuge omnem moram & longiorem cum hoste disceptationem, mentem aliò averte, honestamque diversam assume occupationem, quæ mentem & animum abripiat, ac te periculò submoveat; non bene cessit primis Parentibus longior cum hoste disceptatio; scintilla tentationis nisi

ſtatim excutiatur, facilè te aduret, tentatio ſemel admiſſa; vel non fortiter ſtatim rejecta, tuô damnô brevì capiet incrementum.

Porro etiam hæc tentationum fuga, debet eſſe palliô rejectô. Pallium hujusmodi eſt profunditas animi & defectus claritatis, ſeu indebita verecundia, cui tanquam pallio involvimus, & quâ tegimus tentationes noſtras coram Superioribus ac conſcientiæ noſtræ directoribus, quibus tamem hæ per leges noſtras patere debent, ut ab ijs dirigamur & inſtruamur, qua ratione eas ſuperare poſſimus. Hoc pallium omnino reijci debet & relinqui in manibus hoſtis noſtri, qui nos ex hoc pallio tenet, tamdiuque ſpem reportandæ de nobis victoriæ habet, quamdiu ſuas ſuggeſtiones & artes tectas videt.

Fac Reflexiones, propoſita, & elice affectus.

Colloquium inſtitue ad pretioſisſimam Dei Parentem, cui humiliter ſupplica, ut illa fugienti tibi converſationes & occaſiones, quæ nocumentum aliquod afferre poſſunt, fugienti item tibi quascunque tentationes domeſtici hoſtis tui, ſit civitas Refugij, ut poſt abjecta pallia, ex quibus te hoſtis tuus tenere conſvevit, ſub ſuam protectionem Sanctiſſimam, tanquam ſub pallium te recipiat, & confide te hîc ſecuriſſimum futurum, hôcque palliô puriſſimæ Virginis, puritati tuæ optimè te conſulturum.

In fine: ſub tuum Præſiduum.

Meditatio De Religioſa Obedientia

Præludia eadem, quæ meditationis de paupertate religioſa.

Punctum I. Audi illa verba 1mi Reg. 15. *Nunquid*

quid vult Dominus holocausta & victimas, & non potiùs ut obediatur ei. Melior enim est obedientia quàm victima. Et considera in quo pretio sit obedientia apud Deum, magis illa æstimatur, quàm victimæ. Quæ tamen ipsæ in quo pretio fuerint, hinc collige: victimarum oblationes tanquam munera sibi gratissima respiciebat Deus, illis placabatur iratus, per victimarum oblationem obtinebatur facilè, quidquid à Deo postulabant homines; circa victimas tot ritus & cerimoniæ fuerunt institutæ & præscriptæ; in omni lege Religionis veræ sacrificia & victimas Deus sibi offerri voluit. Voluit offerri in lege Naturæ, in lege scripta, & in lege gratiæ.

Quamvis verò Deus in victimis & holocaustis ita sibi complaceret, nihilominus illis ipsis præfert obedientiam, *Melior est obedientia, quàm victima.* In hac ita sibi complacet, ut etiam oblatio pretiosissimæ victimæ, in ara crucis, pro salute nostra oblatæ, non fuerit sine obedientiæ merito; victima illa Agni immaculati tollentis mundi peccata, licèt ex se acceptissima fuerit, tamen quo gratior appareret, obedientia Christi in moriendo intervenire debuit. *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.* Imò ut Christus se in holocaustum Patri æterno offerret, non satis illi fuit, quòd suam carnem immolaverit, quôd vitam posuerit, quòd sangvinem pretiosum ad ultimam guttam profuderit, etiam Intellectum & voluntatem, per humilem obedientiam, immolare illum oportuit.

Hæc considerans, Reflecte te *imò* super vota tua Religiosa, & recogita, quòd & tu in singulis renovationibus consveveris Deo immolare victimas, & in præsenti sis easdem immolaturus. Victima talis imprimis est Paupertas religiosa ejusq; votum. Per hanc victimam, immolas Deo quidquid in mundo reliquisti, immolas jus tuum & Dominium quod habuisti, vel habere poteras supra pos-

fessiones & quæcunque bona fortunæ, immolas sæcularia desideria, & spes quibus te mundus ad se alliciebat. Victima hæc multùm Deo grata & accepta est, hanc immolantibus Deus multa præmia præparavit. Castitas pariter ejusque votum, altera victima est. Per illam immolas Deo non carnes taurorum aut vitulorum, aut aliorum pecorum & animantium, sed carnem propriam cum ejusdem concupiscentijs, immolas terrena & sensualia oblectamenta, idque hanc victimam immolas in ara crucis, quia carnem tuam per mortificationem configis cruci Christi. Per ipsam, dum Deo consecras innocentiam tuam & puritatem Angelicam, immolas quodammodo agnum immaculatum & innocentes columbas. His tamen victimis melior est obedientia. Et quia ipsa etiam obedientia tua est victima, nam & hanc voves, per ejusque votum immolas Deo omnes honores & dignitates, immolas voluntatem & Intellectum, dum has potentias Animæ subijcis voluntati & judicio Superioris; Ideo obedientia melior est alijs victimis, quòd complectatur & rationem obedientiæ & rationem victimæ. Idque obedientia est præstantior victima quàm victimæ Paupertatis & Castitatis. Per paupertatem enim immolantur res homini extrinsecæ, quæ cùm creatæ sint hominis ipsius causâ, inferiores & minùs præstantes sunt ipso homine. Per castitatem immolatur quidem DEO ipse homo, sed secundùm partem sui imperfectiorem, nimirum secundùm corpus & secundùm id, quod homo habet commune cum brutis. Immolantur affectus & inclinationes brutales & sensuales. At per obedientiam DEO immolatur homo secundum partem sui præstantissimam, secundùm quam homo est similitudo & imago DEI, secundùm quam differt á brutis, nimirum immolat animam, immolat Intellectum & voluntatem, quæ sunt pars nobilissima hominis,

minis; adeoque obedientiæ victima est præstantissima, & melior alijs victimis, quas religiosus Deo immolat per alia vota

Reflecte te 2*dò* & recogita, quàm perfecta debeat esse obedientia, ut in illa sibi Deus magis complaceat, quàm in victimis & holocaustis. Certè ut obedientia in comparationem veniat cum holocaustis, debet esse valde perfecta, quantò magis ut præferatur ijsdem. Holocaustum, talis fuit oblatio, quâ integrè & ex toto res immolabatur & offerebatur nulla parte sui imminuta, ita ut nihil rei esset, quod non offerretur Deo. Pariter & obedientia, ut Holocaustis comparari ac etiã præferri possit, debet per illam totus homo immolari Deo, nimirum ut non solùm Superiori, & Deo quem in Superiore agnoscis, obedias in magnis, sed etiam in minimis; non solùm in facilibus & tibi gratis, sed etiam in difficilibus & à quibus abhorres; non solùm dum præcipit clarè & expressè, sed etiam dum ex nutu vel signo aliquo mentem ipsius & voluntatem cognoscis; ut non solùm obedias Superiori docto, sancto, tibi specialiter affecto, sed etiam minùs docto, minùs sancto, tibi minùs affecto; ut obedias non solùm Superioribus ordinariam potestatem & jurisdictionem habentibus, sed etiam officialibus subordinatis ex delegata potestate aliquid injungentibus. Imò ut totus homo, secundùm quod homo est, cedat Deo in holocaustum, non solùm voluntatem, sed etiam Intellectum & Judicum tuum, Voluntati & Judicio Superioris humiliter submittere debes.

Recogita 3*tiò* si DEUS tanti æstimat obedientiam, quanti te illam æstimare conveniat? Debes illam magis æstimare, quàm victimas & holocausta, eo sensu, ut propter obedientiam faciendam, debeas omittere etiam sanctissimas actiones, ad tuam salutem & perfectionem quàm maximè conducentes, ut debeas relinquere quæcunque obsequia circa

proxi-

proximorum salutem, etiamsi conversionis totius mundi spes affulgeret, si obedientia aliò te avocet, ut debeas DEUM relinquere propter DEUM, obedientia præstat quibuscunque sanctissimis actionibus ex voluntate propria factis.

His reflexionibus adde reflexiones supra tuæ obedientiæ perfectionem, quàm perfecta illa in te fuerit, & deinceps esse debeat. Elice varios affectus confusionis, resignationis, & humilis subjectionis tuæ voluntatis & judicij, voluntati & judicio tuorum Superiorum, quoscunque tibi DEUS providerit, circa res quascunque, ex hoc unico motivo, quòd quidquid illi præcipiunt, DEUS per ipsos præcipiat, & quod hominibus tanquam DEO præcipienti obedire tenearis. Fac Proposita, pete gratiam ad ea exequenda.

PUNCTUM II. Audi ulteriora verba ejusdem Capitis lib. 1. Reg. *Quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.* Considera: quantùm DEUS æstimat obedientiam, in eaque sibi complacet, tantùm aversatur & detestatur inobedientiam. Obedientiam præfert victimis & holocaustis, inobedientiam è contra comparat gravissimis peccatis, nimirum peccato ariolandi, & peccato Idololatriæ. Verùm quid similitudinis habet inobedientia cum illis peccatis? habet, & multum habet.

Et *imprimis*, repugnare voluntati Superioris, est quasi peccatum ariolandi; quia inobedientes faciunt quædam auguria & divinationes. Dum enim præferunt suam voluntatē voluntati Superioris, habent formaliter vel æquivalenter judicium practicum, quo ipsi existimant, id, quod ipsi volunt contra Superioris voluntatem, melius esse, DEO magis acceptum, & magis conforme voluntati ejus. Illi solent divinare: si voluntatem suam præferant voluntati Superioris, eventura inde majora bona, securam

turam hinc majorem Dei gloriam, faciliùs illos hac ratione obtenturos salutem animæ, nihil id obfuturum perfectioni & spirituali profectui ipsorum, proximorum animas quàm plurimas per id Deo lucrandas &c. Verùm divinare illos mendacia, ipsa frequenter docet experientia, dum etiam vanos fines, quos in suis inobedientijs sibi præfigunt, sæpiùs non consequuntur, dum eorum ominationes & prædictiones falsas fuisse eventus ipse ostendit.

2*dò* Nolle acquiescere voluntati Superioris, est quasi scelus idololatriæ. Per inobedientiam enim honor & cultus, qui Deo debebatur, eidem subtrahitur, & idolis quibusdam exhibetur. Talia idola sunt: Excellentia propria, eminendi cupiditas, libertatis ampliandæ studium, proprij sensus & judicij æstimatio, Amor proprius, variæ vanitates & consequentiæ. His idolis honor impenditur, qui per inobedientiam Deo eripitur, dum singula hæc, vel aliqua ipsorum, præferuntur voluntati Dei, per Superiorem explicatæ, dum ijsdem idolis voluntas & judicium subditi immolantur, quæ Deo immolari & in holocaustum cedere debuerunt.

Fac reflexiones supra tuas inobedientias, an non fuerint illæ peccata ariolandi? Illa quæ per inobedientiam tibi pollicebaris & quæ intendebas, an non fuerint divinationes mendaciorum? Item, an tuæ inobedientiæ non fuerint scelus idololatriæ? Idola illa tuæ propriæ excellentiæ libertatis, excutientis suave jugum obedientiæ, amoris tui inordinati, humanorum respectuum, in quanto honore & existimatione sæpiùs apud te extiterunt? quàm frequenter illa adorâsti; o quoties, ut idola hæc coleres, Creatoris tui voluntatem contempsisti? o quoties his idolis voluntatem & judicium tuum immolâsti? Confundere, Idola hæc comminue, eaq; ipsa, unà cum voluntate tua, Deo Creatori immola. Propone deinceps non illis, sed soli Deo per

obe-

obedientiam perfectam te sacrificaturum.

Punctum III. Audi adhuc ulteriora verba ejusdem capitis: *Pro eo, quòd abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus, ne sis Rex.* & 1. Regum 13. *Si fecisses quæ præcepit tibi Dominus, jam nunc præparâsset regnum tuum super Israël.* Et considera damna, quæ ex inobedientia sequuntur, & pœnas quibus illa punitur, hæc potissimum esse: Quòd Deus abjiciat eos, qui per inobedientiam abjiciunt sermonem Domini; quòd faciat, ut non sit rex, qui est inobediens; quòd non præparet illi regnum, quod propter obedientiam præparâsset. Damna hæc & pœnæ, gravissimæ sunt.

Et 1*mò* quidem abjici quempiam à Deo pœna gravissima est, abjici à Deo, est excidere ab extraodinaria & singulariori Divina providentia, ab illa providentia, quæ Creaturam rationalem ita in suum finem dirigit, ut etiam ipsam ad eundem perducat. Quem Deus abjicit, illi jam non succurrit, non tuetur in periculis, non præservat à malis, occasiones ruinæ non avertit, deprecationes Sanctorũ pro eo non audit, orari pro ipso non vult. *Usquequo tu luges Saul, cùm ego abjecerim eũ.* Tradit Deus talem in reprobum sensum, ut faciat quæ non conveniunt. Difficilè is corrigitur, juxta illud: Considera opera Dei, quòd nemo possit corrigere, quem ille despexerit.

2*dò* pœna inobedientiæ est, Quòd inobedientem Deus abjiciat ne sit Rex. Obedientis privilegium est, quòd ipse sit Rex, quòd dominetur suis cupiditatibus, quòd appetitum sensitivum & passiones rationi subjectas habeat. Inobedientiæ pœna est, quòd illi nolint subijci sui subditi, qui est inobediens suis Superioribus. Ex eo quia ratio & voluntas repugnant Deo & Superioribus locum Dei tenentibus, caro etiam repugnat rationi, repugnant cupiditates & nolunt ratione regni, nolunt illam sibi

sibi dominari, jugumq; ipsius excutiunt. Servi tu ei, à quo factus es, ut serviat tibi, quod propter te factum est. Vir obediens loquitur victorias, facilè superat tentationes, ex pugna cum mundo, carne, & diabolo victor recedit. E contra, inobediens tentationi miserè succumbit, & qui per obedientiam Deo servire renuit, fit servus peccati, mancipium diaboli, mancipium suarum cupiditatum. Qui DEO obedit, obediunt ei omnia. Petro obedienti obedivit mare, eiq; se calcandum præbuit. Mare & venti obediunt tibi, si tu obedieris DEO. Inobediens creaturas experitur sibi inobedientes & rebelles: contra inobedientem Jonam concitatur mare & venti, paratur Cetus ad devorandum eum.

3*tiò* Pœna inobedientiæ est, quod regnum propter obedientiam præparatum, ab inobediente transferatur. Propter suam inobedientiam Adam & Eva pelluntur ex Paradiso, qui ijsdem, si obedivissent, paratus & destinatus fuerat. Propter inobedientiam, Saulis transfertur ab ipso regnum, & Davidi facienti voluntatem Domini præparatur. Præparatur regnum obedientibus, dum illis auxilia gratiæ uberiora & efficacia conferuntur ad salutem consequendam. Aufertur regnum, dum hujusmodi auxilia subtrahuntur. *Auferetur à vobis regnum DEI, & dabitur genti facienti fructus ejus.* Regnum, quod ab homine religioso auferri, vel penes quod ille conservari potest, est non solùm potestas dominativa supra carnem propriam, & supra affectus & passiones appetitûs sensualis, sed etiam est beneficium vocationis religiosæ, est perseverantia finalis in gratia, & æterna animæ salus, est conversio animarum pretioso Christi sanguine redemptarum. Hoc regnum quemadmodum DEUS præparavit obedienti, ita aufert ab inobedientibus, ex quibus aliqui indignos se faciunt gratiâ vocationis & perseverantiâ in illa. alij merentur etiam à regno cœlorum excludi, alij in pœ-

 nam

nam non assumuntur ad hoc, ut per eos animæ infidelium & peccatorum, ad veram fidem & pœnitentiam convertantur.

Exhorresce has pœnas, & cogita an & tu ipsas non merueris ? an item non experiaris in te illam pœnam, quod propter tuas inobedientias inobedientem rationi habeas carnem tuam, inobedientes affectus & appetitus tuos brutales & sensuales. Defle & detestare tuas inobedientias & propone te in omnibus obedientem futurum superioribus tuis.

Colloquium ad S. Patrem nostrum Ignatium. Divinissime Pater, indignus filius tuus ad plantas tuas sanctissimas pronus procido, & humillimè supplico, ut sit in me perfecta obedientia, quam tantopere filijs tuis & mihi commendâsti, in qua excellere, & per quam ipsos discerni ab aliis voluisti, fiat obsecro in me duplex spiritus tuus spiritus inquā duplicis gradus obedientiæ, ut non solū voluntatem meā voluntati meorum Præsidum perfectè subijciam, sed etiam, ut Judicium meum judicio eorundem conformare studeam. Effice, ut hoc spiritu tuo animatus vivam, factus obediens usq; ad mortem, idq; mortem crucis, & hunc spiritum moriens in manus Patris æterni reddam.

In fine: suscipe Domine universam libertatem.

Meditatio
De vocatione religiosa ejusq; desertoribus.

Prælu dia eadem quæ meditationis de paupertate religiosa.

Punctum I. Audi illa verba Joan. 6. *Multi discipulorum JESU, abierunt retrò, & jam non cum illo ambulabant.* Quæ audiens, per hos discipulos intel-

tellige desertores Societatis JESU, qui ab ea sine justis & sufficientibus causis recedunt.

Desertores hujusmodi sunt, ex Discipulis JESU, quia in schola ipsius, sub institutione Sanctissimi hujus magistri permanserunt aliquo tempore, ab ipso sunt vocati, ab ipso quà verbô, quà exemplô instructi, discere poterant ac debuerant, qua ratione eum sequerentur, illi adhærerent, nec ab ipso retro abirent, qui tamen deinde sine justa ratione, quæ coram DEO valere possit, ab hac schola recedunt & ad mundum, de quo illos Christus elegerat, infeliciter redeunt. Nec mirandum, quòd Societas plures desertores sui numerat, etiam à Christo, æternâ DEI sapientiâ multi discipulorum abierunt retro. Neq; per hoc derogatur sanctitati instituti Societatis, quòd multi eam deserant, quandoquidem etiam Sanctissimæ institutioni Christi multorum discipulorum recessus ne minimùm derogarit.

Sicut verò de illis, qui à Christo vivente sumq; prædicante Evangelium recedebant, verè dictum fuit, quòd abierunt retrò, quod jam non ambulabant cum JESU, ita id ipsum de desertoribus qui sine rationibus sufficientibus & veris, deserunt Societatem JESU, verificari consvevit. Abeunt & illi retrò, non eo tantùm sensu, quia redeunt ad sæculum, sed etiam, quia à JESU hoc est à Salvatore à salute recedunt, non eunt ampliùs viâ salutis, sed ab hac quàm maximè elongantur. Utinam alio saltem tramite versus tamen eundem terminum irent, utinam ad eum tenderent terminum, quem Christus, qui via veritas, & vita est, ipsis demonstrat; sed infelices, retrò hoc est ad terminum oppositum, à quo abducebantur abeunt.

Verificatur & illud de ijsdem Societatis desertoribus, quòd jam non cum JESU ambulent. Ambulare cum JESU, est ita ambulare, sicut ipse ambulavit, est sequi JESUM, ejusq; insistere vestigijs,

est vivere secundùm præcepta Evangelica, & consilia & exempla Christi; est conversari, sicut Christus conversatus est, virtutes ejus imitari, indui vestibus & insignibus JESU; est Spiritu JESU agi, ac vivere, illiq; se conformare. Qui verò à JESU abeunt, & Societatem ejus ex rationibus indebitis deserunt, non ampliùs ambulant, sicut Christus ambulavit, non vivunt nec volunt vivere secundùm consilia & exempla Christi, nolunt imitari Christum pauperem, humilem, & contemptum. Diversæ ipsorum sunt conversationes, & valde difformes conversationibus Christi. Non amplius castra Christi sequuntur, sed ad illa se transferunt, ad quæ illos trahit concupiscentia oculorum, concupiscentia carnis, & superbia vitæ, seu caro, mundus, vanitas, & diabolus. Ad mundum spectant; sunt de mundo; mundus illos diligit tanquam id quod suum est; quòdsi mundus illos non diligit, illi tamen diligunt mundum, mundo, etiam repellenti ipsos, adhærent, & ea, quæ sunt mundi, sectantur, post carnem & post sua desideria ambulant.

Hæc considerans defle infelicitatem hujusmodi Societatis JESU desertorum, ipsisq; cordialiter condole. Et ne tu etiam ad eandem infelicitatem devenias, expavesce, tuæq; in vocatione constantiæ & perseverantiæ consule, atq; omnî meliorî modô provide.

Punctum II. Audi ulteriora verba Joan. 6. *Dixit ergo JESUS ad duodecim: nunquid & vos vultis abire? respondit Simon Petrus: Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Respondit eis JESUS: nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis diabolus est.* Ex quo toto Christi cum Apostolis colloquio disce, quàm potentia sint exempla desertorum Societatis, ut Christus ad probandam duodecim Apostolorum constantiam, post abitum retrò multorum suorum discipulorum, interrogare non dubitaverit.

verit. *Nunquid & vos vultis abire?* Nec frustra id quæsivit Christus. Quamvis enim S. Petrus è sensu & nomine omnium Apostolorum, protestatus fuerit: *Quò ibimus? verba vitæ æternæ habes*; tamen inter ipsos duodecim Apostolos vidit Christus unum, qui abiturus & Societatem ejus deserturus erat; nimirum vidit Judam Iscariotem, qui à Christo deinde turpiter defecit. Quod ipsum illis expressit verbis *Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis unus diabolus est.*

Ex quibus verbis disce iterum. Hæc apud Christũ pro eodẽ accipi, unus ex vobis retro abibit (quod tua responsione significare volebat) & unus ex vobis diabolus est. Diaboli prædicata sunt: quòd sit mendax quòd sit superbus ab initio, quòd sit spiritus immundus, quòd in veritate non steterit, quòd è cælo tanquam fulgur ceciderit, quòd draconi adhæserit, quòd ipsi paratus sit ignis æternus. Hæc prædicata omnino conveniebant Judæ desertori. De alijs Societatis JESU desertoribus, qui eam malitiosè ex prava sua voluntate deserunt, an ipsis eadem prædicata conveniant, sileo. Timeo tamen, ne pleraquè conveniant. Illud è testimonio & oraculo veritatis æternæ certum esse videtur, quòd Judas volens & disponens se ad abeundum retrò à Christo, jam tunc diabolus fuerit, quòdsi verò, dum adhuc vellet abire á Christo, Diabolus fuit, postquàm defacto abijt, pejor extitit diabolô

Sed liceat inquirere quid Iscariotem adhuc in schola Christi existentem, & fortè plures Societatis JESU desertores, in diabolos transformet? an sola ipsorum vacillatio in vocatione? solane voluntas deserendi Christum? & talis quidem voluntas frequenter est sufficiens ad hujusmodi transformationem faciendam. Interim plura vitia Judam adhuc in Societate & collegio Apostolorum existentem in diabolum transformarunt, per quæ se ad defectio-

nem à Christo disponebat. Talia Judæ vitia fuerunt. *1mò* Avaritia & paupertatis defectus, atq; pecuniarū clancularia asservatio. *Fur erat & loculos habebat.*

2dò Orationis & rerum Spiritualium neglectus & fastidium. Christus sumptâ cænâ abijt in hortum, ultimum sermonem cum Apostolis instituit, post sermonem & ipse orat, & alios orare jubet. *Orate ut non intretis in tentationem.* Judas his se subducit, negligit ea, quæ alios in Christi schola detinebant: *Quo ibimus? verba Vitæ æternæ habes*, proinde non est mirum, quod tandem à Christo defecerit.

3tiùm vitium Judæ fuit, quod etiam illum fecit Christi desertorem: familiaritas periculosa, conversationes malæ & suspectæ, associabat se principibus sacerdotum, Pharisæis, scribis, persecutoribus Christi, cum illis conversabatur, clancularias amicitias & familiaritates habuit, multa cum illis tractabat, transigebat &c. associabat se præterea lictoribus, hominibus malis, perversis. *Dux fuit eorum qui comprehenderunt JESUM*, & ita factū est ut cum perversis perverteretur.

4tum Judæ vitium fuit: alienæ virtutis persecutio, obtrectatio. Obsequium illud sanctum pœnitentis Magdalenæ, ab ipso Christo laudatum, quod ipsa fecit, pretiosum unguentum effundendo in sanctissimum Christi caput, Judas ausus est improbare & damnare, *Ut quid perditio hæc? potuit istud venundari multo, & dari pauperibus.* Propter hoc vitium non debuit Judas habere locum in schola virtutis & ibi ubi virtus erat in pretio.

5tum vitium Judæ, quod eum disponebat ad defectionem à Christo, fuit hypocrisis & virtutis simulatio. Simulabat misericordiam super egenos cùm diceret, *potuit dari pauperibus*, quâ simulatione tegebat suam avaritiam & pecuniæ cupiditatem. Cùm lupus esset, induebat se vestimentis oviū, sed non patiebatur illū pastor, nec potuit continere ovile Christi

6tum.

6tum vitium Judæ, fuit profunditas animi Judæ, ex qua Cristo medico, volenti sibi succurrere, nolebat sua aperire vulnera, culpam nolebat confiteri & agnoscere, licèt Christus illum indigitaret, quòd ipsum esset traditurus. Hæc & Judam perdidit, & multos desertores perdit, ut eos tanquam insanabiles Christus medicus reijciat.

7mum tandem vitium Judæ fuit sacrilegium illud in cænaculo commissum, hoc est sacrilega, in peccato mortali, in proposito tradendi Christum, susceptio Sanctissimi sacramenti, post acceptam illam sanctissimam buccellam in Judam intravit satanas, ipseq; Judas transformatus est in diabolum.

Hæ & similes dispositiones ac vitia, fuerunt gradus & passus, per quos Judas desertor Christi ejusq; Societatis, & qui eum imitantur, à Christo recedunt, abeunt retrò, & ex Christi discipulo ac socio, transformantur in diabolum. *Unus ex vobis diabolus est.*

Hæc considerans, existima etiam ad te dirigi illam Christi interrogationem: *Nunquid & vos vultis abire?* responsumq; à te expectari. Quod verò responsum dabis duci & magistro tuo sanctissimo? nunquid non respondebis? Domine quò ibo? verba vitæ æternæ habes! quis me separabit à Charitate tua? mihi adhærere Christo bonum est. Domine paratus sum tecum in carcerem & in mortem. Protestare cum S. Petro: *Etiamsi omnes scandalizati in te fuerint, ego non scandalizabor.* Item cum P. Claudio Aquaviva. *Si Societas ab omnibus desereretur, unus ego cum ope tua mansurus sum.* Ora Christum visceriosissimè. Domine jube me venire ad te, trahe me post te, curram in odorem uguentorum tuorum. Ne permittas me separari à te.

Reflecte te deinde an non inveniantur jam in te aliquæ dispositiones saltem remotiores & inchoatæ ex iis, quibus similes, in gradu proximiore dis-

ſpoſuerunt Judam, ut Chriſti ſocietatem deſereret. Percurre ſingula Judæ vitia, per quæ ille præcipitatus eſt. vide quod orandi & meditandi in te ſtudium? quis affectus ad res ſpirtuales, aliaq; exercitia ſpiritualia? quis paupertatis amor? ad converſationes, amicitias, familiaritates cum ſæcularibus & cum laxioribus quæ propenſio, quæ effuſio? quod pretium alienæ virtutis? quis animi candor in aperiendâ conſcientia? quæ reverentia Sanctiſſimi Sacramenti? quæ conſcientiæ puritas, & quanta illius cura dum accedis ad menſam Euchariſticam? Contrarias, vitijs Judæ, virtutes comparare ſtude, & tuæ perſeverantiæ, in ſancta: JESU Societate certior & ſecurior eſſe poteris.

PUNCTUM III. Audi illa verba ad Galat. 5. *Currebatis benè, quis vos impedivit non obedire veritati. Perſvaſio hæc non eſt ex eo qui vocat vos.* Etiam hæc applica ad dimiſſos Societatis & dimiſſionem ſine juſtis cauſis procurantes. Si primus ille fervor, quo in Tirocinio DEO ſervierunt, ſpectetur; ſi attendatur illa tunc exacta regularum obſervatio, ille in cuſtodienda Diſciplina religioſa rigor, illa minimorum defectuum fuga, illud ſolidarum virtutum & perfectionis ſtudium? fateri eſt neceſſe, quòd benè cæperint. *Currebatis benè.* Si verò ſpectetur ulteriùs ea, quæ deinde ſubſecuta eſt, primi fervoris remiſſio, in transgrediendis regulis libertas, graviorum criminum patratio, mediorum ſalutis contemptus vel abuſus, regreſſus ad ſæculum; quid dicere reſtat? an non illud: *quis vos impedivit non obedire veritati?* quo factum eſt, ut talis ſecuta ſit mutatio quis vos impedivit non obedire veritati vocanti vos ad vitam perfectiorem? ad currendam illam viam, ad quam currendam ipſe Chriſtus exultavit ut gigas? veritati invitanti per tot internas motiones Spiritus Sancti, per tot lumina in meditationibus alijſq; exercitijs accepta, per Chriſti Conſilia, & ex-

empla, per exempla confodalium vestrorum? Quis vos impedivit? superâstis illa impedimenta quæ impediebant, ne Christum primò vocantem sequeremini, quæ primum religionis ingressum retardabant. Et quod modò tale supervenit impedimentum, quod primam illam voluntatem vestram serviendi DEO in religione, aliquando tam fortem & firmam, ita nunc devicit, ita superavit.

Insinuat hoc impedimentum Apostolus per verba quæ subjungit *Persvasio hæc non est ex eo, qui vocat vos.* Impedimenta illa quæ aliquos JESU socios olim benè currentes, in suo cursu sistunt, imò etiam retrò abire faciunt, sunt aliquæ persvasiones, aliqua dictamina prava & perversa, quæ vel audiunt ab alijs, vel ipsi sibi formant & concipiunt in finem deserendi Societatem JESU. Hæc faciunt, ut non currant benè, ut cursum cæptum non continuent, set abeant retro nec obediant veritati.

Tales persvasiones & dictamina sunt: remittendum est aliquid de nimio rigore: non ita persequendus est hostis, ut perimatur civis. Non unica tantùm via salutis est, duodecim sunt portæ ad cælestem civitatem Jerusalem. Non ingrediar cœlum eâ portâ, quâ illud ingrediuntur homines Societatis, ingrediar aliâ. Etiam homines sæculares salvabuntur, nunquid non possum DEO servire in sæculo? peccatores & publicani multos religiosos præcedent in regnum DEI &c. De his persvasionibus & dictaminibus quid sit sentiendum, indicat Apostolus. *Persvasio hæc non est ex eo, qui vocat vos.* Persvasiones hæ, cùm sint contrariæ vocationi DEI, illiq; adversentur, non sunt à DEO, non sunt ab eo qui te vocavit in Societatem Filij sui. Qui te vocavit ad Societatem, vult ut in ea permaneas, monetq; per Apostolum: *Unusquisq; in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.* Qui te vocavit ad Societatem, vocavit te ut non esses de hoc mundo, qua ratione igitur si-

eri poterit, ut iterum te vocet, ut ad sæculum redeas, ut sis de hoc mundo?

His consideratis, reflecte te supra fervorem tuum, quô vitam religiosam inchoâsti? quantum de illo remiseris? an non penitùs extinctus sit? an jam eò non devenias, ut de abrumpendo cursu cæpto cogites. Vide ne repugnes obedire veritati, quæ te continuò excitat ut curras in vocatione, roborat, & in viâ DEI detinet. Vide ne tandem persvasio aliqua mala à proposito tuo te dimoveat. Scito persvasiones quascunq; quæ te à servitio DEI & constantia in eodem avocant, non esse à DEO, non esse ab eo qui vocavit te.

Persvasiones quæcunq; à Christo sequendo, à Societate ejus ad sæculum te avocantes, sunt persvasiones pestilentissimi Ducis, quibus te in perniciem trahit, sunt persvasiones carnis & mundi. Protestare cum Apostolo: sed licèt Angelus de cœlo evangelizet mihi præterquam quod sua vocatione ad Societatem Filii sui DEUS mihi semel evangelizavit, anathema sit. Protestare rursus quòd sicut in materia Fidei, omnes contra fidem rationes illico dissolvis, reijcis, nulliusq; ponderis esse censes, ita omnes rationes contra vocationem, quas tibi aliquando obijciet dæmon, quibus defectionem persvadere volet, te animose rejecturum, tanquam hostis animæ tuæ fraudes & insidias. Atq; ad obediendum veritati quæ te vocat, ut DEO servias & in vocatione tua perseveres, captivaturum te & intellectum & voluntatem & libertatem & omnes potentias tuas.

Dictaminibus illis falsis quibus multi seducuntur, oppone contraria Dictamina & veritates infallibiles, illisq; te deinceps regere & illis obedire stude. Justificationem quam cœpi tenere, non deseram, inimico meo, hoc est carni meæ non cedam in æternum, non congregabo prunas super caput meum. Caro non perimitur moderata mortificatione, sed

ſed magis voluptate quâ corrumpitur. Quidquid ſit de alijs, qui ad vitam religioſam non ſunt vocati unquam, mihi tamen unica hæc eſt ſalutis via, in quam per vocationem deductus ſum; hanc ſi deſeruero, erravi & perij in æternum. Duodecim portæ ſunt cæleſtis Hieruſalem, ego tamen nullâ aliâ admittar præterquam illâ, ad quam me ducit vocatio mea. Homines ſæculares ſalvabuntur, ſed qui utuntur hoc mundo tanquam non utentes, & qui DEUM in ſæculo quærunt, non deſertores, non canes redeuntes ad vomitum, non qui DEUM perdunt, ut ſæculum & mundum inveniant. Cùm DEUS voluerit ut ipſi ſervirem in religione, non vult ampliùs ut illi ſerviam in mundo. Nemo poteſt duobus Dominis ſervire, nec fieri poteſt, ut quis mundo & carni ſerviens, DEO pariter ſerviat. Peccatores & publicani præcedent etiam religioſos in Regnum DEI ſed viam pœnitentiæ ingreſſi, & converſi ad DEUM in toto corde, non qui miſericordiâ DEI abutuntur, & in ſpem veniæ peccare volunt & peccant. His dictaminibus te deinceps regendum propone.

Colloquium inſtituendum ad Beatum Aloyſium Gonzagam. Sanctiſſime Angelice adoleſcens, quem pretioſiſſima Dei Parens, voce à ſua imagine delapſa, ad Societatem JESU vocare dignata eſt, per illum amorem & pretium, quo in vocationem tuam ferebaris, obteſtor te & humillimè poſtulo, ut impetres mihi ſolidum vocationis meæ amorem. Sint obſecro mihi familiaria illa tua dictamina, quibus tu regebaris: *Volo reddere ſecuram ſalutem meam. Ego non ſum ampliùs de hoc mundo. Nimis arduum eſt eſſe Dominum & ſalvari.* Effice interceſſione tua, ut in ſancta Societate militante vivam & moriar, in triumphante verò unà tecum Deô fruar in æternum.

In Fine: Anima Christi.

Ex

Expensio contemplativa Formulæ votorum Per secundum orandi modum à S. Patre nostro IGNATIO propositum.

Præludium 1. Audi illa verba Psal. 25. *Vovete & reddite Domino DEO omnes, qui in circuitu ejus affertis munera.* Et imaginare in conspectu Sanctissimæ Trinitatis, coram pretiosissima DEI Parente, te constitutum esse, ad emittenda vel renovanda vota tua.

Præludium 2. postula à DEO gratiam ut cum gustu quàm maximo beneplaciti Divini vota tua nuncupare, teq; per illa in holocaustum DEO offerre, & quidquid voveris plenè exequi possis.

In ipsa meditatione expende singula Formulæ verba.

Omnipotens Tua Domine omnipotentia imbecillitatem meam adjuvet ut vota mea tibi reddam & voveam; hæc quoq; me adjuvet, ut quæ voveo adimpleam & exequar. Ego enim ex me non sufficio ad dicendum etiam Sanctissimum nomen tuum; quantò magis insufficiens sum ad superandas difficultates quas experiar, ad vincendas tentationes, quibus impugnabor & quibus ab observatione votorũ hostis animæ meæ retrahere me conabitur. In te verò, si me auxilio & gratiâ tuâ confortaveris, omnia potero.

Sempiterne. Quia sempiternus & immortalis es Domine, perpetua tibi debentur obsequia. Quarè & ego trado me tibi in servum perpetuum. Perpetuam tibi Paupertatem, Castitatem, & Obedientiam vovere volo, quia dignus es Domine, ut semper tibi serviatur, ut semper tibi vota mea reddam & exsolvam. Maximè cùm & tu præmiaturus sis præstita tibi obsequia in perpetuas æternitates. Quia æternus & imi-

imutabilis es, mea quoq: voluntas immutabilis est, quâ volo semper & in perpetuum manere obligationem meam, & nunquam vinculis illis, quibus nunc tibi adstringar, solvi.

DEUS. Hoc titulo & nomine complector omnes titulos, quibus verè & propriè compellaris Domine. Hoc nomine exprimo essentiam & naturam tuam, exprimo omnes Personas Sanctissimæ Trinitatis, exprimo omnes perfectiones & attributa tua Divina. Tu es Domine tibi & rebus omnibus sufficientissimus. Tu bonorum meorum non indiges, non eges donis & obsequijs meis, tu es summa bonitas & Clementia; & quia talis es, licèt his non egeas, admittis tamen benignissimè munera & obsequia mea, tu es omniscia & perfectissima sapientia. Immensus es Domine misericors, & justus. Non esses id quod es, si non esses ineffabilis, si possem te exprimere. Es fons & plenitudo omnis perfectionis & omnium bonorum. Quotquot verò attributa & perfectiones habes Domine, totidem titulos habeo ego, ut te amem ut me tibi per vota religiosa immolem, ut serviam tibi.

Ego *NN.* Ego. pulvis & cinis, cujuslibet venti dispersioni pervius. Ego canis mortuus meritò abominabilis. Ego stipula sicca igne infernali digna, Ego is, cujus putredo Pater, Mater autem & soror vermes. Ego opprobrium & dehonestamentum Religionis meæ. Ego arbor inutilis & infructuosa, bis mortua, frustra terram occupans, & imbrem sanguinis tui in vanum bibens. Ego mancipium peccati & diaboli. Ego, tu solus nôsti quid ego.

Licèt undecunq; indignissimus. Indignissimus ratione principij ex quo originem duco; quia ex nihilo sum. Indignissimus ratione principij in quod resolvar; quia pulvis sum & in pulverem revertar. Indignissimus ratione tot criminum & delictorum meorum. Indignissimus à prima conceptione mea, quia

quia in peccatis conceptus sum, indignissimus à primo rationis usu, à quo non statim me ad te DEUM meum in toto corde converti, indignissimus toto vitæ meæ tempore, qui te non cesso unquam offendere. Indignitatem hanc meam dum recogito, mirari satis non possum, quomodo tantus peccator, tamdiu sustineor.

Divino conspectu tuo. Et quomodo dignus ero conspectu tuo, qui non sum mundus in conspectu tuo, qui in oculis tuis sanctissimis, aversantibus turpitudines meas, sæpiùs idq; graviter contra te deliqui. Cùm indignissimus sim, quomodo comparebo ante conspectum tuum?

Fretus tamen pietate. Pietas tua Domine, & timere me facit & sperare. Timere facit, quis enim non timebit te quia pius es, et impietatis meæ non est concordia cum pietate tua. Sperare facit, quia pietas tua est asylum impietatis meæ.

Et misericordia tua infinita. Indignitas mea me prohibet, retrahit innata ad malum propensio, arcet illa, cujus mihi bene conscius sum, infirmitas & fragilitas mea. Misericordia tamen tua (quæ per hoc ipsum quia infinita & tua est, superat omnem indignitatem & miseriam meam) in eam me erigit non solùm fiduciam, sed etiam audaciam, ut compaream ante conspectum tuum, ut in conspectu tuo Divino vota mea reddam.

Et impulsus tibi serviendi desiderio. Et hic est quē jam experior effectus pietatis ac misericordiæ tuæ infinitæ, ô Bonitas, quod me, indignissimum licet, non proijcias à facie tuā, sed gratia tua, me ad te benignissime attrahas, & impellas desiderio serviendi tibi. Desiderium hoc ô utinam sit fervens, efficax, stabile & nunquam immutandum, sit desiderium serviendi tibi quàm perfectissimè, ne quæso cesses Domine excitare & impellere me assiduo, suscita in corde meo flammas & incendia amoris tui,

qui-

quibus semper ardeam, voluntatem meam, quantumvis rebellem, invicta virtute tua compelle, ut in sanctitate serviam tibi omnibus diebus vitæ meæ.

Voveo Hoc est, obligare me volo & obligo obligatione votis religiosis propria & conveniente. Ea obligatione, quâ DEUS optime dignus es & qua tibi arctissimè adstringi possim. Voveo toto me, toto totius substantiæ affectu omnipossibili, majore quàm unquàm fervore spiritûs, intentione, quæ maximè sublimis esse potest, ex amore quo te diligo summum bonum meum.

Coram Sanctissima Virgine Maria. Sine qua non audeo comparere coràm te. Hæc enim est peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia. Hæc mater pallio suo conteget quidquid in me displicet tibi. Per ejus manus vota & munera mea tibi reddita spero fore grata & accepta.

Et Curia tua cœlesti universa. Vos sancti cœlestes incolæ, vestrâ in servitio DEI constantiâ sanctisq; vestris exemplis, vos quæso excitate me semper ad constantiam in obsequio Divino, intercessione vestra impetrate, ut vota quæ voveo fideliter adimpleam.

Divinæ Majestati tuæ Majestatis tuæ DEUS consideratio continet me, & utinam semper contineat in accurata votorum observatione, ne transgressione eorum, efficiar læsæ Divinæ tuæ majestatis reus; efficit & illud, ut sim memor rem & negotium me habere tecum, qui terribilis es in Majestate tua, cui debetur omnis honor & obsequium, cui displicet inutilis, infidelis, & stulta promissio, qui requiris, ut quod vovetur, reddatur fideliter.

Paupertatem. Non exteriorem tantùm sed interiorem etiam, Paupertatem spiritûs, Paupertatem usq; ad omnimodam cibi, potûs, vestitûs, omniumq; necessitatum inopiam.

Castitatem. Corporis & animæ, omnium sensuum

ſuum & affectionum, uſq; ad reſiſtentiam ſanguinolentam, uſq; ad luctam morte terminandam.

Et Obedientiam. Obedientiam in executione, Obedientiam voluntatis, Obedientiam intellectûs & Judicij. Obedientiam ſine excuſationibus, prætenſionibus, & murmurationibus. Obedientiam iuſſa & placita Superiorum exequentem abſq; eo, quòd voluntatem Superioris traham in ſententiam meam. Obedientiam obſequentem non ſolùm altioribus ſuperioribus, ſed etiam ſubordinatis officialibus. Obedientiam cæcam, promptam, & punctualem.

Perpetuam in Societate JESU. Hoc eſt totâ vitâ obſervandam, cum perpetua & finali, in ſancta Societate perſeverantia.

Et promitto eandem Societatem me ingreſſurum per acceptationem promptam cujuſcunq; gradus, pro me à ſuperioribus meis determinandi. Fiat de me Domine Divina tua, meorumq; ſuperiorum diſpoſitio. Omnis, quicunq; ille gradus fuerit, ſublimis eſt, quia per illum ad cælum aſcenditur Omnis eſt futurus ſupra mea merita. Omni me indignum reputo. Nullum ambio, nec ambiam unquam, qui elegi abjectus eſſe in domo Domini, hoc eſt in Sancta Societate IESU. Promitto taliter, ut hanc promiſſionem, vim & obligationem voti habere velim.

Ut vitam in ea perpetuò degam Hæc erit mea màxima felicitas, quâ majorem in vita optare non poſſum. Hanc appeto, hanc ut aſſequar, omni adnitar ſtudio, ad hanc curandam, obligatione voti me adſtringo, ipſamq; fixa & immutabili voluntate deſidero & promitto.

Omnia intelligendo juxta ipſius Societatis conſtitutiones. Non juxta detortas, & menti Societatis contrarias interpretationes, non ſecundùm reſolutiones laxas, nec ſecundùm Principia & dictamina imperfectorum religioſorum. Procul hæc ſint à me. Te IESU amabiliſſimè, tua conſilia, ſanctiſſimas

constitutiones Societatis tuæ, meum esse magistrum volo & expeto. Fac Domine ut non aliter nisi secundùm easdem constitutiones, verumq; illarum sensum, obligationem votorum meorum intelligam, & omnia quæ vocationis meæ sunt.

A Tua ergo immensa Bonitate & Clementia In qua me sperare, quòd non confundar in æternum, sæpiùs profiteor & profitebor semper.

Per JESU Christi sanguinem peto suppliciter. Hic sanguis Domine est orator meus, ad te meliùs infinities clamans, quàm sanguis Abel.

Ut hoc holocaustum in odorem svavitatis admittere digneris Non quamcunq; oblationem DEUS meus tuæ Majestati de me facio, sed tanquam in holocaustum totus cado, meq; totum absq; omni imminutione tibi immolo, totusq; amoris tui incendijs in tuo obsequio absumi & conflagrare desidero. Hoc igitur holocaustum in odorem svavitatis admittere digneris, ut sim bonus odor agri pleni, cui benedixit dominus. Unio holocaustum hoc, cum svavissimè fragrante sacrificio, quod tibi in ara crucis obtulit Incarnatus Filius tuus, itaenim unitum admittere dignaberis in odorem svavitatis.

Et ut largitus es ad hoc desiderandum & offerendum In quo ego misericordias tuas recognosco & recognoscam atq; cantabo in æternum.

Ita etiam ad explendum gratiam uberem largiaris. Nosti Domine quòd sine tua gratia sim mihi dux in præceps, in lapsum, in interitum, Nosti, perseverantiam, non esse hominis volentis neq; currentis sed tui miserentis. Trado ergo me gratiæ tuæ custodiendum, servandum, & ad te qui ultimus finis meus es perducendum.

AD M. D. G.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0022213

